POEMATA

MATHIÆ CASIMIRI

SARBIEWSKI

E SOCIETATE JESU

POLONI.

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEWSKI

E SOCIETATE JESU

POLONI

POEMATA OMNIA.

Editio omnium, quae adhuc prodierant, longe plenissima.

Ad usum alumnorum S. J.

Superiorum permissu.

STARAVIESIÆ.
TYPIS ET SUMPTIBUS COLLEGII S. J.
MCCCXCII.

AD JUVENES SCHOLASTICOS S. J.

„Monumenta ingenii tui non imber edax, non aquilo impotens, aut innumerabilis annorum series poterit diruere; etiam vita functus vives, ac per ora hominum incedes“ — scripsit olim per litteras Sarbievio amicus ejus et aequus ingeniorum judex Stanislaus Łubieński, Antistes Plocensis. Quae quam vere fuerint praenuntiata, quis est, qui non videat? Nam si Latios quosdam Grajosque excipias scriptores, quorum opera ubique terrarum leguntur, unicus fere ex recentioribus poëtis illud fortunae nactus est Sarbievius, ut apud omnes gentes excultas noscatur et passim uno quasi ore celebretur. Et re quidem vera, ut taciti praetermittamus, qualis nostra, qui fratres sumus Sarbievii, sit de illo opinio, si modo consideraverimus, tantam doctissimorum hominum, exterorum magis quam popularium, multitudinem in ejus laudem conspirasse, hominum ab ejus patria, religione, genere, quod profitebatur, vitae, animo nonnumquam prorsus alienorum: si tot eximios poëtas, quos saeculum produxit decimum et septimum, primas Sarbievio partes sine invidia detulisse attenderimus: si numerosam et quae adhuc a nemine recenseri potuit, editionum copiam: si pietatem illam, qua Musae ejus foetus vel exigui ab exteris colligebantur, qua vulgati a litteraria republica excipiebantur: si tot scholarum et academiarum[1]) in ejus

1) „Floret in omnibus academiis“ scripsit jam editor Mediolanensis 1645.

Lyricis legendis, explicandis, commentandis assiduitatem: si denique in ornando hoc vate, qua lauro, qua carminibus et statuis ne post tria quidem saecula elanguescens studium reputaverimus: poetam illum fuisse summum et omni laude majorem fateamur necesse est. Quod vero tantam ei peperit gloriam, id non aliud est, quam quod, communi doctorum judicio, ipse ad puritatem et genium linguae latinae omnium, qui ultimis saeculis eadem usi sunt, proxime accessit, entheum vero quod attinet, cogitationum sublimitatem, morum candorem, veteres illos poëtas omnes longe superavit: arte Horatio par, mente excelsior. Quam ob rem quod olim in publicis gymnasiis et academiis Angliae, Belgii, Hungariae, ad nostrum usque saeculum factum esse legimus, id potissimum in scholis Societatis nostrae, in Polonia praesertim, usu receptum erat, immo hodie quoque est quandoque, ut, dum latini Horatii carmina explicentur, Sarmatici quoque Lyrica Horatii legantur et cum prioribus componantur.[1]) *Quo sane ducti consilio, editionem hanc paravimus, ut juvenibus nostrae primum provinciae, dein aliarum etiam provinciarum, erudiendis accommodetur. Id perquam opportunum multisque gratissimum fore vel ideo speramus, quod celeberrimi nostri poëtae exemplaria, quinquagies amplius recusa, nunc jam fere in majoribus dumtaxat bibliothecis omni diligentia asservantur, ac praeter has in bibliopolarum tabernis jam vix venalia prostant.*

Initio propositum nobis erat, editionem solummodo Argentoratensem 1803, bonam eam quidem sed non optimam, quae ad manum nobis erat, sub nostro prelo iterum imprimere. At vergente jam ad finem typographi labore, cum nos amicus quidam commonefecisset, exstare alia etiam ejusdem auctoris poëmata, quae nos hactenus latuerant: mutato consilio, eadem nostro libro addenda censuimus. Haec tamen, quae pietate in poetam ducti addidimus, aliquam a lectoribus indulgentiam requirunt. Auctor enim ipse, cum viveret, Lyricorum dumtaxat

1) Etiam nuper Illmus Archieppus Varsaviensis Popiel jussit carmina Sarbievii in seminario suae diœceseos prælegi alumnis. (Kuryer Warszawski 2. Febr. 1884.)

et Eppigrammatum libros, ad quos e penu suo nonnisi selectissima quaeque carmina adsciscebat, nomine suo editos voluit; et praeter hos soli fortasse Lechiadi nomen apposuisset, si superstes eam edidisset. Reliquorum vero poematum alia dissimulato tantum nomine typis vulgavit, alia nunquam vulgaturus erat. Nos nullo adhibito selectu, ea omnia poemata Sarbievii, quae praeterito saeculo a PP. Naruszewicz et Bohomolec vulgata erant, paginis 294—345, 360—398, 489—506 nostrae editionis inseruimus. (Illud tamen advertimus, nos falsam Patris Bohomolec opinionem secutos, quinque odas ad Sigismundum III, (pag. 383—398) perperam carminibus Sarbievii annumerasse, quum nunc jam nobis cum omni certitudine constet, easdem a P. Gilberto Jonino S. J. Gallo esse compositas, et in ipsius Lyricorum libris reperiri.) Cum praeterea ea de Cruce S. Andreae carmina, quae J. Krystyniacki non ita pridem ediderat, paginis 399—422 iteravimus, cum obtentum etiam a D. Stanislao Windakiewicz „Aureum saeculum" pag. 345—359, nec non epigrammata quædam cum tribus odis a D. Krystyniacki nobis missa pag. 509—538 excripsimus: editionem adeo auximus nostram, ut haec unica sit, quae omnia omnino Sarbievii carmina adhuc cognita complectatur. Quo successu alacres facti, accuratius in poëtae vitam et libros sive a Sarbievio, sive de eo ab aliis lucubratos, inquirere coepimus, et quantum per breve sane tempus id licuit, collectas a nobis annotationes cum lectoribus communicamus. Quo in negotio etsi omnem adhibuimus curam, ut res nonnisi certae proferantur et probatae, minime praetendimus, nos materiam exhausisse totam; quod si aliquantisper saltem ad capiendum auctorem contulerimus, viamque panderimus aliis ad similes disquisitiones continuandas, uberem laboris hujus mercedem consecutos nos esse jure merito laetabimur.

Expedit, ut hoc loco iis omnibus gratias agamus maximas, qui nos in hocce labore aliquomodo adjuverunt; quorum e numero amplissimis viris Stanislao Windakiewicz, Joanni Krystyniacki, Sigismundo Wolski, Adalberto Kętrzynski, item Pa-

tribus Octaviano Cagnacci, e provincia Veneta, Carolo Sommervogel bibliographo, Societatis nostrae alumnis, nec non quibusdam sociis nostrae provinciae, maxime obligatos nos esse pronuntiamus.

En, juvenes religiosissimi, librum, quem vobis frequenter versandum destinamus et ex animo dedicamus. Loci variantes, quos e diversis editionibus collectos adjecimus, praeterquam quod ad multorum Sarbievii carminum originem indicandam magni sunt momenti, docebunt vos etiam, quomodo ingenii vestri foetus pedetentim emendare et perficere vos oporteat, cum etiam suos poeta tam eximius nonnisi per diuturna tentamina lento passu ad summam usque perfectionem deduxisset. Index geographicus et historicus nominum propriorum, nostra industria insigniter auctus ac fere completus, levabit vos ea difficultate, quae a legendo Sarbievio multos absterrebat. His adjumentis instructi, legite divini vatis carmina, atque ex his limpidissimis potius fontibus arcanas poeseos notiones, latinaeque scientiam linguae haurite.

Staraviesiae Calendis Maji 1892.

T. W. S. J.

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII

VITA.

---

1 5 9 5. 2 4. Febr. natus est Mathias Casimirus in Sarbiewo, gentilitia Sarbieviorum villa, prope Plonscium (Płońsk) Poloniae urbem in Palatinatu Plocensi, Ducatu Masoviae, Territorio Ciechanoviensi sitam. Ortum duxit e nobili apud Polonos gente Prawda seu Prawdzic, cujus majores huc ex Italia commigrasse credebantur. Avum armorum studio nobilissimum habuit Adamum, centum et novem annos superstitem; patrem Matthaeum, matrem Anastasiam Milewska; fratrem vero germanum Stanislaum, Palatinum Masoviae. Sub auspiciis Deiparae Virginis Claromontanae, quam a puero studiorum suorum praesidem elegit, prima litterarum rudimenta posuit in gymnasio S. J. Pultoviensi, ubi, quanto esset ingenio, jam tum probavit, cum puer admodum lyrica carmina factitaret; cujus rei ipse meminit Lyr. lib. II. od. 15 ad Narviam amnem, qui Pultoviam praeterlabitur.

1 6 1 2. 2 5. Julii in Soc. Jesu cooptatus est post absolutam Pultoviae rhetoricam. (R)[1]) Biennium tyrocinii explevit Vilnae, sub magistro Novitiorum P. Laurentio Bartilio, viro non minus sanctitate vitae quam scriptis clarissimo. Illo tempore Beati Andreae Bobolae, 1611 ingressi, religioso convictu totum annum fruitus, ac S. Stanislai Kostkae, consanguinei sui, virtutes aemulari contendens, solida sanctitatis posuit fundamenta.

1 6 1 4—1 6 1 7 philosophiae studuit Brunsbergae, et unum quidem annum logicae, unum physicae, unum denique metaphysicae. (R)

1 6 1 7—1 6 1 8 erat magister syntaxeos et poëseos (R) Crosis (Kroże) Samogitiae oppido, ubi recens Societati Jesu gymnasium fundaverat Joan. Carolus Chodkiewicz.

---

1) Signum (R) quoties recurret, denotabit, rem hanc desumptam esse nuper ex archivo S. J. Romano.

1618—1620 in collegio Polocensi rhetoricam artem explicuit (R), et quod summis nonnisi viris concedi solet, juvenis et nondum sacris ordinibus initiatus, informandis ad humanitatem Societatis adolescentibus magister praefuit.

1620—1622 auditor theologiae I. et II. anno Vilnae. (R)

1622 missus Romam ad conficiendum reliquum studii theologici curriculum, mense Novembri eodem pervenit, statimque tertium annum theologiae in collegio Romano exorsus est (R). Comites itineris habuit scholasticos sui ordinis adolescentes: Joannem Grużewski, Oswaldum Kriger, Andream Rudomina, apud Sinenses demortuum, Nicolaum Zawisza, de cujus immaturo paulo post suum in Urbem adventum obitu, tum de iis, quae sibi in via acciderant, scripsit elegiam (pag. 286 et 570 nostr. edit.). Cum prope Bambergam, Sueviae urbem, iter facerent, effusus repente e montium silvarumque latebris praedonum armatorum globus, et vehiculam inermium circumgressus, minis et ictibus perculsos, metu compulit ad tradendum sibi omne pecuniarum viaticum. Interim destitutos omni ope ad prosequendum ulterius iter, primum agrestes, deinde Patres collegii Bambergensis humaniter exceperunt, instructosque novis subsidiis dimiserunt. Majores quasque obvias Italiae urbes peragrando, quidquid visu dignum occurrebat, id omne juvenis ille, ut erat artium apprime amans, attenta mente observabat. Satis hoc patet ex dicta elegia. Quanquam scriptores quidam asserunt, Sarbievium tunc demum, cum in patriam rediret, Florentiam invisisse, ibique epigramma 49, 75, 79, 82 composuisse, nobis tamen id factum esse videtur in primo illo versus Romam cursu, vel saltem in alio jam ex Urbe Florentiam suscepto itinere, quoniam omnia illa epigrammata continentur in prima Coloniensi 1625 Lyricorum editione.

1623 circa Pentecosten sacerdotio inauguratus est Romae. (R) Nihilominus studium theologiae continuabat, et subsecivis tempusculis vacabat poesi. Ad quam cum natura esset conformatus, tantum in illa Urbe, bonarum artium sede atque cultrice, profecit, ut non solum omnium, quotquot Romae erant, doctissimorum virorum oculos animosque in se converterit, sed apud omnes ejus saeculi eruditos plausum tulerit. Praeter carmina, quibus publice decantandis et quandoque etiam imprimendis, graviores quosque eventus et solenniora festa cohonestabat, tractatus etiam suos de Acuto et Arguto, quos in patria scripserat, poscentibus amicis Romae praelegere per Augustum et Septembrem instituit, non sine magna plaudentium Romanorum frequentia. Hinc facile venit

in amicitiam doctissimorum virorum, quorum ille nomina suis passim in carminibus laudata consecravit. Certarunt quoque in amando Sarbievio Italiae principes, litteratorum aestimatores; ante alios Franciscus Cardinalis Barberinus, et Paulus Jordanus Ursinus, Bracciani dux, ad cujus ille villam per ferias septembres secedens, amoenitatem agri eleganti carmine commendavit.

Decesserat hoc anno Gregorius XV Summus in Ecclesia Pontifex, et in locum ejus, habita solemniori electione, Maffeus Rarberinus Urbani VIII nomine, designatus erat. Commune ex hac electione gaudium et meliorum temporum sub novo pontificatu omen expressit Noster in suo poëmate „Aureum saeculum“ tam concinne, ut animum hujus Pontificis penitus sibi devinxerit. Illum sibi virum, tanquam Maecenatem suum, peculiari jure a se celebrandum assumpsit vates. Quo vero eum in pretio habuerit Urbanus, vir suae aetatis eruditissimus, idemque poëta, id ex pluribus benevolentiae indiciis, quae exhibuerat Sarbievio, luculenter constat. Non solum enim saepe illo familiariter usus est, et in eadem rheda sibi assidentem per Urbis plateas circumducebat, sed etiam laurea poetica eum ornavit publico ac solemni ritu; qui honor ab hoc doctissimo Pontice praeter Sarbievium contigit nulli, quemadmodum in dissertatione quadam Resneli Galli de laureatis poëtis probatum est. Cum idem Pontifex Breviarii emendationem procuraret, in hymnis quibusdam castigandis et ad leges metricas revocandis, vel novis etiam condendis, opera ejus usus est feliciter. Habuit Sarbievius hujus operis socios PP. Famianum Strada, Tarquinium Galluzzi, Hieronymum Petrucci, omnes e Soc. Jesu, qui collata opera, teste Gavanto (Thesaur. sacr. rit. tom. II. sect. V. cap. VI.) nongenta amplius errata emendarunt, triginta hymnos penitus transformarunt, aliquot novos panxerunt. Intacti tantummodo mansuerunt hymni S. Thomae Aquinatis de SS. Sacramento, item hymnus „Ave maris stella“ et vix alii. Quid ex hoc communi labore tribuendum sit Sarbievio, nunc determinari certo nequit. Sunt qui affirment, hymnos „Superne regum Rex bone“ et „Rex magne rex altissime“ in festo Gratiarum actionis pro victoria ex Turcis a. 1621 ad Chocimum relata, in Breviariis per totum Poloniae regnum 10. Oct. ab Urbano VIII recitari jussos, a Sarbievio esse compositos; et ut Daniel in opere de studiis classicis affirmat, paschalis hymnus „Ad regias Agni dapes“ non alium, quam Casimirum nostrum emendatorem habet.

Praeter poëseos laudem, insignem etiam antiquitatis co-

gnitionem consecutus est Romae. Comite et mystagogo P. Alexandro Donato S. J. visebat vetustissima monumenta, arcus triumphales, obeliscos, amphitheatra, delubra; inspiciebat numismata, in aere ac marmore spirantia deorum simulacra, omnia quibuscumque studium antiquitatis mirifice illustratur. Hinc fundamenta jecit eruditi operis de Diis gentium, quod in patriam redux quator libris est complexus.

1 6 2 3—1 6 2 4 studet IV anno theologiae, et repetit metaphysicam in Collegio Germanico Romae. (R)

1 6 2 4—1 6 2 5 Praefectus studiorum in Collegio Germanico (R).

1 6 2 5 autumno redit in Poloniam (R). Abeunti et ultimam benedictionem ab Urbano VIII petenti, Pontifex suis ipse manibus numisma aureum cum sua effigie, dum ab osculo pedum assurgeret, ad collum suspendit. In itinere comitem habuit Crispum Laevinium, hominem natura tristiorem ac taciturnum; quem poëta in prosperis ipse atque in adversis pariter laetus, suique semper similis, exhilarabat. (Vide Lyr. IV. 14.) Viam conficiens non per Germaniam, bello tunc ardentem, sed per Hungariam et montem Carpatum (Lyr. IV. 1), invisit natalem pagum Sarbiewo (Epod. 2), unde mox Lituaniam versus itinere directo, Calendis Decembribus ejusdem anni in collegium Niesuisiense (Nieświez) pervenit.

1 6 2 5 — 1 6 2 6 agit tertium annum probationis Niesuisii, sub P. Laurentio Bartilio cum undecim sociis (R).

1 6 2 6 — 1 6 2 7 docet Polociae rhetoricam juvenes scholasticos S. J. (R).

1 6 2 7 — 1 6 2 8 docet rhetoricam in Academia Vilnensi. (R)

1 6 2 8 — 1 6 3 1 lector philosophiae in Academia Vilnensi (R). Intra hoc tempus emisit professionem quatuor votorum Vilnae 23. Sept. 1629.

1 6 3 1 — 1 6 3 3 lector theologiae pomeridianae in Academia Viln.; corrector lect. ad mensam, praefectus tonorum (R). Postquam ad theologiam docendam promotus est, declaratur a. 1632 artium liberalium et philosophiae doctor laureaque ornatur a R. P. Nicolao Lancicio Praeposito Provinciali.

1 6 3 3 — 1 6 3 5 ad officia, quae praecedente biennio obibat, accessit nunc munus Confessarii et Praefecti Sodalitatis B. V. M. Annuntiatae (R), nec non Decani theologicae et philosophicae facultatum. Item anno 1635 oratoris sacri munus obtinuit ad templum S. Joannis Vilnense.

1 6 3 5 autumno accitus est Varsaviam, ut oratoris sacri et theologi regii munus praestaret; ab hoc tempore usque ad obitum, nisi quando cum rege Ladislao IV. excurrere necesse

erat, in Domo Professa habitabat Varsaviae, Consultorisque (R) ibidem officium continuo sustinebat. Cum enim sublato repente e vivis 2. Jun 1635 P. Sebastiano Łayszczewski S. J. concionatore regio, Ladislaus IV. duos a praesidibus utriusque provinciae aptissimos ad hoc officium candidatos propositos sibi vellet, ex quibus ipsemet eligeret unum: P. Stanislaus Szałapski e Polona, et P. Sarbiewski e Lituana provincia, qui hoc munus obirent, dignissimi esse censebantur. Rex anteposuit Sarbievium, utpote jam ante sibi probe cognitum et a proceribus commendatum. A quo tempore fuit Noster itinerum regis perpetuus fere comes.

Quae fuerit Sarbievii in aula regia vivendi ratio, quae modestia, id ex litterarum commercio, quod ipsi frequens erat cum Stanislao Łubieński Episcopo Płocensi, Mæcenate suo et amicorum maximo, luculenter patet. Intentus muneri imposito, quod gravissimum onus sine collega laborum per quatuor annos sustinuit, Deo, Musis, paucis amicis vacavit, nunquam beatior, nisi cum solus ageret.

1636 vere ineunte profectus est Vilnam cum rege, qui ibidem solenni translationi corporis Divi Casimiri, abavi sui, mense Augusto interesse volebat. Ea ex urbe litteris, quas 19. April. ad Lubienium dedit, excusat se Sarbievius, cur per tam longum tempus nil ad Antistitem scripserit: „Frustra sim, inquit, si silentii mei patrocinium aut ab invaletudine, qua saepiuscule tentor, aut a perpetuis sermonibus sacris, aut a Lechiade, quam iterum recudo, accipiam... Aliae sunt causae, quae mihi calamum e manu excusserunt. Popularis istud linguae studium, in quo nunc necessario versor, Latinos apud me fontes arefecit.“ Quae verba de reconditiori studio linguae patriae intelligenda sunt, secus ac Langbein eadem intellexit, qui Sarbievium polonicae linguae penitus ignarum fuisse perperam asseruit.

Vilnae novus honor obtigit Sarbievio, quippe qui, exoptante rege, in Academia die 5 Julii a Jacobo Lachowski, praeside provinciae, laurea theologica ornatus est. Historicus Lituanae provinciae P. Stan. Rostowski ita rem hanc narrando exsequitur: „Sarbievius menses aliquod in aula versatus, existimationem pietatis suae et doctrinae confirmavit adeoque auxit, ut jam princeps, qua virum maxime ornaret laude, cogitaret. Divum suum abavum celebraturus rex, postridie quam Vilnam venit, ad collegium academicum, multis comitatus proceribus, descendit. Mature rectorem academicum monuerat, quid vellet: suum, praeter alia, poetam, theologum et concionatorem Sarbievium ire ornatum laurea ad III nonas julias.

Hoc itaque die academicum templum regia praesentia, frequentia maxima civium, ac summo splendore celebratum. Aderat cum Vladislao et regia sorore Anna praeter multos legatus Romani Pontificis. Ubi consedissent principes, interque eos rex in solio, post cantus musicos, in plura odea et vocum certamina distributos, per academicum laurea ornatum ad regem et proceres habita oratio: depositum in pulvillo ad pedes principis, proprium ejus academiae insigne, sceptrum. Jacere id ita rex decus litterarium non passus. Excipit continuo depositum, vultuque et oratione gratum professus animum, oratori restituit, pariterque jura academiae et immunitates auctoritate publica confirmat. Assurgit ad haec Doctorum senatus. Tum, qui pro cancellario academico aderat, praepositus provinciae Jacobus Lachovskius de officiis Doctoris, deque sapientium principum laudibus praefatus, primum ipse, deinde alii duo theologiae magistri, Mathiae, doctrinae suae periclitandae causa, ex interioribus theologiae[1]), seclusis illis sacris, dissolvenda objectant. Secundum haec, ex praescripto Concilii Tridentini profitenda magistris, ornandus profitetur; excipiente sacramentum scholasticum Nuntio apostolico. Ornatur academicis insignibus, et inter haec regio annulo, per Joannem Gembickium, regni tubulario praefectum, oblato a principe. Munusculum hoc academici inter ornamenta sua diligenter hodieque conservant. Itaque ornatus doctor, ut erat satis doctrinae praesidiis ad dicendum paratus, diserte munifico principi agit gratias, tum suo, tum sui Collegii, tum universae Societatis nomine. Orationem doctoris excepit procerum gratulatio; hanc musica, choris circum complaudens omnibus. Inter istos laetitiae fremitus rex domum visit Collegii, bibliothecam, exprimendarum officinam litterarum, gymnasium, amanter Socios vel laudans, vel, quid desideraret ad commodum, admonens, collustravit. Visenti oratio soluta nomine religiosi Collegii, a typographio nomine scholarum poema de suis Vladislao laudibus, dedicata.

Sacris D. Casimiri ossibus ad sacellum, virgineo huic principi recens exstructum, translatis 14. Aug. solenni cum pompa, ad quam et Noster oratione latina non parum contulit, rex Ladislaus mense septembri viam iniit versus urbem Grodnam, in cujus regione inde a 20. Octobr. ad finem prope Decembris venatione se oblectabat. Regem comitatus est Sarbiewski, qui die 13. Decembr. haec retulit suo antistiti: „Animos prope silvestres per hasce venationes induimus, ego po-

---

1) Programma hujus disputationis vide apud Krystyniacki: Fasti Sarbieviani, pag. 55.

tissimum, qui in humili et pervio ventis atque imbribus tugurio vel hoc ipsum scribere potui ac commentari, quod festis diebus coram rege pro concione dicerem."

1637 Januario ineunte rediit Sarbievius cum rege Varsaviam. A Lubienio invitatus, ut eum Brocovii inviseret, ultimis Junii diebus haec ei Varsaviae degens scripsit: „Quinae hujus septimanae conciones me isthic invitum et ad rus istud tuum anhelantem tenuerunt. Caeterum cum potero primum, venia regis mei, ad te, Musarum mearum praesidem ac judicem advolabo." Paucos post dies optatis Lubienii satisfactum est.

4 Decembr. ad Eppum Lubienium, ab imagine B. V. M. Claromontana, prodigiis clara, ad quam supplex sanitatis recuperandae causa secesserat, nuper reversum, haec scripsit: „Dum isthaec scribo, non sine quadam animi mei illecebra Virgini huic Claromontanae, oden unam pro tua salute, aut soterion voveo, si te nobis hoc anno incolumem servaverit... Strebovii, ubi regi venanti necessario affui, in vili humilique tuguriolo veteris venae lyricum sensi impetum, neque omnino fui inobediens spiritui illi, qui e sedibus coeli raro dulcis, raro etiam verus et sacer, atque, ut ita dicam, aethereus venit. Itaque librum Silviludiorum, qui nunc apud regem est, scripsi, sed novo et metro et stylo. Cum misero tibi, erit cur rideas, amoena enim et subinde pia sunt... Singulis deinceps annis pro tua salute aliquid Virgini illi scribam."

29. Decembris ejusdem anni scripsit Antistiti: „Praeceps, et ipse sibi vix aliquot diebus superstes annus me commonuit, ut annuum pro tua incolumitate Lyricorum meorum votum exsolverem Virgini Claromontanae. Exsolvi illi, exsolvi etiam tibi, quibus ut plurima indies solvamus, plura adhuc debemus. Illa mihi a puero studiorum praeses, tu judex et arbiter, et aliquot jam annos praecipuus hortator atque instinctor. Ut Narviam, ut Bugum, mihi natales amnes carmine celebrarem, saepius per litteras monuisti. Nunc demum monita tua in animum meum diligenter abdita, fideliterque concepta, postliminio velut semina proruperunt. Scripsi aliquid de Bugo tuo, sed hujus carminis viridis neque dum adulta herba est, ut ipse Bugus alluere videatur. Recentem istam poeseos illecebram humili atque agresti Plonscensi casae debeo, sicut et Silviludia, quae ad numeros musicos aptari audio, debeo aperto ac benigno coelo, in quo Sarbievum, natalis mihi pagus, Plonscio una prope leuca dissitum, jacet; sed maxime tibi debeo, Apollini meo, qui me Viscovii, qui Brocovii villarum oppidorumque tuorum amoenitate saepius refecisti."

1638. 12. Januar. ex pago Kobyłka, prope Varsaviam sita, ubi ad Opacium fratrem suum consobrinum diverterat, haec inter alia ad Lubienium scripsit: „Lyrica aliqua, ut de Divis regni Tutelaribus ac indigetibus adderem, aliquando per litteras monuisti. Ecce tibi de Beato Societatis nostræ Tyrone carmen; sed quam languide, quam sero provenit. Quod tamen provenit, hoc monito tuo; quod sero, hoc tarditati ingenii mei acceptum feres."

Percrebruit mense Julio Varsaviae falsus rumor de obitu Eppi Lubienii, qui senem hunc vehementer afflixit. Tunc Sarbievius 16 Julii ad eum scribens, haec inter alia protulit: „A rumoribus aulicis adeo nunc alienus sum, ut fugere soleam ex circulis, in quibus novi aliquid familiaribus colloquiis agitatur... Te vita functum esse, tantum abest, ut crediderim, ut carmen solemne Divae Virgini Częstochoviensi pro tua incolumitate scribere statim constituerim, quod posteaquam perpolivero, tibi mittam." Sequente statim die mittendo hoc carmen Antistiti scribebat: „Carmen meum votivum neque dum ad umbilicum adduxi, nihil mihi gravius est, quam dimittere opus infabricatum, et adhuc ab igne et incude rubens et impolitum."

1638. 5. Aug. rex Ladislaus ad thermas Badenses prope Vindobonam sitas, valetudinis confirmandae causa profecturus excessit ex urbe Varsavia una cum sua conjuge et regia sorore Anna, in splendido comitatu septingentorum circiter hominum, qui numerosis rhedis, equisque fere tercentis vehebantur. In quo procerum aulicorumque numero, praeter alios tres Patres totidemque Fratres Coadjutores e Soc. Jesu, erat et Sarbievius noster, ad occurrendum morbo, quo tentari coeptus est, aquis iisdem usurus.

31. Octobr. cum regius comitatus redux Pscynae in Silesia moraretur, scripsit Noster ex ipso curru ad Lubienium haec verba: „Ego me robustiorem esse atque indies pinguiorem experior, qui ante aliquot annos phthisim timebam... Dum haec scribo, tuba signum datur, ut Oświecimum moveamus. O quam avide patriam conspicio!" — Reversus in patriam, quidquid temporis a dicendis sacris orationibus supererat, in Lechiade polienda impendit. At in laborum contentione tanta magis magisque carpebantur et fatiscebant vires. Id, non sine joco tamen, satis significavit Lubienio, cum illi 19 Decembr. in haec verba retulit: „Male vellem Lituaniae, si liceret, si non mox invisenda esset: quod hesterna die olere illo suo adeo mihi valetudinem afflixerit, ut etiam in lectulo prostraverit. Itaque sicut Horatius in allium, ita ego

in betam mordaci aliquo jambo debaccharer." Nec vanae fuerunt hae minae, quibus Lituanicas istas betas insequebatur, scripsisse enim videtur promissum carmen, prout ex alia ejus epistola postridie data apparet: „Fabrorum prandia, betas, me mordaci aliquo jambo proscindere vetas? Ego vero diram apparo, vehemens carmen, non ut olus istud insecter, sed ut te recreem... Cave meum carmen videant Lituani."

Ad hanc corporis infirmitatem aliae quaedam molestiores accesserunt curae, quae tenerum ac nobilem Sarbievii animum mirum quantum afflictatae sunt. Frequens Sarbievium inter et Lubienium litterarum consuetudo suspecta nonnemini videbatur. Impudenti calumniatoris obtrectatione effectum est, ut, quidquid gestum sit in aula, omne id a Sarbievio ad Lubienium referri crederetur, immo et quaedam eorum litterae interceptae sint. Sed quam injustae fuerint et injuriosae calumniae istae, ex eorundem ipsorum epistolis compertum sit nobis.

1639 primis Januarii diebus rex Ladislaus et cum eo Sarbievius ex urbe Varsavia contenderunt in Lituaniam; et viae opportunitate usi, in pago Viscovio inviserunt Lubienium. Deinde post tres fere demum menses querenti amico, quod post tot ejus epistolas siluerit, ita se excusabat Sarbievius per litteras Vilna datas 28. Martii 1639: „Unicas meas ad Illustrissimam D. V. Vilnae isthic apertas et non paucis ostensas, reliquae secutae non sunt; ne rerum novarum seminator et in aula tua sparsor (ut nonnulli jam vocabant) amplius jactarer. Quanto meo dolore id acciderit, scribere vix possum... Integritatem meam nosti: animum erga me Principum virorum non ignoras; sed neque nescire potes, quam misera sit invidia, quae falsis commentis pusillos homunciones evertere nititur, et in lato aulae campo ne cespitem quidem apparere permittit... Adeo me in solitudinem abdidi, adeo libris meis et otio dulcissimo impallesco, adeo pertaesus aulae angulum meum amo, ut non calamum modo, verum etiam et os et oculos, praeter cathedram meam a publico abstineam, et quotidie addiscam, nihil esse tutius, nihil dulcius silentio." Eundem in sensum scripsit 15. Aprilis: „Deus bone! quas non molestias tuli, cum falso secreta ad te scribere insimularer, cum spargeretur, in aula tua esse auditum, me regium esse secretarium, mihi omnia arcana credi! quae omnia, quam isthic inique mihi imponantur, vir gravissimus ac sapientissimus vides. Deus mihi ac tu ipse testis es, nunquam me secretarii titulo apud te esse gloriatum, nulla unquam arcana ad te aut ore aut calamo evulgasse..."

Non minus acerbe sensit Lubienius ipse injuriam hanc

sibi suoque amico illatam; ita enim 8. April. alloquitur per litteras Sarbievium: „... Caste et casto ore amicitiam nostram coluimus, de Musis nostris, mutuis inter nos litteris contulimus, nullius famam laesimus, et ecce cum summa injuria litterae nostrae aperiuntur, reserantur et in publicum prodeunt, et nonnisi visae et revisae, excussae et impie tractatae tibi redduntur. Divinam Majestatem testor, me nullius culpae esse conscium, nec quenquam secretarii nomine compellasse. Possem si vellem recensere hujus figmenti auctores, sed Deus illis parcat: erit fortasse tempus, cum haec apparebunt. Te velim optimae conscientiae testimonio tutum securumque vivere..." — Operae pretium esse videtur, citare quosdam etiam locos ex ultimis Sarbievii epistolis, siquidem hae melius quam alia quaelibet testimonia integerrimi viri mores adumbrant.

2. Junii Merecio haec inter alia scripsit ad Lubienium: „Mones me, ut hymnos coelesti Regi canam; ut dulce imperium, ita res, quam imperas mihi, vel inter has ipsas venationis regiae ferias mihi gravis est. Perpetuae et a nullo unquam laboris vicario interruptae conciones meae totum me rapiunt sibi. Nullus quamvis exiguus dies festus, nullus Dominicus elabitur, quo non aut in templo, aut in palatio, aut in cubiculo isthic etiam inter venandum concioner; id quod a nemine tam assidue tamque continenter fieri, scis existimo... Conabor ut desiderio tuo in sacris pangendis carminibus faciam satis. Epigramma, quod in funus Smolenscensis Palatini, viri optimi, reipublicae valde necessarii, effudi, tibi transmitto." (Vide hoc epigramma pag. 507, nostr. edit.)

3. Junii Merecio aliam exaravit epistolam, in qua haec leguntur: „Vide, quanti ego faciam monita tua. Nuperrime ad hymnos coelesti Regi pangendos me hortatus es. Cecini Divinos Amores. Dum caeteri damis ac cervis insectandis vacant, multoque sole usti et pulvere sordidi vagantur in campis ac saltibus, ego sub umbra tugurii mei incidi in cervum, quem cum regio Psalte ad fontes usque perennium aquarum, usque ad locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei insecutus sum. Hoc tibi Jacob tuus e venatione sua affert, pater mi; Surge et comede, ut benedicat mihi anima tua. Et vero si placuerit, pergam; sin minus, imperio tuo paruisse mihi satis erit. Caetera a me ne require; mihi vaco ac Deo, ac paucissimis amicis, quorum tu summa corones." Carmen hoc deperditum, quod poeta Divinos Amores vocitat, scriptum procul dubio fuit in haec regii Psaltis verba: „Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum..."

Venam Sarbievii poeticam non infecundam fuisse hoc venationis tempore, constat ex litteris, quas Vilna dederat ad Lubienium 30 Junii; scripsit enim: „Ego mihi sacrisque concionibus tota hac venatione in tuguriolo meo vacabam, nunquam beatior, quam cum solus. Quod si aliquid amoenitatis animum incessit, id in carmen, quod tibi mitto, aliaque poemata effudi."

Mense Julio rediit cum rege Varsaviam. — Pertaesus aulae, et in solitudine religiosae domus procul a strepitu, procul a curis profanis et invidia mortem, quam sibi imminere praesentiebat, praestolari tantopere desiderans, annuentibus praesidibus suis, dimissionem a rege impense efflagitabat. Rex licet invitus, precibus tandem exorari passus est, dimissionemque concessit.

1840 extremo jam Martio, absoluto sic Sarbievio, et Varsavia in Lituaniam abire festinanti, ecce tibi remoram. Procerum quis nescio, cupidus Mathiae concionatoris audiendi, orat regem, proficiscentem ut ne dimittat ante quam hunc ipse concionantem audierit. Atque hic quidem, quod desiderabat, impetravit; at id concionatoris fato. Proximo statim die festo, Mathias ex itinere revocatus et verba facere jussus, rem ille cum laude expedivit; sed quoniam ad dicendum imparatus erat, et omnes idcirco contendit nervos, in ipso ex cathedra descensu elanguit, et tam acerbis coepit torqueri capitis doloribus, ut nescio quam guttam (sic enim ipse querebatur) in cerebrum desuper labentem cum ingenti totius corporis horrore sentiret. Urgente malo et medicorum artes superante, sacris mysteriis rite procuratus et expiatus, post triduum diem supremum confecit magno omnium moerore 2 Aprilis 1640 anno, aetatis vero 45 nondum expleto; quem brevi (16 April.) amicus ejus Stanislaus Łubieński, Plocensis Episcopus, ad immortalium regionem secutus est.

* * *

Sarbievius erat vir summa indole praeditus, ad cantum, musicam aliasque artes liberales a natura conformatus, sed maxime naturalis genii impetu ad poësim ferebatur. Veterum poetarum carmina ac imprimis odas, ut refert Zaleski, ad modos musicos revocabat, et unicuique metro suam specialem excogitavit melodiam, asseverans, antiquos, nonnisi cantando et modis musicis adaptando sua solitos fuisse carmina pangere et recitare. Promptitudine in versibus fundendis pollebat incredibili. Cum Romae aliquando familiari cum Urbano VIII colloquio recrearetur, narravit Pontifex rem, quae non ita

pridem evenerat: Ivisse per pontem substratum Tiberi civem quemdam Romanum cum filiolo, quem manu duxisset, et cum cane; repente (temeritate an culpa, non constat) puerulum decidisse in fluvium: canem vero, qui decidentem infantem vidisset, e vestigio in aquam se dedisse, pereuntemque fero puerulum arripuisse et viventem adhuc extraxisse. Volebat Urbanus, ut hanc fabulam carmine complecteretur Sarbievius, qui, pro celeri, quo erat captu, sine haesitatione hoc epigramma effudit:

Projicit in Tiberim puerum pater, at canis effert;
Hic gerit officium patris; at ille, canis.

In pervolutandis veterum poëtarum monumentis mire fuit assiduus. Horatii odas memoriter complexus est; Pindarum caeterosque lyricos familiarissimos sibi fecit. Repertus dicitur Drohicini in bibliotheca PP. S. J. Virgilius, ad cujus calcem ipse notaverat, quoties unumquemque poëtarum perlegisset: Virgilium sexagies, caeteros decies et amplius a se perlectos testabatur. Temporis erat parcissimus; si quid insomnis noctu non infeliciter cogitabat, statim id in tabulam lectulo appensam referebat, ne irrepente somno memoria excideret.

Cum excellentia ingenii conjunxit insignem morum simplicitatem. In Christum Crucifixum, in Virginem Deiparam peculiari amore ferebatur. Paupertatis religiosae cultor eximius; praesidibus suis carus et obsequens. Ut erat judicii maturi, atque in suis prope nimii, saepe cum vix horae intervallo tempus dicendi pro concione distaret, ad praesidem accedebat, ut is discerneret, quid sibi deligendum esset ex iis, quae animo concepta in chartam ordine redegerat. Quod Divina Providentia per ora plaususque hominum totam ejus vitam deduceret, adscribebat ille huic exercitationi, quod nunquam ullum suorum superiorum ex destinato contristasset.

* *

Sepultus est Sarbievius Varsaviae sub templo Patrum S. J., ubi usque ad initium nostri saeculi, sine elogio tamen, ejus existebat tumulus. Templum illud post abolitam a. 1773 Societatem Jesu varias subiit vicissitudines, donec Patribus Scholarum Piarum traditum est. Quod cum in eorum usum autumno 1834 coeptum est renovari, e cameris subterraneis omnia corpora ibidem tumulata in alium locum elata sunt. Occasione hac quorumdam oculos in se convertit conditorium instar praesepis factum, in quo nonnisi hae litterae recognosci poterant: „... Po .. Laur ... S ...“ Unde orta est opinio, calvariam et aliquot ossa in illa arca contenta, esse reliquias

nostri poëtae laureati. Ea conjectura et pietate in tantum virum ducti PP. Scholarum Piarum, arcam cum ossibus condiderunt sub templo suo ad plateam, quam vocant Longam. Verum cum brevi post ex illo quoque loco corpora suorum defunctorum efferre cogerentur, una etiam cineres, quos credebant Sarbievii, in publica sepulchrorum area, Pawązkowska dicta, sepelierunt.

Imago Sarbievii ad verum depicta in Universitate Vilnensi servabatur, cujus imitatio est in „Galerya sławnych Polaków" num. 20. Statuam vero ejus in marmore effingendam et in publica bibliotheca a se Varsaviae condita ponendam curavit Princeps et Episcopus Cracoviensis, Comes Załuski. Ablata a. 1795 a regimine Rossiaco Petropolim hac bibliotheca, non constat, num alicubi statua haec existat.

Immortalem poetam nostrum cohonestavit Stanislaus Augustus, Poloniae rex, anno 1771, cum in ejus memoriam numisma excudi jussit. Prima numismatis parte visuntur duae effigies pectore tenus exculptae, Sarbievii videlicet et Adami Naruszewicz, quas circumdat sequens inscriptio per modum circuli exarata: MAT. SARBIEWSKI M. (ortuus) MDCXL. ADAM. NARUSZEWICZ N.(atus) MDCCXXXIII.; infra: POETA. — Parte aversa intra sertum oleagineum haec habetur sententia: QUO NON PERTINGET COEPTANS UBI DESIIT ILLE. S. A. R. F. F. (Stanisl. Aug. rex fieri fecit). Infra sub serto annus: MDCCLXXI. — Numisma hoc reperire est haud raro in musaeis numismaticis, descriptum autem et delineatum apud auctores de numismatica tractantes: Raczyński num. 557, Bentkowski n. 760, Raichel 2729, Mikocki 2937 et apud alios.

Ut Niesiecki refert, rex Ladislaus statuit Sarbievio suo monumentum quoddam regale ponere, quod et fecisset, nisi ipsemet immatura morte abreptus fuisset. Ultimis tandem temporibus consilium illud ad effectum deductum est Varsaviae. Ineunte enim anno 1884 res haec agitari coepta est in ephemeride „Kuryer Warszawski" et potissimum in „Tygodnik illustrowany," cujus editor Ludov. Jenike notabilem pecuniae summam in eum finem a variis personis collegit. Promoverunt hoc negotium efficacissime praeter Illmum D. Popiel, Archieppum Varsaviensem, etiam DD. Buchbinder, sacerdos Chełmicki, Dębski, Gerson, Pawiński, Przeździecki, Rzętkowski, Siemiński et Wojciechowski, qui opera sua in unum collata, primum varios artifices ad formam monumenti adumbrandam invitarunt, ac tandem ex pluribus exemplaribus sibi propositis, illud, quod optimum videbatur, Joannis

videlicet Kryński, electum, eidem statuario mandarunt exsequendum. Ab hoc itaque artifice monumentum, tanto vate non indignum, egregio opere confectum, in quadam columna templi olim Societatis Jesu Varsaviae collocatum est, atque die 5 Julii 1888 non sine hominum frequentia et solemni pompa dedicatum. Opus hoc sex fere ulnas polonicas altum et duas amplius latum ex marmore nigro Dębnicensi, stilo, ut ajunt, renascente caelatum, exhibet effigiem pectore tenus laureatam poetae, ex aere fusam et inauratam, infra quam cernitur imago pariter ex aere expressa, repraesentans eventum illum, cum Urbanus VIII adstante procerum Romanorum coetu poetam nostratem laurea corona insignivit. Praeter monogramma Jesu, notissimum Societatis Jesu insigne, et stemma gentis Sarbieviorum „Prawdzic," duplex in illo monumento exsculpta est inscriptio; altera polonica: *Księdzu Mac. Kaz. Sarbiewskiemu, ur. w Sarbiewie na Mazowszu 24. lut. 1595., zm. w Warszawie 2. kwietnia 1640, nadwornemu kaznodziei króla Władysława IV, słynnemu poecie, uwieńczonemu przez Urbana VIII Papieża, że w sztuce równy Horacemu, umysłem podnioślejszy, wiarę, sprawy i obyczaje przodków przepięknemi wierszami łacińskiemi opiewając, narodu swego imię między obcymi szeroko rozsławił, wdzięczni potomni. MDCCCLXXXVIII.* Altera inscriptio idiomate latino: *Mathiae Casimiro Sarbiewski, nato Sarbieviae in Masovia, d. 24 Febr. 1595, vita functo Varsaviae d. 2. April. 1640, Ladislai IV regis oratori a sacris, poëtae inclyto laurea Urbani VIII P. M. manu coronato, quod arte Horatio par, mente excelsior, fidem resque moresque majorum carminibus latinis perpulchris extollendo, gentis suae nomen mire apud exteros auxerit, posteri memores. MDCCCLXXXVIII.* Elogium latinum composuit Illmus Archieppus Varsav. Popiel, sed nescio cujus fraude litteræ „S. J.", quae in autographo, ut nobis certo constat, reperiebantur, in ipso tamen monumento non apparent. — Etiam in natali pago Sarbiewo positus est lapis cum apto elogio nostri poëtae.

Sed omni aere et marmore perennius monumentum exegit sibi Sarbievius suis ipse poëmatis, de quibus jam agendum nobis est.

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII

BIBLIOGRAPHIA.

Quamvis Sarbievius ipse ante obitum multa ex suis scriptis, ut fertur, igne delevisset, salvi nihilominus remanserunt plures codices, quos sua ipsius manu vel ad usum privatum suum destinatos vel in lucem publicam edendos conscripserat, ac fere jam perpoliverat. Rex Ladislaus IV, pro sua in defunctum poetam benevolentia, negotium mandavit P. Adalberto Cieciszewski magistro Acad. Viln., ut scripta haec in tutum locum collecta ab interitu vindicaret. Quae quasnam deinceps subierint vicissitudines, ubi et quando interierint, exploratum non est nobis. Theodorus Narbutt vidisse se testatur Nowogrodae amplum codicem, corio compactum, cum titulo: *Opera inedita M. C. Sarbievii S. J.* In bibliotheca etiam collegii Coloniensis S. J. olim vidit J. A. Załuski aliquos ejus codices manu scriptos.

Si quis omnes, quotquot unquam diversis temporibus atque locis prodierant Sarbievii editiones enumerare vult, non, bibliographorum annotationibus contentus, easdem dumtaxat compilet, sed ipse per se plurimas quas poterit bibliothecas perscrutando, nec non varia undique exemplaria comparando, eadem quam exactissime describat necesse est. Tot sunt enim in hoc negotio a bibliographis inducti errores et ambiguitates, ut nisi eam quam suademus methodum inieris, difficultates omnes vix ac ne vix quidem evadas. Id jam praeterito saeculo probe intellectum est a quibusdam aestimatoribus Sarbievii, maxime ab Andrea Załuski, Principe Episcopo Cracoviensi, et a Langbeino. Ille enim in bibliotheca sua, quam Varsaviae publico usui condiderat, non sine studio multo ac sumptu, plurima diversa Sarbievii exemplaria collegit, hic vero eadem collectione usus, omnes has editiones in sua de nostro poeta Commentatione descripsit. Eandem viam, sed multo efficacius, his nostris temporibus, iniit Varsaviae D. Sigismundus Wolski. Jam enim, facile ampliorem qualis unquam exstiterat, editionum nostri poetae asservat apparatum, et nulli studio ac sumptui parcere desistit, do-

nec omnes omnino, si fieri possit, editiones expiscetur. Laborem illum eo fine suscepit, ut tercentissimo a nativitate Sarbievii recurrente anno perfectissima et a critices legibus haud aliena operum nostri poetae fieri possit editio. Integerrimi hujus viri intentio quam pura sit et ad rei litterariae utilitatem unice ordinata, vel ex illo apparet, quod rogatus, laboris sui fructus ultro nobiscum communicare non dubitaverit.

Praeter editiones, quae typis toties iteratae sunt, non semel viris quibusdam doctissimis fixum destinatumque in animo erat, ut editionem quam maxime completam et accuratam publicae luci committerent, id quod injuria temporum ad effectum non est deductum. Ut nunc Joannem Michaelem van der Ketten ommittam, de quo suo loco sermo fiet, Lebrecht Langbein, quemadmodum in fine suae de Sarbievio Commentationis monet, parabat novam quamdam Lyricorum ejusdem editionem. In eadem vero servabat ordinem temporis, quo unumquodque scriptum fuisset carmen, aut probabili sententia scribi potuisset, eaque ita disposuit, ut quae noviter reperta sunt, iis, quae jam habebantur, immiscuerit. Nonnisi optimas secutus scripturas, adjecit in notis, quas aliae haberent. Quidquid autem ad capiendum poetam pertinet, sive sit ex historia istius temporis, sive ex philologia, in quibusdam observationibus statim subjecit, et locis nonnullis breviter ex optimis Latii veteris auctoribus demonstravit, quos Sarbievius optime imitatus erat.

Paucis post annis simile consilium cepit Andr. Załuski Eppus Cracoviensis, qui in opere „Acta Erudit. Lips," 1758. pag. 45 — 48 sequens programma litterarium notificavit: „Ternio vatum Polonorum, seu: Horatius Sarmaticus, Matthias Casimirus Sarbievius Soc. Jesu; Virgilius Sarmaticus, Sebastianus Fatianus Acernus; et Martialis Sarmaticus, Albertus Ines Soc. Jesu, tandem integre et junctim editi." — Item a. 1814 Martyni-Laguna moliebatur aliquam editionem Sarbievii criticam, quae tamen non prodiit in lucem.

I. Opera Sarbievii poëtica.

In primo optatissimo auspicatissimoque Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Domini Stanislai Kiszka, Dei gratia Episcopi Samogitiae, in metropolim suae dioecesis adventu gratulationes oblatae... Vilnae S. J. MDCXVIII. — Carmen

hoc heroicum, quod Naruszewicz a. 1757 Vilnae iterum vulgavit, nos vero eundem secuti pag. 329—345 tertia vice impressimus, oblatum erat Episcopo Kiszka nomine studiosae juventutis in gymnasio Crosensi, estque primum poëtae adolescentuli opusculum typis exscriptum. Hoc idem carmen anno 1623 immutatum Romae a poeta, dedicatum est Urbano VIII sub titulo „Aureum saeculum." (Cfr. pag. 345—359. nostr. ed.) — Libellum hunc non vidimus; Naruszevicio teste reperiuntur in eo tria epigrammata, quae in nostr. ed. num. 94, 95, 96 occupant.

Obsequium gratitudinis Illustrissimo Domino D. Joanni Carolo Chodkiewicz, Palatino Vilnensi, M. L. D. exercituum duci, Livoniae Gubernatori, Comiti in Szklow, Mysz & Bychów, Derpatensi, Lubanensi, Velonensi Capitano &c, &c, &c. ab Apolline Crosensi persolutum, atque a Gymnasio Crosensi Collegii Chodkiewiciani Societatis Jesu tanquam munificentissimo Erectori oblatum. Vilnae typis Academ. Societatis Jesu. Anno Domini MDCXIX. — 4⁰, paginae 35 non signatae, et circum circa ornamento typographico instar taeniae obductae. Poema hoc panegyricum, non suo, sed suorum in Collegio Crosensi discipulorum nomine, J. Carolo Chodkiewicz obtulit poeta. Titulum sequente pagina habetur imago stemmatis Chodkieviciani, sub imagine vero epigramma (nostr. edit. num. 127). Paginae tertia et quarta habent litteras dedicatorias ad Palatinum. Porro habentur viginti epigrammata, si spectes nostram editionem, hoc ordine collocata: 88, 128, 129, 130, 131, 132, 133, 134, 89, 71, 72, 135, 136, 137, 138, 139, 140, 141, 142, 143. — Pagina 13ª tale continet elogium: „Primae aetati | Illustriss. D. Joannis | Car. Chodkiewicz Comitis | in Szklow, Mysz & Bychow &c | Palladiae et Mavortiae Coronae | Principis | ob gloriosam palaestrae Appollinar. palmam | ob | egregium morum et generosissimae indolis in castris Pallad. militantib. specimen datum | ob | insignem in suos, patriam, Deum, pietatem. | Collegii Chodkiewiciani | Crosensis, Societatis Jesu | studiosa juventus | ejusdem Illustrissimae aetatis | miratrix et cultrix | hoc | perenne obsequii et perpetuae pro | erecto gymnasio gratitudinis | monumentum | CC. DDQ. | Perlege basim, lector." — Pagina 14ª continet tantummodo epigramma (nostr. ed. num. 144) — Pagina 15ª tale habet elogium: „Maturae juventuti | Illustris. D. Jo. Car. Chodkiewicz | Comitis in Szkłów, Mysz et Bychow | ob | invictam animi fortitudinem | indefessam in necessariis reip. temporibus operam | inextinctum patriae et ecclesiae defendendae ardorem | immortalem regno Poloniae partam glo-

riam | insignes de hostibus triumphos | Gloria | fortunae domina, virtutis | comes, immortalitatis haeres | hoc | praeclarissimis rebus ante annos | virumque gestis incisum ornatumque | marmor | victurum | perennaturum | CLLC. VVQ. | Haec lege, noris ut illa." — Pagina 16a habet epigramma (nostr. ed. num. 145.) — Pagina 17a tale continet elogium: „Virili aetati | Illustriss. D. Joannis Car. | Chodkiewicz Com. in Szkłow | Mysz & Bychow Palatini | Vilnen. M. L. D. | Supremi exercitum ducis, Gubernatoris | Livoniae &c. &c. &c. | amatoris, defensoris | patris patriae | ob | heroicam domi militiaeque spectatam virtutem, perpetuam in S. Re|giam Majestatem observantiam, effusam in Divinae gloriae | religiosarum familiarum litterarumque augmentum, | munificentiam | ob bella contra acerrimos hostes in Moldavia, Livo|nia, Moscovia felicissimis proeliis | confecta | hanc perennem molem in perenne amoris obsequium | universum Crosense Gymnasium Chodkievi|ciano nomine illustre, tutela securum | beneficentia fundatum | locari atque incidi curavit. | Haec miraturis." — Tria haec elogia in editione Naruszevicii paulo aliter enuntiantur. — Pagina 18a habetur epigr. (146. nostr. ed.) — Reliquas hujus libelli paginas occupat poema, quod nos impressimus pag. 273-285. [Ossol. num. 2884.][1])

Hymenodora, Honore et Gloria internunciis, almae Academiae Vilnensis nomine illustrissimis sponsis D. D. Joanni Stanislao Sapieha M. D. L. Curiae Marschalco, Slonimen: Mscibovien: Jasuonen: Bludzinen: &c. &c. Capitaneo, & D. D. Annae Chodkieviciae, Illustrissimi D. D. Joannis Caroli Chodkiewicz, Palatini Vilnensis M. D. L. Exercituum Ducis, Livoniae Gubernatoris, Comitis in Szklow, Mysz & Bychow, Derpatensis, Lubenensis, Velonensis Capitanei &c &c &c, Filiae oblata.

Chronostichon:

fortVna LVDente, sonant hyMeneia sponsI
arbiter e sVperis prosperet ergo pLagis.

---

1) Verba ejusmodi [ ] uncis signis identidem inclusa denotabunt bibliothecas, in quibus exemplaria editionis, de qua sit sermo, inveniantur: Ossol. i. e. bibl. Ossolinsciana Leopoli; — UL i. e. Universitas Leopol.; — Jagel. i. e. bibl. Jagellonica Cracoviae; — Czartor. i. e. Princ. Czartoryski Cracoviae; Litt. i. e. Academia Litterarum Cracoviae. — Wols. i. e. Sigism. Wolski Varsaviae; Krasin. i. e. Comit. Krasiński Varsaviae; — Zamoj. i. e. Comit. Zamojski Varsaviae; — Dzik. i. e. Comitis Tarnowski in Dzików; — Kórn. i. e. bibl. Kórnicensis in Ducatu Posnaniensi; — Star. i. e. Colleg. S. J. Staraviesiae; — Tarn. i. e. Colleg. S. J. Tarnopoli; — Nation. i. e. bibl. Nationalis Parisiis. — Frib. i. e. bibl. Friburgi in Helvetia; — Brit. i. e. Musaeum Brit. Londini; — Oxf. i. e. Bodleian Library Oxford. — Oenip. i. e. Universitas Oeniponti in Tyrolio.

4⁰, 8 folia, sine loco et anno. [Ossol. num. 6062.] Libellus hic impressus est a. 1620 Vilnae typis Academiae S. J. Complectitur praeter dedicatorias litteras, ea carmina, quae nos ex editione Naruszevicii posuimus pag. 360—364., ac postmodum ex exemplari Ossolinscianæ bibl. supplevimus pag. 548—550.

Sacra Lithothesis, in prima templi Magnae Virgini Matri dedicati erectione, a Patribus Collegii Crosensis Societatis Jesu, liberalitate Illustrissimi Domini D. Joannis Caroli Chodkiewicz, Palatini Vilnensis, regni Poloniae adversus hostiles Turcarum copias & M. D. Lith. Exercituum Ducis, Livoniae Gubernatoris, Comitis in Szkłów, Mysz et Bychow &c., Derpatensis, Lubanensis, Velonensis &c. &c. Capitanei &c., fundati auspicato celebrata, ab ejusdem collegii Chodkieviciani studiosa Iuventute descripta, & honori ejusdem Liberalissimi Fundatoris oblata. Vilnae, typis Academicis Societatis Jesu anno Domini 1621. — sine nomine auctoris, 4⁰, 12 folia, cum quinque imaginibus aere expressis. Libellus iste praeter haec, quae Naruszewicz anno 1757 vulgaverat, quaeque nos eundem secuti pag. 364—367 legenda dedimus, continet etiam illa carmina, quae pag. 550—553 supplevimus. [Czartor.]

Quatuor Leucae Virginis Matris, seu publica ac solemnis in aedem B. Virginis Matris Trocensem processio, odis IV expressae. Antverpiae. Monti 1624. — Libellum hunc nunquam vidimus, mentio autem ejus habetur p. II. pag. 108. libri „Bibliotheca Mariana“ (auctore P. Hippol. Marracio. Romae typ. Franc. Caballi 1648.) Continet illas odas ante a. 1622 scriptas, quae reperiuntur pag. 221—235 nostr. edit.

De Divino Amore epigrammata, circa a. 1623 Tarquinio Gallutio S. J. oblata ab auctore (cfr. pag. 425 nostr. ed.) Num hodie quoque ille priscus codex manuscriptus exstet, non constat. Complectebatur autem certe eadem carmina, quae initio libri Epigrammatum continentur.

Aureum saeculum, Urbano VIII Pontifice Opt. Max. orbi invectum anno MDCXXIII. Matthiae Casimiri Sarbieschi e Societ. Jesu. Poema hoc epicum prima vice a nobis impressum pag. 345—359, refictum est a Sarbievio e simili poëmate, quod ille ante 5 annos Episcopo Kiszka dedicaverat. (Vide pag. 329—345. nostr. ed.) Oblatum est autem mense Octobri a. 1623 hoc praecise tempore, quo is Pontifex coronatus erat; quod potest colligi ex quarta stropha odae 1. lib. I. Lyr. (cfr. pag. 3. nostr. edit.)

Stanislaus Windakiewicz Polonus, litteris impense deditus vir, cum anno 1888—89 varia Romae archiva ac potissi-

mum Vaticana perscrutaretur, incidit in bibliotheca Principum Barberini in tres codices manuscriptos, qui ad originem plurimorum Sarbievii poëmatum explicandam momenti sunt haud exigui. Codices hi servantur ibidem sub num: XXX.178—XXX.14.—XXX.28.; omnes autem continent carmina Sarbievii Romae scripta. Hos ergo libellos D. Windakiewicz non solum acri cogitatione indagavit, verum etiam accurate ac sollerter in separatis chartis consignavit. Quae annotationes et viro illi docto materiam suppeditarunt ad elucubrandum de Sarbievio commentarium, quem suo loco indicabimus, et nobis benevole mutuatae hunc librum insigniter auxerunt.

Sed ut redeamus, unde sumus digressi, poema „Aureum saeculum" continetur integrum et in codice XXX.178 et pariter in codice XXX. 28., textus autem utriusque non omnino concordat. Et primo quidem codex XXX. 28. manu nescio cujus exaratus, continet carmina diversorum auctorum in laudem recens creati Pontificis Urbani VIII composita, inter quae pag. 27—37 locum obtinuit „Aureum saeculum" Sarbievii. Porro codex XXX.178 ille idem est, quem Sarbievius Pontifici obtulit, et, ut videtur, sua ipsius manu exaravit. Est autem elegantissimus: in titulo praeter alia ornamenta, cernitur monogramma Jesu, insigne S. J., et Apes, gentis Barberinae tessera; involucrum molle e charta pergamena, in quo notum S. J. signum auro expressum est. Illo itaque codex XXX. 178 includit poëma „Aureum saeculum" primis viginti paginis, reliquis vero 32 paginis complexus est „Lyricorum ad Urbanum VIII librum" videlicet primum, de quo mox tractaturi sumus. Quod si attente consideretur illa stropha „Meque veraci cecinisse..." (cfr. pag. 3. nostr. ed.), quae jam etiam in hoc codice XXX.178 habetur in oda 1 libri I ad Urbanum, manifestum fit, poëma „Aureum saeculum" decantatum fuisse mense Octobri 1623, librum vero primum Lyricorum demum post aliquot saltem menses esse compositum. Unde sic concludo: Textus poëmatis „Aureum saeculum", quem aliquis sibi in codice XXX.28 descripserat, est primitivus, prout mense Octobri decantatus fuit; postea vero, ubi Sarbievius librum Lyricorum composuit, etiam „Aureum saeculum" emendavit, emendatum in codice XXX.178 una cum libro Lyricorum complexus est, et Pontifici obtulit. Nos epicum hoc poëma pag. 345—359 juxta codicem XXX. 178 legendum proposuimus, locos autem variantes pag. 546—548 ex codice XXX.28 depromebamus.

Lyricorum ad SS. D. N. Urbanum VIII Pont. Opt. Max. Liber. Matth. Casimiri Sarbieschi e Societ. Jesu. — De

hoc odarum libro, qui codice XXX.178 pag. 21—52 continetur, sufficient ea, quae modo dixeramus. Collocavimus illum pag. 554—557 nostr. ed.

Porticus Honoris, per quam Franciscus Cardinalis Barberinus ad delubrum Honoris poetico opere in Romano Societatis Jesu collegio exstructum ingressus est. — Quae Sarbievii carmina illo opusculo contineantur, discere poterit lector pag. 561—565 nostr. edit. Habentur autem eadem in codice manuscripto XXX.14 Bibl. Princ. Barberini., inter alia poëmata tam latina quam italica, in laudem familiae Barberini a diversis auctoribus concinnata.

Ferdinandi II Herculis Germanici Trophaeum, philosophicas inter disputationes Sigifridi Christophori Straus ab Haiderstorff Austriaci Viennensis Coll. Germ. et Hung. alum. decantatum in Coll. Romano Societ. Jesu. Apud Alexandrum Zannettum 1624. — editus Romae, 4^0, pag. 20; titulus cum pictura aere expressa. [Nation. num. Yc.1183 et Yc.1189] Vide pag. 566—568 nostr. edit.

Sapientiae Divinae radiis coronatae Ludovisianus Dithyrambus in Coll. Rom. decantatus inter philosophicas theses Pauli Frigerii Romani. — 4^0, pag. 15, titulus cum pictura aere expressa, sine nomine auctoris. — Libellus hic impressus Romae anno saeculari 1625, non est nobis notus, nisi ex opere P. de Backer S. J. Continet certe illam oden, quae habetur pag. 208 nostr. edit., et fortassis alias. Quis fuerit Frigerius, consule Indicem.

Matthiae Casimiri Sarbieschi e Soc. Jesu ad Urbanum VIII Pont. Opt. Max. Lyricorum lib. II. — Liber hic, repertus in codice MS. XXX.14. Bibl. Princ. Barberini Romae, quas contineat odas, videri potest pag. 558-560 nostr. edit. Obtulit illum Urbano poëta anno 1625, cum ex Urbe in patriam rediturus, benedictionem ab eo peteret. Id colligi potest ex inscriptione odes quintae, pag. 559. nostr. ed.

Pompa nuptialis ... Libellus hic satis superque descriptus est a nobis pag. 568—570.

Serenissima / Polonorum atque Suecorum Princeps / Anna Catharina / Constantia / Divorum (?) Sigismundi et Constantiae Regum Filia / Serenissimi ac Invictissimi Poloniarum ac Sueciae Regis / Vladislai IV. Soror. / Tot Caesarum, tot Regum sanguis / ac haeres, / tanto illustrior, quanto nobiliores omnium opes possedit. / Patriam atque avitam Purpuram

| non | sine avitis patriisque virtutibus induit. | Nullis cognatorum Principum non conspicua ornamentis | Si ea solum, quae armorum sunt, exemeris. | Quam | unicam gloriam cum ei natura denegasset | ita | leniores virtutes ad summum officii apicem perduxit, | ut quae in aliis privatae essent, eas & heroicas & regias effecerit. | Egregium tot decorum conflictum, | in Europae spectaculum eduxit. In quo | cum Magnitudine Modestia, cum Gravitate Humanitas, cum Facilitate Constantia, cum summa Fortuna animi Moderatio | de principatu certarent | nisi Religio & Pietas | prima Austriacae Jagelonicaeque domus decora | possessam tot saeculis imperii haereditatem praescripsissent. | Beatam te Sarmatia | quae | ut Orbis oculos in te converteres | tantas in Tua Purpura virtutes ad miraculum aluisti. — Vilnae, Typis Academicis Societatis Jesu. Anno 1636. — fol. — In bibliotheca Jagellonica Cracoviae asservatur una tantummodo charta cum hoc titulo, cui nescio a quo adscripta est saeculo XVII vel saltem XVIII antiqua annotatio: „Quoniam adm. Serenissima regina, soror germana regis Wlad. 4. adfuit promotioni R. P. Sarbiewski, hoc carmen illi tunc oblatum." Utinam carmen istud deperditum in aliqua bibliotheca integrum inveniatur! — De hoc poemate Sarbieviano certiores nos fecit Romualdus Koppens S. J., cujus ope in nostro labore non raro usi sumus.

Lechias, poëma heroicum, in duodecim libros ad instar Aeneidos divisum, quo Sarbievius adventum Lechi in Poloniam, varios proeliorum exitus, jacta reipublicae fundamenta eleganti carmine descripsit. Ut opus hoc esset omnibus numeris absolutum, per decem amplius annos operam ei impendit suam; et nisi mors laborem istum abrupisset, sicut in lyrica poesi Horatius, ita procul dubio in heroica Virgilius, judicio doctorum, rivalem nactus esset Sarbievium. Post obitum auctoris poema hoc nondum plane perpolitum interiit, cum magno rei litterariae damno, quippe quod pluribus antiquitatis monumentis refertum, non poeseos tantum, sed historiae etiam patriae amatoribus perutile futurum esset. Ejus fragmentum in bibliotheca Domus Professae Vilnensis S. J. olim repertum, et a Franc. Bohomolec a. 1769 publici juris factum, a nobis pag. 319—328 iterum typis expressum est.

* * *

Anno 1625 antequam Roma in patriam rediit Sarbievius, odas suas eodem, quo Horatius modo, in libros Lyricorum distribuere coepit. Eo fine carmina illa, quae in Polonia ac

potissimum Romae in laudem Urbani VIII, Ferdinandi II, et Cardinalis Franc. Barberini more panegyristarum insulso composuerat, nunc denuo, maturescente ingenio, penitus transformata in pulcherrimum ordinem grata varietate redegit.

(1625) — Prima Lyricorum editio, quae inscio, ut videtur, auctore, prodiit Coloniae, formam habet 12, pag. 8 & 196, primam vero paginam ornatam imagine aere expressa. Imago exhibet Musam sedentem et tenentem dextra manu lauream coronam, sinistra lyram, in cujus superficie inscriptus est titulus libri: *Matthiae Casimiri Sarbivii e Soc. Jesu Lyricorum libri tres.* Sub imagine Musae haec leguntur: *Coloniae Agrippinae sumptibus Bernardi Gualteri Anno 1625.*— Pagina tertia quarta et quinta continent epistolam Stanislai Piratyński, equitis Poloni, dedicatoriam ad Nicolaum Vejerum, Palatini Culmensis filium (vide Lyric. I. 9.) qui Romae confectis studiis, amicitiaque cum Sarbievio inita, redux in patriam Coloniae aliquo tempore commoratus est. Ut ex epistola illa constat, Marcus Golenius (Goleński?) adolescens Polonus, haec Sarbievii carmina Romae descripta Coloniam secum attulit, suisque popularibus, studiis ibidem operam dantibus, ostendit. Quibus haec lecta adeo placuerunt, ut Piratyński non dubitaverit a Golenio licet reluctante codicem manuscriptum extorquere et typis vulgare. Rara haec editio, si cum nostra comparetur, continet in libro I Lyr. odas: 1, 2, 4, 6—9, 11—17, 19—23; in l. II. odas: 1, 2, 11—14, 17—28; in l. III. odas: 1—3, 10—23, 28, 32; in lib. Epod. odas: 1, 6; in libro Epigram. numeros: 1—5, 7—55, 194, 56—60, 195, 67—78, summatim octoginta epigrammata. In decem ultimis libri paginis positae sunt quatuor odae: scl. lib. I. od. 3, 5, 10, 18, juxta nostr. edit. Quatuor his odis praemissa est sequens annotatio: „Typographus lectori. Ne mireris benevole lector, quod quatuor hae odae cum Epigrammaton libro sint connexae, cum locus illis in Lyricorum vel Epodon libris non solum secundum auctoris mentem, sed etiam tuam exspectationem debeatur. Nam illi, cum hae ad manus nostras ab auctore missae pervenirent, typum excesserunt. Et tamen propter concinnitatem in iis elucescentem non erant omittendae. Quapropter his adjecimus.“ Sed haec annotatio pluribus in exemplaribus sic modificata reperitur: „Typographus lectori. Odae, quae sequuntur, quia ad manus nostras a Piratinio equite pervenere sero, typum effugerant. Et tamen propter sublimitatem styli non erant omittendae. Quapropter his adjecimus.“ Haec autem immutatio, durante typographi labore, ideo ab editore de industria facta esse vide-

tur, ne quis lector in errorem induceretur, Sarbievium ipsum has odas misisse, immo editionem totam procurasse. — [Utrumque exemplar sic variatum: Ossol., Jagel.]

Varsaviae in bibliotheca Comit. Krasiński num. I.6.378.f. asservatur liber cum hoc titulo: *Matthiae Cas. Sarbiewski e Societate Jesu Lyricorum libri tres, Epigrammatum liber unus. Coloniae Agrippinae. Sumptibus Bernardi Gualteri, anno MDCXXV.* In titulo non habetur imago Musae, cernitur autem monogramma Christi, et hoc tale quidem, quale libri typis Academiae Vilnensis impressi praeseferre solent. Exemplum hoc in bibl. Comit. Krasiński existens, ab aliis editionis Coloniensis exemplaribus non differt, nisi in primis aliquot et ultimis chartis, quae in officina Academiae Vilnensis impressae, reliquo corpori adjectæ sunt. Patet hoc ex eo, quod in hisce chartis qualitas papyri et typorum plane est alia: medium vero librum si compares cum Coloniensi, ne minimum quidem discrimen deprehendes. Omissa est hic etiam Piratinii ad Nicolaum Vejerum epistola, cujus locum occupat approbatio Joannis Jamiełkowski S. J. Praepositi Lituanicae provinciae; quin imo et monitum illud lectoris, quod typographus Coloniensis pag. 186 posuerat, omnino praetermissum est.

(1628) — *Matthiae Sarbiewski e Societate Jesu Lyricorum libri III Epigrammatum liber I. Superiorum permissu. Vilnae. Formis Academicis Societatis Jesu. Anno Christiano MDCXXIIX.* — 12⁰, pag. 4 et 247. Haec priori quidem cedit elegantia, sed auctior est. Accesserunt enim libri III odæ: 24, 25, 29; item epigrammata: 6, 79—111, 113—119. [Dzik., Czartor., Zamoj., Wols., Kórn.]

Editio Vilnensis 1629, de qua Esterreicher, dubia esse videtur?

(1630) — *Matthiae Casimiri Sarbievii e Societate Jesu Lyricorum libri tres. Editio tertia auctior. Epigrammatum liber unus. Superiorum permissu. Antwerpiae typis Joannis Cnobbari MDCXXX.* — 12⁰, pag. 215. Editio nitida et typorum charactere eleganti exscripta, satisque accurata, tituloque aere expresso. Dicata est Chrysostomo van der Sterre, S. Michaelis Antverpiae Canonicorum Praemonstratensis coenobii Abbati. Auctus est liber III odis 4—9, lib. Epodon oda 7. [Jagel., Litt., Czartor., Krasiń., Zamoj., Wols., LU.] —

(1631) — *Mathiae Casimiri Sarbievii Lyricorum libri IV, Epodon lib, unus alterque Epigrammatum. Lugd. Batav. Ex*

officina Elzeviriana anno *ↃIↃIↃCXXXI.* — 16°, pag. 236. cum titulo aere expresso. (Ex relatione P. Sommervogel S. J.)

Editio Calissiensis 1631, de qua Esterreicher, dubia esse videtur.

(1632) — *Mathiae Casimiri Sarbievii e Soc. Jesu Lyricorum libri IV. Epodon liber unus, alterque Epigrammatum. Antwerpiae ex officina Plantiniana Balthas. Moreti MDCXXXII. Cum privilegiis Caesareo et Regio.* — 4°, pag. 336. (Ita Langbein). Elegantem hanc et rarissimam editionem, cujus exemplaria jam praeterito saeculo in venditionibus publicis ab aestimatoribus magna saepe vi pecuniae comparabantur, procurarunt PP. Societatis Jesu Antverpienses, eamque Urbano VIII dedicatam voluerunt. Quod et auctoris praestantia, et personae cui dedicabatur, dignitas exigebat, id hac vice provisum est, ut liber, quantum pro temporum illorum subsidiis fieri potuit, splendidus et ornatus quam maxime appareret. Titulum ornat egregia pictura, quam celeberrimus Rubens delineaverat, et Corn. Galle in aere exciderat. Litterae dedicatoriae ad Urbanum VIII a Patribus S. J. Antverpiensibus datae praefiguntur operi. Accessit libro III ode 31 ad Moretum, accessit ad tres priores Lyricorum libros etiam quartus, triginta sex odis constans; accesserunt denique Epodon odae 2—5. Non tamen reperiuntur amplius illa epigrammata in edit. Coloniensi et Vilnensi lecta, quae nos posuimus num. 147, 194 et 195. Ad calcem libri addita sunt 15 poemata in Sarbievii laudem variis metris concinnata a quatuordecim S. J. doctissimis viris, quorum Nicolaus Kmicic (vide in Indice: Nicoleus) Polonus, alter Gilbertus Joninus Gallus, reliqui Belgae exstitere. Poemata haec talem gerunt titulum: „Ad Matth. Casim. Sarbievii e Soc. Jesu Lyricorum libros Epicitharisma, sive eruditorum virorum ad auctorem poemata.“ Porro neque illud praetereundum est, facultatem imprimendorum Sarbievii carminum a R. P. Nicolao Lancicio, Provinciae Lituanae Praeposito concessam, Epicitharismatis autem approbationem a Gaspare Estrix Antverpiensi censore datam fuisse, et ne alii cuipiam haec praeter Moretum typis vulgare liceret, Imperatoris Germ. et Hisp. regis Philippi IV privilegio praecautum est. Quis fuerit Moretus, consule Indicem. [Litter., Czartor., Wols., Zamoj.]

(1634) — *Mathiae Casimiri Sarbievii Lyricorum libri IV, Epodon lib. unus alterq. Epigrammatum. Antverpiae ex officina Plantiniana Balthasaris Moreti MDCXXXIV.*— Titulus cum pictura aere expressa; pag. 236. praeter tres ultimas,

in quibus censurae et approbationes. Forma 12°; litterarum charactere minusculo exscripta editio. In ea primum prodiere: lib. II. 15. 16; III. 29, 30; IV. 37, 38; Epod. 8—12. Caeterum habet dedicationem Urbano VIII eandem ac prior et Epicitharisma.— [Jagel., Czartor., Wols., Zamoj., Dzik., Kórn.]

(1643)— *Matthiae Casimiri Sarbievii Soc. Jesu, Lyricorum lib. IV. Epodon lib. unus, alterque Epigrammatum. Romae apud Herm. Scheus, sub signo Reginae 1643. Super. permissu.*— 12°, pag. 299.— ultima libri pagina habet verba: *Romae, typis Ludovici Grignani.* — Repetitio editionis antecedentis, scilicet quatuor libri Lyr. constant tot odis, quot in nostra editione; lib. Epod. tantum 12 odis; liber Epigr. tantum 119 epigrammatis; ad calcem libri habetur Epicitharisma.—[Czartor., Zamoj., Wols., Tarn.]

(1645) — *Matthiae Casimiri Sarbievii e Soc. Jesu, Lyricorum libri tres, Epigrammatum liber unus. Divione* (Dijon) *apud Petr. Palliot, Typogr. regis, bibl. et chalcograph. sub signo Rignae pacis MDCXLV.* — 12°, pag. 215.— Editio haec dedicata Fevreto, Parlamenti Advocato, est quidem elegans, verum minus completa. In libro tertio desunt odae 29—31, et totus IV liber desideratur. Librum Epodon conficiunt tres odae: 1. 6 et 7. Libro Epigrammatum vero duo illa epigrammata addita sunt, quae in Antverpiensi anno 1632 desideravimus. Deest etiam Epicitharisma et epistola ad Urbanum VIII.

(1645)—Idem. *Mediolani ex typographia Jo. Petri Ramellati ad instantiam Antonii Petrarchae bibliopolae MDCXXXXV.* — 12°, pag. 12 et 264.; repetitio editionis Antverpiensis 1634; initio tamen addita est ode ad Honoratum Vicecomitem (vide pag. 369. nostr. ed.), quae in posterioribus editionibus praetermittur, donec iterum impressa est Parisiis a. 1665. [Nation. num. Yc.9703; Wols., Czartor., Zamoj.]

(1646) — *Mathiae Casimiri Sarbievii Lyricorum libri IV, Epodon lib. unus, alterq. Epigrammatum. Antverpiae ex Officina Plantiniana Balthasaris Moreti MDCXLVI.* — 16°, pag. 236. Sequitur editionem anni 1634, ita ut paginae paginis respondeant. [Dzik].

(1647) — *Mathiae Casimiri Sarbievii, Lyricorum libri IV, Epodon lib. unus, alterq. Epigramatum. Juxta exemplar Antverpiense. Lutetiae Parisiorum, apud I. Henault via Jacobea & in Palatii Aula Delphina via ad insigne Angeli Custodis MDCXLVII. Cum privil. R.* — 12° pag. 236 et 1. — Titulus aere excusus, similis illi qui in edit. Antverp. 1634,

Immo tota haec editio sequitur Antverpiensem, ita ut paginae paginis respondeant. [Nation. tria exempla; Krasiń. num. I. 6.378.g.]

(1647) — *Mathiae Casimiri Sarbievii Lyricorum libri IV, Epodon liber unus, alterque Epigrammatum, nunc primum in Gallia editi integre, nitide et emendate, iuxta exemplar Antverpiense.* (Imago SS. Trinitatis aere excusa, typographiae insigne) *Parisiis, apud Gasparum Meturas, via Jacobaea, sub signo SS. Trinitatis. MDCXLVII.* — 12⁰, pag. 339 (ita Langbein; auctores discrepant circa numerum paginarum.) [Zamoj. num. S.718; Nation. duo exempla scl. num. pYc1209 & Yc9707.]

(1647) — *Matthiae Casimiri Sarbievii, e Societate Jesu Lyricorum libri tres, Epigrammatum liber unus. Divione, apud Petrum Palliot typogr. Regis bibl. et calcogr. sub signo Rignae Pacis. MDCXLVII.* — 12⁰, pag. 215. — [Nation. num. Yc.9706.]

(1647) — Alia editio Divinionensis [bibl. Kórn.] duplicem praesefert titulum: Prima pagina aere expressa exhibet genios, quorum aliqui variis instrumentis musicis concinunt, duo vero sustentant evolutum librum, cui haec verba inscripta leguntur: *Matthiae Casimiri Sarbievi e Societate Jesu, Lyricorum libri V Epigrammatum liber unus.* Infra cernitur scutum a duobus geniis sustentatum, in cujus quadripartita area depictum est stemma familiae, ut videtur, Fevret. Pars infima pagellae habet scutum oblongum, cui sequentia verba inscripta sunt: *Divione apud Petrum Palliot Typog. Regis. Bibl. et Calcograph. sub signo Rignae* (sic) *Pacis. MDCXLVII.* — Altera pagina hunc habet titulum: *Matthiae Casimiri Sarbievii Lyricorum libri V. Epodon liber unus, alterque Epigrammatum cum Epicitharismate. Nunc primum in Gallia editi, integre, nitide et emendate juxta exemplar Antverpiense.* Infra cernitur imago Virginis Matris cum Divino Infante, et cum duobus geniis coelestibus, supra Deiparae caput coronam tenentibus. Infra haec leguntur: *Divione, apud Petrum Palliot, typographum regis, & Episc. Ling. Bibliopolam, Calcographum, sub signo Reginae Pacis, ante Cameram Rationum Regiarum. MDCXLVII.* — 12⁰, pag. 390. Editio haec dedicata est Fevreto, Parlamenti Advocato.

(1647) — *Cracoviae ex Officina Fr. Caesarii anno 1647* prodiit aliqua editio, J. Zamojscio dedicata, in qua textui Sarbievii latino adjecta est versio polonica, facta a Libicki; eodem tomo complexus est editor suam etiam versionem Horatii.

(1648) — *Matthiae Casimiri Sarbievii Societat. Jesu, Lyricorum libri IV. Epodon lib. unus, alterq. Epigrammatum. Coloniae Ubiorum, apud Iodocum Kalcovium MDCXLVIII. cum privilegio Caesareo.* — 12⁰, pag. 423., titulus aere expressus. Habetur in ea Epicitharisma, omissa est tamen epistola ad Urbanum VIII. Mylius (Suppl. Theatr. Anonym. Placcii part. D. c. 2. p. 29) occasione hujus editionis dicit, opus hoc impressum esse non Coloniae sed Amstelodami apud Joannem Blaeu, qui ideo tali fraude usus est, ut etiam a pontificibus emerentur libri ab eo impressi. [Zamoj.]

(1648) — ... *Lyr. libri IV ... Parisiis, Meturas 1648.* — 12⁰, Editor P. Ph. Labbe. (Ita P. de Backer et Estreicher).

(1648) — ... *Lyricorum libri IV... Antverpiae 1648.* — [Oxf.]

(1652) — ... *Lyricorum libri IV,.. Coloniae, Marschen 1652.* Ita Estreicher et P. Brown. — P. de Backer vero scribit: *Coloniae apud God. Meucher 1652.*

(1653) — ... *Lyric. IV.... Coloniae Ubiorum apud Jodocum Kalcovium 1653.* — 24⁰, pag. 20 et 433. (Ita: Brown, de Backer, Estreicher).

(1657) — *Matthiae Casimiri Sarbievii Soc. Jesu Poemata. Lutetiae Parisiorum apud J. Hénault 1657.*—16⁰, (Ita refert P. Sommervogel S. J. in litterris privatis ad nos datis.)

(1659) — *Mathiae Casimiri Sarbievii Societ. Jesu Lyricorum libri IV. Epodon lib. unus, alterq. Epigrammatum. Coloniae Ubiorum apud Jodocum Kalcovium. MDCLIX. Cum privilegio Caesareo.* — 16⁰, titulus aere expressus. Hujus editionis exemplar, quod in bibl. Jagell. observavimus, sequitur editionem Colon. 1648 ita, ut paginae paginis respondeant; habet 423 paginas numeratas, ac praeterea 22 paginas numero carentes, in quibus continetur privilegium Caesareum, Index locorum communium et Errata. [Litter., Wols.]

(1660) — *Matthiae Casimiri Sarbievii Societat. Jesu Lyricorum libri IV. Epodon lib. unus alterq. Epigrammatum. Anno Christi MDCLX.* — 12⁰, pag. 524. titulus partim nigro, partim rubro colore expressus, sine imagine; sine loco et typographia, sed quantum ex dedicatione et typorum forma colligere licet, Wratislaviae haec editio prodiit. Integra et vitiorum pura est, quamvis non splendida. Si epistolam ad Urbanum excipias, omnia integra habemus. [Wols., Krasiń. num. 1.6.378.b., Frib., Kórn.]

(1665) — *Odae R. P. Matthiae Casimiri Sarbievii e Societate Jesu clarissimi poetae lyrici, quae in libris Lyricorum non habentur, nec uspiam hactenus fuerunt excusae; ad clarissimum virum Henricum Ludovicum Habertum Monmorium, Libellorum supplicium Magistrum integerrimum. Parisiis, apud Joannem Henault, bibliopolam iuratum, via Jacobaea, sub signo Angeli Custodis. M.DC.LXV. Cum privilegio Regis Christianissimi.* — 12⁰, pag. 24, in titulo monogramma Jesu, insigne S. J., aere excusum. Rarissimus hic et bibliographis ignotus liber, cujus exemplar exstat Parisiis in bibl. Nationali num. Yc1242, continet primum litteras bibliopolae ad Monmorium dedicatorias; dein carmen „De septem odis R. P. Mathiae Casimiri Sarbievii S. J. nondum publicam in lucem editis, ab Hadriano Jordano ejusdem Societatis, in Polonia recens recuperatis, Ode" — ac tandem ipsius Sarbievii odas, nempe: ad Vicecomitem (vide nostr. edit. pag. 369—373), et eas, quae in libro Epod. nostrae editionis habentur num. 17, 19, 13, 14, 15, 20,

(1668) — ... *Lyric. lib. IV... Venetiis apud Paulum Balleonum 1668.* — 12⁰ (Ita P. de Backer et Estreicher).

(1669) — ... *Lyricorum libri IV.... 1669.* — 12⁰, sine loco typogr., reipsa autem Vratislaviae. (Ita Encycl. Orgelb., Estreicher, P. Sommervogel S. J.)

Editio Calissiensis 1680, de qua Estreicher, dubia est.

(1681) — *Matthiae Casimiri Sarbievi e Societate Jesu Lyricorum libri tres, Epigrammatum liber unus. Superiorum permissu, Calissii, typis Collegii Societatis Jesu MDCLXXXI.* 12⁰, pag. 404. — Sic quidem legitur in titulo hujus editionis, ipse tamen liber exhibet omnia, quae habentur in ed. Antverpiensi 1634, excepta sola epistola ad Urbanum VIII. — [Star., Litter., Krasiń., Zamoj., Wols., Körn.]

(1682) — *Mathiae Casimiri Sarbievii, Lyricorum libri IV. Epodon lib. unus alterq. Epigrammatum. Coloniae sumptibus Godefridi Meucheri cum privilegio S. Caesareae Majestatis. 1682.* — 16⁰, titulus cum imagine aere expressa, simili iis, quales in Moreti editionibus cernuntur. Habet 423 paginas, quibus, excepta epistola ad Urbanum VIII, omnia continet, quae leguntur in ed. Antverp. 1634. Praeterea ultimae 20 paginae non numeratae complexae sunt Indicem locorum communium et Privilegium Caesareum. Sequitur editionem Coloniensem 1648 et 1659, ita ut paginae paginis respondeant.

Admodum mendosa editio. [Czartor., Litter., Wols., Zamoj.; Vidimus exemplar bibl. Dzik.]

(1682) — Idem *Coloniae 1682.* (Ita Tromlerus: De Polonis latine doctis Diatribe, pag. 35.)

M. C. Sarbievii Odae, Lipsiae 1683, — 8⁰ (Ita Brown et Estreicher) — *Odae IV Lipsiae 1683* — 8⁰ (ita Tromlerus.)

(1684) — *M. C. Sarbievii Lyricorum libri IV, Epodon liber unus, alterque Epigrammatum. Londini 1684.* — 12⁰, (Ita PP. Brown et de Backer).

(1684) — *Mathiae Casimiri Sarbievii Lyricorum libri IV Epodon liber unus alterque Epigrammatum. Adjicitur Epicitharisma, sive eruditorum virorum e Societate Jesu in authorem poemata. Cantabrigiae apud Ricardum Green MDCLXXXIV.* — 12⁰, pag. 239. Editio haec facta ad normam Antverpiensis 1634, continet etiam dedicationem Urbano VIII. [Czartor., Wols., Brit.]

(1689) — Idem *Cantabrigiae apud Green 1689.* — 12⁰, pag. 239. (Ita P. de Backer, P. Brown & Estreicher).

(1689) — Idem *Coloniae Ubiorum, apud Jodocum Kalcovium 1689.* — (Ita P. Brown, P. de Backer et Estreicher).

(1689) — Idem *Coloniae sumptibus Meucheri 1692.* — 12⁰, (Ita Estreicher, item PP. Brown et de Backer).

(1692) — Idem *Coloniae, sumptibus Meucheri 1692.* — 12⁰. (Ita P. de Backer).

(1697) — *Mathiae Casimiri Sarbievii Societatis Jesu Lyricorum libri IV. Epodon liber unus, alterque Epigrammatum. Rhetoricae Alumnis ejusdem Societ. D. Venetiis MDCXCVII. Ex typographia Laurentii Basilii. Superiorum permissu ac privilegio.* — 12⁰, pag. 299. [Wols., Brit.]

(1721) — *Horatius Sarmaticus, sive Matth. Casimiri Sarbievii Lithuani S. J. Theologi et poetarum omnium facile principis, Lyricorum libri IV, Epodon lib. unus, alterque Epigrammatum, nec non Epicitharisma sive eruditorum virorum ad authorem poemata, hac editione novissima ab erroribus typhographicis summma cura emendati. Quibus nunc primum in commodum studiosae juventutis accesserunt: 1) Poesis Sarbieviana posthuma, lyrica aeque ac epigrammatica. 2) Selectarum ac elegantissimarum odarum ex optimis authoribus excerptarum libellus, quae variis libris ante hac dispersim*

editae, nunc in eodem congestae sunt. 3) Notae seu explicationes vocum plurimarum poeticarum in odas fere singulas. 4) Index rerum copiosus. Coloniae Agripp. sumptibus Joannis Everhardi Fromart bibliopolae 1721. Permissu superiorum et cum privilegio S. C. M. — 8⁰, pag. 424 et 16. — Editio haec multis scatens erroribus typhographicis, post epistolam PP. S. J. Antverpiensium ad Urbanum VIII, et post praefationem bibliopolae ad adolescentes studiosos, continet omnia poemata editionis Antverpiensis 1634, ne Epicitharismate quidem praetermisso. Post Epicitharisma habetur Auctarium, complectens carmina Sarbievii Posthuma, nimirum octo odas (nostr. edit. in libro Epod. odae 13—20) et viginti octo epigrammata (num. 120—147 nostr. edit.) Auctario illi praemisit editor praefationem, cujus sensum sic breviter referimus: Cum jam ad finem haec vergeret editio, monuit bibliopolam P. Joannes Michaël van der Ketten, ordinis S. Birgittae sacerdos, tres odas (scilicet Epod. 13—15. nostr. edit.) jam in Operibus Posthumis Lubienscii, Episcopi Plocensis, Antverpiae anno 1643 esse impressas; se praeterea habere alias quinque Sarbievii odas nemini cognitas, una cum 28 epigrammatis. (Ignorabant scilicet viri illi, odas has jam anno 1665 Parisiis apud Joannem Henault fuisse impressas). Haec itaque carmina una cum Sarbievii effigie a dicto sacerdote impetravit bibliopola, suaeque editioni tanquam Auctarium adjecit. — Porro ut ex eadem Praefatione constat, P. van der Ketten alia quoque opera de arte poëtica a Sarbievio soluta oratione scripta penes se habuit, quae idem Pater in Polonia commorans, per Lituanam S. J. provinciam sparsa, circularibus Patris Provincialis litteris undique per eandem provinciam missis collegit, ac tineis et blattis subducta, publicae luci et utilitati evulgare intendebat. Scripta haec in tres disposuit partes: quarum prior praecepta poëseos heroicae, lyricae, epigrammaticae et elegiacae complectebatur; altera fabulas seu deos gentium explicabat; tertia denique variam poesim Sarbievii posthumam exhibebat. In fronte totius operis propositum habuit praefigere poëtae vitam, nec non historiam repertorum operum eorundem. (In opere periodico Memoires de Trevoux mense Julio 1717 pag. 1202 hoc programma ita notificavit: „R. P. Sarbievii S. J. opera posthuma artem poeticam concernentia, in tres partes divisa, opera et curis R. P. Joan. Mich. Van der Ketten ord. S. Salvatoris, vulgo S. Brigittae Monast. Coloniens., in quo opere praemittitur vita illustris viri hujus et occasio librorum collectorum, quorum in parte I novem agunt de perfectione poeseos et

maxime carminis epici; liber unus de virtutibus et vitiis carminis elegiaci; denique liber unus de Arguto et acuto; libri tres de Charactere carminis lyrici. Pars II de Diis gentium deque scientiis artibusque praecipuis ex tabula theologiae ethnicae erutis. Partem III dabunt carmina ipsius posthuma, editis hucusque praestantiora; annectetur denique ejusdem authoris liber unus de Figuris sententiarum, poëtae non minus quam rhetori perutilis; opus item posthumum.“ — Utinam promissum opus apparuisset, vel saltem constet, num haec Patris van der Ketten scripta alicubi occultentur!) — Sed ut ad editionem Coloniensem Fromarti redeatur, haec habet adjunctas odas variorum auctorum selectas, quae fere omnes sunt panegyricae in S. Ignatium et Societatem Jesu. Notae sunt steriles, neque sufficientes ad capiendum summum vatem, ejusque veneres explicandas. Index rerum idem fere, qui in editione Coloniensi 1682. — [Ossol., Litt., Wols.]

(1737) — *R. P. Matthiae Casimiri Sarbievii S. J. Lyrica. Gedani. Anno Christi MDCCXXXVII.* — 12°, pag. 384. Prodiit haec editio sub ductu et auspiciis Michaelis Ducis Czartoryski, Procancellarii Poloniae. (Vide Janocki, Lit. Pol. p. I. pag. 16.)

(1737) — *Matthiae Casimiri Sarbievii S. J. Lyricorum libri IV. Epodon lib. unus, alterq. Epigrammatum. Cum indice. Editio novissima. Anno Christi M. DCC. XXX VII.* — 12°, pag. 551. — titulus partim nigris partim rubris litteris expressus, sine imagine, et sine loco typogr. — Editio haec, si epistolam ad Urbanum VIII excipias, continet omnia, quae in edit. Antverp. 1634 habentur, ac praeterea Indicem. — [Dzik., Wols., Czartor.]

(1747) — *Odae VII. R. P. Matthiae Casimiri Sarbievii Societatis Jesu, quae in libris Lyricorum non habentur. Vilnae impressae. Anno Domini 1747.* — 12°, pag. 24. — Libellus hic editus a P. Fr. Kruszewski S. J. complectitur primum oden ad Honor. Vicecomitem (nostr. edit. pag. 369—373), dein sex alias, quae in libro Epod. num. 17, 19, 13, 14, 15, 20 in nostra edit. collocatae sunt. Nec prima tunc vice vulgatae sunt: jam enim omnes in separato libello impressae erant Parisiis a. 1665 apud J. Henault, et iterum, excepta oda ad Vicecomitem, a. 1721 Coloniae apud Fromartum.

(1749) — *M. C. Sarbievii opera poetica, quae innotuerunt, omnia; nimirum: Lyricorum libri IV, Epodon liber unus, alterque Epigrammatum; quibus praeterea accedunt ad Lyrico-*

rum ejus libros Eruditorum virorum Epicitharismata, et Sarbieviana poësis posthuma, lyrica et epigrammatica. Vilnae, typ. acad. S. J. 1749. — 12°, Editor P. Franc. Kruszewski S. J.

(1753) — *Matthiae Casimiri Sarbievii Soc. Jesu, Opera poetica quae innotuerunt, omnia, nimirum Lyricorum libri IV, Epodon liber unus alterque Epigrammatum: quibus praeterea accedunt ad Lyricorum ejus libros Eruditorum virorum Epicitharisma et Sarbievieviana poësis posthuma lyrica et Epigrammatica. Vratislaviae sumptibus Caroli Godofr. Meyer. CIↃIↃCCLIII.* — 12°, pag. VIII et 376. Haec editio facta est cura M. Godofr. Maximil. Leisnerii, Prorectoris et Professoris graec. ling. historiae et rhetoric. Elisabeth. gymnasii et Bibliothecarii bibliothecae Rhedigerianae Vratislav. (Vide: Schlesischer Büchersaal.) Sequitur praecedentem editionem P. Kruszewski, et complectitur post praefationem editoris 4 libros integros Lyricorum, 12 odas in libro Epodon et 119 epigrammata. Porro post Epicitharisma habet epistolam Sarbievii ad Lubienium scriptam IX. Calend. Januar. 1637., ac deinde septem odas, quae vulgo in libris Lyricorum non habentur; tandem epigrammata, quae in nostra editione exstant sub num. CXX — CXLVII. — [Tarn., Czartor., Wols., Oxf.]

(1754) — *Math. Casimiri Sarbievii R. P. Soc. Jesu Poloni, Elegia itineraria ex MSC. edita. Dresdae, in officina Hekeliana A. S. CIↃIↃCCLIIII.* — 4°, pag. 24. Libellus hic rarissimus continet illam epistolam, metro elegiaco scriptam, quam Sarbievius a. 1622 ex Urbe miserat Pultopolim, sive ad Nicolaum Kmicic, sive ad Sigismundum Lauxmin, sive etiam forsan ad utrumque. Dubitum est a quibusdam, num eam revera Sarbievius composuerit. *(Freytag's Nachrichten pag 209.)* Sed quam injuste, judicet lector. Poema hoc posuimus pag. 286—294; editionem vero Langbeini descripsimus pag. 570. nostr. edit. [Nation. num. Yc.924. — Frib. bibl. Canton. num. EE 101.— Varsaviae apud Dr. Theodorum Wierzbowski.]

(1757) — *Reverendi Patris Mathiae Casimiri Sarbiewski e Societate Jesu Poemata ex vetustis manuscriptis et variis codicillis olim ab authore dissimulato nomine editis, deprompta et in unum collecta. Quibus accedit Oratio ab eodem habita in translatione Corporis D. Casimiri; item Epistolae ad Stanislaum Łubieński Episcopum Plocensem. Vilnae, in typhographia regia Academiae et Universitatis Societatis Jesu anno MDCCLVII.* — 4°, pag. 26 et 169. Exstant quaedam exemplaria, in quibus titulus partim rubro partim nigro colore expressus est. Editionem hanc adornavit et Joanni Nicolao

Comiti Chodkiewicz dedicavit Adamus Naruszewicz Soc. Jesu, tunc temporis in Academia Vilnensi poeticae artis magister. Initio libelli est epistola nuncupatoria ad dictum Chodkiewicz nec non epistola ad lectorem, continens chronologicas quasdam et bibliographicas de vita et operibus Sarbievii notationes. Succedit carmen ad redivivam Sarbievii Musam, metro elegiaco ab ipso, ut videtur, editore compositum. Poëmata vero, quae nos exinde pleraque in nostram editionem transtulimus, hoc ordine sese excipiunt: 1) „Mars et juncta . . ." (Epigr. 148. pag. 489 nostr. ed.) — 2) „Pronus Hyperborea . . ." (pag. 329—345 nostr. ed.) — 3) Epigrammata (num. 149—171, pag. 489—498 nostr. ed.) — 4) „Ut ver . . ." (pag. 273 — 287 nostr. ed.) — 5) Epigrammata (num. 144—146, pag. 488 nostr. ed.) — 6) Epigrammata (num. 128—143, pag. 481—487 nostr. ed. — 7) Epigrammata (num. 173 & 172, pag. 498—499 nostr. ed.) — 8) Hymenodora (pag. 360 - 364 nostr. ed.) — 9) Sacra Lithothesis (pag. 364—367 nostr. ed.) — 10) Iter Romanum (pag. 286—294 nostr. ed.) — 11) Idyllion (pag. 312—319 nostr. edit.) — 12) Epigrammata (num. 176—179, pag. 500—501 nostr. edit.) — 13) Septem odae, quae in libris Lyricorum non habentur, nimirum: ode ad Vicecomitem (pag. 369—373 nostr. ed.) et sex odae (Epodon 17, 19, 13, 14, 15, 20 nostr. ed.) — 14) Silviludia (pag. 255—272 nostr. ed.) — In fine libri est Oratio Sarbievii habita in translatione Corporis S. Casimiri, et aliquot Epistolae Sarbievium inter et Episcopum Łubieński. Editio haec descripta erat in opere: L'Année littéraire de Freron 1758, t. VIII. pag. 52—66. — [Czartor., Litter., Wols., Zamoj., Dzik., Kórn.] Quaedam exempla carent „Epistola ad lectorem."

(1759) — *Matthiae Casimiri Sarbievii e Societate Jesu Carmina. Nova editio, prioribus longe auctior et emendatior. Parisiis, Typis J. Barbou, via San-Jacobeâ, sub signo Ciconiarum. MDCCLIX.* — 12⁰, pag. VIII, 383 et 92. Titulus cum icuncula parva aere expressa. — In praefatione leguntur haec: „Hactenus editio nulla exstitit, quae omnia sublimis poetae carmina complecteretur: carebant omnes superiores editiones ultimis octo carminibus libri quinti, librisque totis VI et VII. Quae omnia debes, studiose lector, curis et peregrinationibus R. P. Joan. Mich. Van der Ketten canonici regularis ordinis SS. Salvatoris, qui labori nulli pepercit, ut istas sibi delicias compararet. Collegit autem vir ille, Sarbievii amator et admirator maximus, cum esset, tum in Polonia tum in Lithuania, omnia poetae illius maximi opera posthuma, in quibus erant ea poemata, quae nunc primum

in lucem eduntur, quorumque nonnulla, quia ultimam auctoris manum non acceperunt, aliquam legentium indulgentiam requirunt." At ultima illa octo carmina libri V seu Epodon (pag. 235—251 nostr. edit.) quibus omnes superiores editiones caruisse dicit editor Parisiensis, si excipias 16 et 18 oden, jam exstabant in ed. 1721 et sequentibus. Immo existebat ibidem ode ad Vicecomitem, quae in hac Parisiensi desideratur. Qui vero inscribitur liber s e x t u s in hac editione, eo continentur S i l v i l u d i a: s e p t i m u s exhibet C a r m i n a m i s c e l l a n e a, nimirum G r a t i a r u m a c t i o n e m et I t e r R o m a n u m. Et G r a t i a r u m quidem a c t i o (scl. Obseq. gratit.) typis Academiae Vilnensis jam a. 1619 exscripta prodierat. Caeterum haec omnia anno 1757 a Naruszevicio erant impressa. — Reliqua pars editionis Parisiensis constans 92 paginis ex integro notatis, complectitur 119 epigrammata, et duplicem indicem, quorum prior explicat nomina propria in poematis a Sarbievio usurpata. Editio haec nitida quidem est, sed non satis correcta. Praeter leviora enim menda nimium frequentia, integri subinde versus et hemistichia in ea desiderantur. [Czartor., Jagel., Zamoj., Wols., Dzik., Coll. S. J. Cracov.].

(1769) — *Mathiae Casimiri Sarbiewski e Societate Jesu, Opera posthuma, quibus accesserunt multa poëmata vernaculo carmine reddita. Varsaviae typis regiis et reipublicae in Collegio Societatis Jesu MDCCLXIX.* — 8⁰, pag XVI et 316. Libro hoc, a P. Francisco Bohomolec S. J. in lucem edito, continentur sequentia: 1) Litterae dedicatoriae ad Hiacinthum Ogrodzki, Notarium Regni Poloniae, Supremum Cancellariae regiae Praefectum, Capitaneum Lubczanensem. 2) Litterae ad lectorem, in quibus refert editor, a se in praesenti libro illa Sarbievii vulgari carmina, quae Adamus Naruszewicz 1767 anno ediderat, quaeque postea ille in variis bibliothecis vetustate ac squallore obsita invenerat, ac secum communicaverat. 3) Vita Sarbievii. 4) Carmen in nuptiis Triznae (nostr. edit. pag. 294—302.) 5) Carmen in nuptiis Rakowski (nostr. ed. pag. 302—312). 6) Carmen in nuptiis A. Radivilli (nostr. ed. pag. 312—319.) 7) Fragmentum Lechiados, (nost. ed. pag. 319—329.) 8) Carmina in funere Rudominarum (nostr. ed. pag. 373—382.) 9) Salomon poetice describit Sponsam (nostr. ed. pag. 367—369.) 9) Quinque odae ad Sigism. III, cum litteris soluta oratione ad eundem regem, (vide nostr. ed. pag. 383—398; ubi tamen praetermisimus litteras ad Sigismundum.) Non est haec lucubratio Sarbievii sed Gilberti Jonini Galli, prout nunc nobis perspectum est. 10) Epigrammata (nostr.

quas Eppus Łubieński et Sarbievius ad se invicem scripserant. Epistolae illae poni debuerunt a Bohomolec potius sequenti ordine chronologico: 1—13, 91, 14—20, 22, 21, 23, 28, 29, 24, 92, 25—27, 30—35, 37, 38, 36, 39, 41, 40. 42—51, 53, 52, 54—64, 66, 65, 67, 68, 70, 69, 71—86, 88, 87, 89, 90. Accessit una epistola Petavii ad Sarbievium scripta Parisiis Romam. 12) In fine libri sunt multae odae Sarbievii e Lyricorum libris, polonico carmine redditae interpretibus: Samuele Twardowski, Petro Puzyna S. J., Adamo Naruszewicz S. J., P. Antonio Wiśniewski Schol. Piar., milite Nieborowski, P. Joanne Albertrandy S. J., P. Francisco Bohomolec S. J. et Michaële Przeździecki. Versioni polonicae adjacet textus latinus. [Jagel., Litt., Czartor., Zamoj., Wols., Ossol., Dzik.]

(1781) — *Horatius Sarmaticus sive R. P. Mathiae Casimiri Sarbievii Lithuani Soc. Jesu Theologi & poetarum ....* (etc. ut in Coloniensi 1721 editione)... *Coloniae Agrippinae, sumptibus Joannis Everhardi Fromart, Bibliopolae in platea S. Marcelli e regione Sacelli S. hujus 1781. Permissu Superiorum & cum privilegio S. C. M.* — 8⁰, pag. 8 et 424 et 16 non numeratae. Editio facta ad normam Coloniensis 1721. [Litt.]

(1791) — *Matthiae Casimiri Sarbievii e Societate Jesu Carmina, nova editio prioribus longe auctior et emendatior. Parisiis, typis Barbou, via Mathurensium MDCCXCI.* — 12⁰, pag. VIII, 472. [Krasiń., Zamoj., Oxf.]

(1803) — *Matthiae Casimiri Sarbievii Carmina. Argentorati* (Strassburg) *ex typographia Societatis Bipontinae Anno XI (1803.)* In titulo imago Sarbievii, sculpta a Schuler et aere expressa est, sed haec minime vera, adjecto illo effato poetae nostri: *Et me Latinae non solitum loqui jussere Musæ.* — 8⁰, pag. XVI, 377 et 9 chartae non numeratae cum Indice geographico et historico. Prolegomena primis XVI paginis contenta exhibent vitam Sarbievii, ejusque operum ac editionum catalogum. Quae si excipias, editio tota facta est ad normam Parisiensis 1759, ab eaque vix differt, praeterquam quod haec multo emendatior est, quod 147 epigrammata complectitur, et in novem ultimis chartis indicem geographicum et historicum habet. Index rerum tamen abest in hac editione. [Star., Litt., Wols., Krasiń., Zamoj., Dzik.]

(1805) — Idem *Argentorati* (Strassburg) *Treuttel 1805.* — 8⁰, (Ita PP. Brown et de Backer.)

(1814) — *M. C. Sarbievii Carmina. Dresdae, apud Math. Sagan 1814.* — (Ita PP. Brown & de Backer.)

(1824) — *Matthiae Casimiri Sarbievii Carmina. Budae. Stereotypo regiae Universitatis Hungaricae. 1824.* — 8⁰, pag. XXIV, 364 et 15. — Editio haec sequitur Argentoratensem; continet primis XXIV paginis praefationem, vitam Sarbievii et bibliographiam; ultimis vero 15 paginis Indicem geographicum et historicum [Wols., Krasiń., Zamoj., Oenip.]

(1824) — *Odae M. C. Sarbievii excerptae in usum gymnasii Alostani. Alosti, typis Spitaels et van Ryckegem 1824.*— 16⁰, pag. 104. (Ita Backer.)

(1830) — *Mathiae Casimiri Sarbievii Poloni e Societate Jesu Carmina in usum juventutis potissimum scholasticae cum commentario a PP. Scholarum Piarum Polonae provinciae edita. Varsaviae, typis Scholarum Piarum anno 1830.* — 8⁰, pag. XVI, 218 et 4 non numeratae; in numerandis paginis typographi incuria error irrepsit, nam post numerum 161 statim num. 190 positus est. Editio haec primum tantum continet Lyricorum librum cum egregio commentario, elaborato ab Edmundo Andraszek S. P. — Editori curae erat, collatis Latinorum poetarum classicis exemplis, demonstrare, quantopere Sarbievius latini sermonis puritatem persecutus fuerit. Patribus Schol. Piar. Varsaviensibus in animo erat, etiam reliquos Lyricorum libros cum commentario edere, sed nescio cur promissis non steterint. [Jagel., Litt., Czartor., Wols., Krasiń., Zamoj.]

(1840) — *Matth. Casimiri Sarbievii Poemata omnia. Ad editiones optimas curavit Frid. Traug. Friedemann. Lipsiae, sumptum fecit ac venumdat Georgius Wigand.* — 12⁰, pag. 1 et 313. — ultima pagina non numerata haec continet verba: *Lipsiae, typis B. G. Teubneri.* Praeterea in charta colorata, quae tanquam involucrum exterius agglutinata est, sequens legitur titulus: *Sarbievius. Pr. 20. Ngr. Lipsiae. Sumtum fecit ac venumdat G. Wigand.* — Editio haec est sine anno, sed, ut constat ex quodam Germanico libro bibliogr. 1739—40, facta est anno 1840; convenit cum Argentoratensi 1803, sed caret Prolegomenis et Indice. [Star., Wols., Krasiń.]

(1852) — *M. C. Sarb. Lyricorum libri quatuor, Epodon liber unus, alterque Epigrammatum. Neapoli excudebat typographus Paci 1852. Penes Franciscum Perracinum.* — 18⁰, pag. 323.

(1876) — *Matthiae Casimiri Sarbievii carmina posthuma ex codice auctoris manu scripto nunc primum in lucem edidit Joannes Krystyniacki. Leontopoli sumptibus J. Milikovii. E ty-*
edit. num. CLXXIV—CXCI, pag. 499—507.) 11) Epistolae 92,

pographia Instituti Stauropigiani. 1876. — 4°, pag. 1 et 28. Proxima post titulum charta exhibet imaginem poetae in vestitu doctoris cum laurea et annulo. — Carmina haec impressa proprie erant pag. 3—28 libri: *Jahres-Bericht für das Schuljahr 1876. Lemberg. Verlag des k. k. II. Ober-Gymnasiums. Buchdruckerei des Stauropigianischen Instituts. 1876;* ac deinde recusa sunt in separato libello, quem modo innuimus. Continet autem editio illa praefationem editoris, tum etiam ipsa Sarbievii carmina in honorem S. Andreae Apostoli augustissimaeque Crucis venerationem composita, quae nos pag. 399—422 iteravimus. Codex Sarbievii autographus, quem anno 1827 P. A. Budik in lucem edere volebat (Leben und Wirken... tom. I. pag. 167), sed demum a. 1876 J. Krystyniacki edidit, asservatur hodie quoque in bibliotheca Ossolinsciana Leopoli sub num. 1159; est formae octavae et numerat 36 paginas. Titulum auctor ipse posuit sequentem: *D. O. M. / fortissimo / et / avito sine linea / Triumphatori / Beatissimo Andreae / nec non augustissimae semper / Cruci / hoc / aeternum consecro / aeternum dedico / monumentum / non doloris sed amoris, / in quo / non sepultus oblivione / sed aeterna florens memoria etiam / post cineres vivit.* Altera codicis manuscripti pagina haec habet: „Vive | Andrea | iterum precamur | vive | animo in coelis, fama in terris | cui tot immortalitatis pullularunt laureae | quot vita destinarat | momenta. | Stauros kratos ton basileon (graecis litteris) | Crux potentia regum.“ Reliquae 34 paginae continent ipsa carmina eodem ordine, quo nos ea exscripsimus pag. 399-422. — Auctorem horum carminum fuisse Sarbievium, extra omnem controversiam est. Nam et entheus stylusque Sarbievii est, et, ut Max. Iskrzycki adverterat, multi horum carminum loci, immo strophae integrae affinitatem cum aliis Sarbievianis carminibus manifesto praeseferunt. Sufficiet contulisse vel sequentes tantum locos, ut id certo pateat. (Priore numero denotamus paginam nostri libri, posteriore stropham, incipiendo ab initio paginae.) (Cfr. 403.4 et 104.4) (403.5 et 104.6) (403.6 et 31.4) (403.7 et 103.3) (404.1 et 5.1) (404. 3-4 et 212.8 et 213.1-2) 404.5 et 4.8) (405.3 et 213.3) (405.4-6 et 209.1-4) (406.3 et 113.5) (406.5 et 113.3) (408.4 et 39.7) (408.6 et 39.6 et 39.3) (409.4 et 9.1) (411.1 et 90.4) (413.5-7 et 414.1-3 et 73.1-7) (414.6 et 68.4 et 85.8) (415.3 et 44.4) (415.4 et 45.1) (416.1 et 79.6) (416.2 et 77.6) (416.3 et 78.7) (416.6 et 95.4) (416.7 et 45.7) (417.3 et 120.5) (418.1 et 100.2) (418.2 et 100.4) (418.3 et 101.6 et 100.1) (418.5 et 101.4 et 45.5) Loci hi si invicem comparentur, manifestum fit, quem Lyri-

corum, eundem etiam horum carminum de S. Andrea fuisse auctorem, nimirum Sarbievium. Quod autem codex ille Ossolinscianae bibliothecae manu Sarbievii propria sit exaratus, fidem facit adjecta codici a quodam librario vetusta adnotatio; fidem multo magis faciunt crebrae correctiones, eadem ac ipse codex manu exaratae, quae sunt ejusmodi, ut carmina haec non aliunde transcripta, sed ex tempore concepta, atque adeo sub calamo ipso nata esse appareat. — Quo tempore concinnaverit poeta haec carmina, id statui certo nequit. Krystyniacki affirmat, Sarbievium instinctu Eppi Łubieński haec carmina in laudem S. Andreae, Sarmatarum Apostoli, mense Majo 1639 composuisse, eaque ex urbe Merecio huic antistiti transmisisse; et nititur litteris Sarbievii ad Lubienium die 3 Junii 1639 Merecio datis (vide vitam Sarbievii pag. XVI. nostri libri.) Putat ergo D. Krystyniacki, Divinos Amores in illa epistola commemoratos, esse praecise carmina de Cruce S. Andreae. Haec tamen opinio improbatur ab Iskrzycki (Zeitschrift für die Oesterr. Gymn. Wien 1877. pag. 777), non enim in illis carminibus apparet nexus cum titulo „Divini Amores," nec in iisdem relatio ulla S. Andreae ad Poloniam a poëta adstruitur. Improbatur etiam ab Augusto Bielowski, qui in Gazeta Lwowska Nr. 110 15 Maji 1875 asseruit, verosimile quidem esse, carmina de Cruce S. Andreae composuisse Sarbievium anno 1639 vel initio a. 1640 i. e. ante ipsum obitum, at eadem nequaquam esse confundenda cum Divinis Amoribus, cum titulus hic potius referendus sit ad illa epigrammata et tres odas, quae habentur pag. 509—538 nostr. edit. — Equidem titulum „Divini Amores" neutri classi horum carminum quadrare existimo, quod autem carmina illa de S. Andrea Apostolo spectat, censeo cum Bielowski, eadem scripta esse brevi ante mortem poetae; nam 1^{0} eadem, ut apparet, ultimam auctoris manum non acceperunt; 2^{0} videntur haec carmina inspirata esse a sollicitudinibus vitae aulicae, quibus se obnoxium toties questus est poeta ultimis vitae annis in litteris ad Lubienium; 3^{0} constat praeterea, Sarbievium ultimo vitae anno alia quaedam poëmata praeter Divinos Amores effudisse, scripsit enim 30 Junii 1633 ad Lubienium; „Quod si aliquid amoenitatis animum incessit, id in carmen, quod tibi mitto, aliaque poëmata effudi." (vide vitam Sarb. pag. XVII nostri libri).

Cum mense Septembri 1891 haec nostra editio jam in eo erat, ut absolveretur, Polona juventus iter Romam apparabat, ubi una cum innumeris totius orbis adolescentibus ad tumulum S. Aloysii Gonzagae, trecentesimo ab ejus obitu

recurrente anno, huic Patrono se devoveret, et ad SS. D. N. Leonis XIII pedes provoluta, fidem ei adpromitteret suam. Hac occasione R. D. Vinc. Smoczyński, Praelatus domest. suae Sanctitatis et Parochus Tenczynecensis, peregrinorum e Polonia mystagogus, exemplar unum nostri libri elegantissime compactum obtulit huic Pontifici poeseos amantissimo. SS. Dominus exiguum hoc munusculum non solum animo accepit benevolentissimo, sed uberius in laudem Sarbievii praefatus, locum etiam nescio quem ex ejus Lyricis coram adstantibus ex memoria recitavit. — Haec de industria commemoramus, ne exemplar Pontifici oblatum negotium facessat bibliographis, si ipsis aliquando innotescat. Differt etenim a reliquis exemplaribus nostrae editionis; titulum habet talem: *Mathiae Casimiri Sarbievii e Societate Jesu Poemata, quae hactenus innotuerunt, omnia. Staraviesiae, e typographia Collegii Societatis Jesu MDCCCXCI.* Liber desinit epigrammate CXCII, et numerat tantummodo 507 paginas. Reliqua, quae accesserunt, postea demum idque inopinato inventa sunt.

* * *

Quaedam Lyricorum Sarbievii carmina exscripta inveniuntur in sequentibus libris:

Annalium Ecclesiasticorum XVI tomo, scripto a Bzovio, et edito a. 1624, inest oda ad Abr. Bzovium (Lyr. III. 28.)

Hymni Breviarii Romani, Smi Dni nostri Urbani VIII jussu, et Sacrae Rituum Congregationis approbatione emendati. Romae, typis Vaticanis MDCXXIX. — 4⁰.

Opera posthuma Stanisl. Łubieński. Antverp. 1643; — continentur Epod. odae 13, 14, 15.

Carmina selecta Patrum S. J. Genuae 1747; — idem, Augustae Vindelicorum 1754.

Simonis Simonidis Bendowski Leopolitani Opera omnia, edita ab A. M. Durini, Varsaviae 1772; — sunt ibi quaedam carmina Phaleucia Sarbievii.

Ruris deliciae, Fr. Bertrand. Parisiis, Barbou 1757. — pag. 73—79 reperitur Epod. ode 1.

Recueil de poésies de divers auters, imprimé à Douai, schez Willerval 1763.

Lusus poetici allegorici, P. Sautel S. J. (Vide Sommervogel, Bibl. de la Comp. de J. t. II. col. 2 et 3. in articulo: Boulogne Adrian de.)

Silva selectorum operum M. T. Ciceronis — hic pluries impressus liber continet odam Lyr. II. 5.

Summa Institutionis ad Eloquentiam, auctore P. Fr. Kautny S. J. Alosti 1876. — continet odam Lyr. II. 5.

Aloisius von Gonzaga. Festschrift zu seiner Jubelfeier von P. Alois Niederegger S. J. Freising 1891. — continentur quaedam epigrammata de S. Aloysio.

2. Opera Sarbievii oratione soluta.

De Acuto et Arguto liber unicus. — De hac materia primus inter recentiores, tractatum hunc, nunquam typis editum, scripsit Sarbievius, cum juvenis rhetoricam explicaret; illum deinde Romae publice praelegit, ac tandem operi suo „De perfecta poesi" implicuit. Reperitur Cracoviae in bibl. Princ. Czartoryski num. O. 1446. — Quaedam excerpta ex hoc tractatu posuit Michael Radovius (Radau) in suo libro „Orator extemporaneus" (p. I. c. I. Qu. VIII.) pluries impresso. (Vide etiam Morhofii tractatum de Arguta dictione. Lubec. 1731, pag. 6 & 7.)

Dii gentium, seu theologia, philosophia tam naturalis quam ethica, politica, oeconomia, astronomia, ceteraeque artes et scientiae sub fabulis theologiae ethnicae a veteribus occultatae, erutae vero opera R. P. Matthiae Casimiri Sarbiewski Soc. Jesu Academicis Poloc. Anno MDCXXVII. — Opus hoc anno 1627, quo Sarbievius in Collegio S. J. Polocensi rhetoricam docebat, ab eodem compositum et discipulis praelectum, nunquam typis impressum est, pluries tamen transcriptum per Poloniam circumferebatur. Cujus duo manca exemplaria hodie etiam Cracoviae in bibl. Princ. Czartoryski existunt. Alter codex MSS. num. 1878 corio compactus, formae 4, numerat 508 paginas, quarum 406 continent 41 capita; post caput 41, quod de Hercule tractat, reliqua pars operis deest, statimque usque ad paginam 421 habetur „Index locorum S. Scripturae in opere toto citatorum;" reliquae paginae albae sunt. Totus liber eodem calamo nitide exaratus est, figurisque ac imaginibus distinctus. — Alter codex num. 1249 corio compactus forma 4, differt a priore, quod alius librarii manu, idque pressius, minus nitide et lectu difficilius exaratus; numerat tantum 336 paginas, quarum 23 priores exhibent Indicem locorum S. Scripturae, sequentes usque ad 326 complexae sunt opus ipsum, ulterius tamen, quam in priori codice, continuatum; reliquae vero decem paginae vacuae restant. —

Exstat in eadem bibliotheca Princ. Czart. tertius codex MSS. num. 1248, formae 4, cum hoc titulo: *Dii gentium . . . a R. P. Sarbiewski olim professore rhetoricae Soc. Jesu Polociae explicati . . . nunc Słucci Collegio Tulliano Apollineo recepti anno 1717.* Est autem libellus hic nonnisi epitome quaedam ex opere Sarbievianio ab alio quopiam facta ad usum scholarum S. J. Slucensium. — Primitivum hoc opus testatur se vidisse Niesiecki, qui haec observat: „in hoc opere eruditissimo cap. 23 ostendit (Sarbiewski) ex antiquis historicorum argumentis petitis, fabulas Graecas et Aegyptiacas ortum traxisse a Noe et ejus posteris.“ — Theodorus Narbutt habuit illud Sarbievianum opus manuscriptum, sed cum evulso titulo; adjectae erant aliquot chartae complectentes latino sermone vitam Sarbievii cum hoc titulo: „Sarbievii S. J. vitae brevis adnotatio, ex Manuele poetico A. R. P. Zalescii S. Th. D. conscripta.“ Vitam hanc, multum a veritate abludentem, in polonicum idioma vertit Narbutt et inseruit periodico Tygodnik Wileński“ 1818 tom VI. pag. 65. — Hoc opere „Dii gentium . . .“ praevenit Sarbievius simile opus P. Petri Guerin du Rocher S. J., cui titulus „Histoire véritable des temps.“ (Parisiis 1777. 8⁰, tres tomi).

De perfecta poësi, libri IV. — Hoc titulo indicari solet a bibliographis opus Sarbievianum nunquam typis impressum, quod initio praeteriti saeculi editurum se promittebat Canonicus Van der Ketten. — Cracoviae in bibliotheca Princ. Czartoryski num. O. 1446 asservatur hoc opus, forma 4, charta pergamena compactum; numerat 477 paginas, caret tamen titulo et initio. — Dispescit totus codex in quatuor majores partes. Prima omnium pars tractans de Carmine epico et de Perfecta poësi, pertingit ad paginam 273 codicis, et constat novem libris, quorum prior deperiit, ultimus vero praecipit de tragoedia et comoedia, de constructione theatri, de Satyra, buccolica et aliis minutioribus poeseos speciebus. Plura spatia in hac parte codicis vacua relicta, pingendis imaginibus destinata esse videntur; quaedam figurae summis duntaxat lineamentis expressae sunt. — Secunda pars pag. 273—301. constans septem capitibus, hunc habet titulum: „De Acuto et Arguto, liber unicus, sive Seneca et Martialis, ubi de Epigrammatis, de Coloribus Declamatoriis, de Epistolis argutis, omnibus bono, quibus studium acute et scribere et loqui.“— Tertia pars pag. 301—455. tribus constans libris, sic inscribitur: „Characteres Lyrici, seu Horatius et Pindarus.“ — Quarta denique pars (pag. 453—477) in septem capita divisa, inscripta est: „De vitiis et virtutibus Carminis Elegiaci, sive

Ovidius.“ — Opus mirum quanta cum eruditione conscriptum, ejusmodi res continet, quas apud nullos auctores de arte poëtica praecipientes, hactenus videre potueram. Citantur crebro præter Horatium et Pindarum, quam plurimi poëtæ antiqui utriusque linguæ, ex recentioribus vero maxime Kochanovius; unde apparet, quam fuerit Noster in omni litteratura versatissimus. Quantopere aestimarit Kochanovium Sarbievius, documento sint ejus verba, quae pag. 321 leguntur: „Hic ego non dedignabor vernaculi Horatii nostri exemplo uti, cum etiam caeteri authores externi suorum Italorum, Gallorum, Hispanorumque poetarum, qui lingua patria scripsere, exemplis utantur in latinis suis praeceptionibus; certe illis Joan. Kochanovius non inferior modo, sed et (quantum potui ex lectione Marini Guidonis, Cassorii (?), Francisci Petrarchae, Dantis, Italorum, et Ronsardi Galli lyrici praestantissimi colligere) urbanitate sermonis Polonici, gravitate sententiarum, inventionis praecipue obliquae praestantia, nervo demum quodam superior sit. Illi enim blandi plenique, et plus venusti quam fortis styli sunt; quodsi ad antiquitatem respicias, exuberantis omnino styli, ne dicam puerilis. Hic vero vim et energiam antiqui styli felicissime eorum consecutus est. Neque revera invenio in omni antiquitate, quod ad raram et gravem inventionem, ad artificiosam dispositionem, ad sobrie elegantem et fusam elocutionem spectet, quod non egregie expresserit.“ Totus codex descriptus est eadem manu, qua codex MS. num. 1878 operis „Dii gentium“ ejusdem bibliothecae. Initio in parte interna involucri legitur annotatio serius nescio a quo adjecta: „Praecepta poëtica exarata manu unius ex discipulis clarissimi poëtae Mathiae Sarbiewski.“ Ad calcem vero codicis scriptum est: „Sub R. P. Mathia Sarbiewski Polociae . . . . . “ Quemadmodum ex correctionibus et notis frequenter textui manu ipsius Sarbievii adspersis colligi potest, codicem hunc auctor relegebat, cum in aliqua villa collegii Vilnensis S. J. decumbens pedem fractum foveret. Sic in ipsa libri fronte legitur: „1630.4. Julii Vilnam eundo tibiam fregi intra rotae radios.“ Item pag. 165 legi potest: „1630.20. Julii in lecto Rosteniensi (?) ob tibiam fractam relectum.“ Item pag. 255: „In pervigilio piae publicanae Mariae Magdalenae in lecto Rosteniensi relectum 21 Julii mane 1630.“ Videtur esse haec villa Rostyniany, ab Andrea Rudomina S. J. collegio Vilnensi donata.

De Deo Uno et Trino tractatus, ad I partem S. Thomae Aquin.

De Angelis opusculum theologicum.

De Physico continuo libri IV 1627, opus philosophicum.

Memorabilia. Codex hic formae 8ae, recentiori tempore compactus, complectens 460 paginas, minusculo et presso charactere nitide exaratus, asservatur in bibl. Princ. Czartor. Cracov. num. 1405. Una ex paucis chartis vacuis, initio libri praefixis, annotationem habet alio sed vetusto calamo adjectam: *„Notata Reverendi Patris Matthiae Sarbiewski Soc. Jesu laureati poëtae et eximii concionatoris, propria ejusdem manu conscripta.“* Continentur hoc codice excerpta ex variis auctoribus antiquis: Livio, Floro, Sallustio, Caesare, Tacito, Paulo diacono, Philone, Xenophonte, Plinio et aliis ad privatum Sarbievii usum destinata. In fine reperiuntur excerpta ex Annalibus Sarnicki et ex chronicis Kadłubek, Polonorum scriptoribus. Medio in libro leguntur haec: „A. D. 1633. Mai 18. feria quarta post Pentecosten, hora quinta.“

Honor Sanctorum reliquiis publice deductis susceptisque Vilnae habitus Anno MDCXXXI. Prid. Non. Jul. Vilnae, typ. Acad. S. J. 1631. — fol. pag. 8. — Describitur processio solemnis Vilnae habita, qua Sanctorum reliquiae ad templa SS. Joannis, Casimiri et Ignatii deductæ sunt. [Krasiń.] Editio secunda ibidem anno MDCXXXIV. 4⁰ (Ita Estreicher, Jocher). — P. Brown pag. 73. citat libellum: „Summa processyi na wnoszeniu kości Świętych od Akademii S. J. sporządzonej 1631“; forsan hic libellus est versio praecedentis?

Oratio, qua nomine Collegii Vilnensis, Antistitem Vilnensem recens creatum Abrahamum Wojna excepit. Vilnae 1631. — 4⁰, libellus typis impressus.

Laska marszałkowska na pogrzebie J. W. IMCP. Pana Stanisława Sapiehy, Wielkiego Marszałka Litewskiego, Słonimskiego Starosty etc., w Wilnie w Kościele S. Michała Zakonnic S. Klary fundowanym i nadanym od sławnej pamięci Leona Sapiehy, Wojewody Wileńskiego, Hetmana Wielkiego W. X. Litewskiego, wystawiona przez X. M. K. Sarbiewskiego S. J., Dziekana Th. et Ph. Facultatum, S. Th. Professora. Wilno druk. akad. S. J. 1635. — 4⁰ pag. 82, typis gothicis. Si paucas polonicas Sarbievii epistolas excipiamus, unicum hoc est nostri auctoris opusculum, patria lingua lucubratum, quod posteritati transmissum est. Adeo autem placuit ejus saeculi hominibus, ut quidam non dubitaverint sibi orationem hanc manu sua transcribendam. (Exstat hodie quoque antiquum apographum: Petropoli MSS. num. Q. I. 107. et Cracoviae bibl. Jagell. MSS. num. 2285 AA. VII. 60). Joan. Frider. Sapieha (dissimulato nomine Joan. Ostrowski Daneykowicz)

totam hanc orationem Sarbievii inseruit pag. 99—128 sui libri: Swada polska i łacińska Lublin 1745. Alii vero eamdem compilantes, majores ejus partes ad similia argumenta transferebant. (vide: Anton. Czerniewski, Strzały Jonaty, Wilno 1728; item MSS. Bibl. Ossol. num. 400. pag. 321). — Hanc Sarbievii orationem commentatus est Mecherzyński (Historya wymowy w Polsce, Kraków 1864, tom. II. pag. 434) et nuper W. Piątkiewicz S. J. (vide: Przegląd Powszechny, Kraków 1891 tom. XXIX. pag. 327—356. et tom. XXX. pag. 14—33.), vertit autem eam in latinam linguam P. Cieciszewski sub hoc titulo: „Scipio Mareschalcalis in funere Ill. DD. Joannis Stanislai Sapieha, Archimareschalci M. Ducatus Lithuaniae, Slonimensis etc. Gubernatoris, Vilnae in Basilica S. Michaëlis Sanctimonialium D. Clarae fundata et dotata a magnae memoriae Leone Sapieha, Palatino Vilnensi, Supremo Exercituum M. Ducatus Lithuaniae Duce, exhibitus polonice a R. P. M. C. Sarbievio S. J., S. Th. D. ejusdem facultatis Professore et Decano in Academia Vilnensi A. D. 1635, latinitate donatus a R. P. Adalberto Cieciszewski S. J. S. Th. D., ejusdemque facultatis in Academia Vilnensi Professore et Decano A. D. 1645. Vilnæ, acad. S. J. — 4⁰, chart. 74. [Exemplar latinum exstat in Bibl. Ossol.]

Oratio ad Vladislaum IV regem Poloniae, cum in Academia Vilnensi insignibus Doctoris Theologiae ornaretur. Vilnae 1636. — 4⁰, libellus typis vulgatus.

Oratio panegyrica habita in praesentia Sereniss. et invictiss. Vladislai IV, Poloniae et Sueciae regis, a R. P. Mathia Sarbiewski S. J., S. Theol. Doctore et Sacrae Regiae Majestatis Concionatore, in solenni Corporis D. Casimiri translatione, priusquam publice processio per urbis Vilnae plateas in regium Cathedralis templi sacellum deferretur A. 1636 14. Aug. Vilnae, typis acad. S. J. A. D. 1636. — 4⁰, chart. 9. Orationem hanc A. Naruszewicz adjecit poematis Sarbievii posthumis a se editis Vilnae 1757. (vide supra). — In linguam polonicam traducta oratio haec reperitur pag. 237—245 libri: „Życie, cuda i cześć św. Kazimierza... przez X. A. Lipnickiego, Wilno. Nakładem i drukiem Józefa Zawadzkiego 1858."

Concionum pro dominicis et festis, quas habuit coram Vladislao IV, rege Pol. 4. volumina — item *Orationum liber unus*, interierunt. Sunt, qui haec volumina Petropoli exstare dicant.

Testatur S. Zaleski in vita Sarbievii, (quam Teod. Nar-

butt in periodico „Dziennik Wileński" 1818. tom. VI. pag. 65 polonice ediderat), suis temporibus notum fuisse in Polonia opusculum a Sarbievio de antiquitatibus patriae compositum.

Epistolae ad proceres et amicos, majore ex parte deperierunt. Vindicatae tamen ab interitu sunt plures epistolae, quas Sarbievius et Lubienius ad se invicem scripserant, et hae vulgatae sunt: a) in Operibus posthumis St. Łubieński, Antverpiae 1643. b) in editione Sarbievii facta a Naruszewicz Vilnae 1757. c) in editione Sarb. facta a Bohomolec a. 1769 Varsaviae. d) eaedem a Lad. Syrokomla (Ludovico Kondratowicz) in linguam polonicam traductae reperiuntur inter ejus opera tomo VI. — Epistola Dionisii Petavii (Pétau) Parisiis scripta Romam ad Sarbievium, in materia Acuti et Arguti, reperitur pag. 237—239 II libro Epistolarum Petavii (Parisiis 1652), reperitur quoque in editione Francisci Bohomolec pag. 174. — Omnes illae epistolae exaratae sunt sermone latino. — Polonicam Sarbievii epistolam ad Casimirum Sapieha ex urbe Vilna 2 Maji 1634 datam videre est in libro: Maciejowski, Piśmiennictwo polskie tom. 3, Dodatek, pag. 240. — et aliam ex eadem urbe 29 Sept. 1636 scriptam invenies in „Bibliotheca Warszawska" 1859. tom. IV. pag. 233. Duae aliae epistolae polonicae Sarbievii ad Casimirum Sapieha, nunquam typis editae, asservantur in bibl. Comit. Zamoj. in codice MS. num. 1217. pag. 161—162.

In bibl. Ossol. exstant duo codices manuscripti (num. 157 et 240), qui varias Lubienii Eppi epistolas continent. Inter has reperiuntur nonnullae, quas ad Sarbievium scripserat, jam illae quidem a Bohomolec juris publici factae, praeter duas nunquam vulgatas; harum altera Lubienii ad Sarbievium reperitur MS. num. 157 pag. 204. b.; altera Sarbievii ad Lubienium reperitur MS. num. 240. pag. 260. a.

In bibl. Princ. Czartor. MS. num. 376. pag. 654—677 reperiuntur epistolae Stanislai Sarbiewski ad fratrem germanum Casimirum nostrum scriptae; nec non pag. 342 et 515 habentur sermones quidam ab eodem Stanislao habiti. (Haec de Sarbievii Epistolis excerpsimus e lucubratione Vlodimiri Piątkiewicz S. J. „Kilka słów o korespondencyi Sarbiewskiego", quam auctor typis evulgare intendit.)

3. Versiones poematum Sarbievii in varias linguas factae ab aliis.

Polonicae versiones praeter has, quas a Libicki Cracoviae 1647, et Varsaviae 1769 a Bohomolec editas dixeramus, reperiuntur in sequentibus libris:

Zbiór różnych rytmów Samuela z Skrzypny Twardowskiego — liber pluries impressus: Kalisz 1682; Wilno 1770 [Dzik., Star.]; Wilno 1771; Kraków 1861 wydanie Turowskiego.

Poema „Sacra Lithothesis" vertit Simon Zabiełło, et edidit Vilnae sub titulo „Nieśmiertelna pamięć..."

Myśli wybrane z francuskiego, oraz pieśni Sarbiewskiego przekładania T. Platera. Wrocław 1780.

Adama Naruszewicza, wiersze różne. W Warszawie 1804, 8⁰, tom. II.

Dziennik Wileński 1806. tom. I. pag. 93. habetur ode ad Publ. Memmium Lyr. II. 7, versa a Casim. Chromiński.

Ode ad Crispum Laevinium, Lyr. I. 4. versa ab J. E. Minasowicz habetur in ejus operibus 1817. tom. 7. pag. 226.

Dykcyonarz poetów polskich przez X. M. Hieron. Juszyńskiego Kraków 1820. pag. 163—170. — habetur ode Lyr. III. 6.

Dzieje Dobroczynności 1823. tom. II. pag. 24 habetur ode Lyr. III. 27; — ibid. 1824 tom. IV. pag. 43 habetur ode Lyr. II. 11. versa a Joanne Wernikowski.

Przekład pieśni Sarbiewskiego i inne poezye, przez X. A. Załęskiego Benedyktyna 1831. — 8⁰, pag. 76; Varsaviae impressus liber.

Czasopismo Zakładu Ossolińskich, Lwów 1831, 8⁰, tom. III. pag. 130. habet oden ad Aurel. Lycum Lyr. I. 2. versam a Xav. Wiesiołowski.

Ateneum Kraszewskiego 1884 tom. I. pag. 201—213 habet odas I. 1—4 a Jacobo Cichoński translatas.

Omnia ferme Sarbievii poemata carmine pereleganti ininterpretatus est Ludov. Kondratowicz (dissimulato nomine: Ladislaus Syrokomla); idem scripsit nostri poëtae vitam, ac in odioma polonicum traduxit epistolas Sarbievii et Lubienii. Habentur haec inter opera interpretis hujus, jam bis edita. Quaedam ex his versionibus occurrunt in libris nonnullis, juventuti Polonae ad discendam patriam linguam destinatis. Vide de hac versione: Ateneum Kraszewskiego 1848 tom. I. pag. 186—192, 214, 215; — item: Biblioteka Warszawska 1851. tom. III. pag. 551.

Biblioteka Warszawska 1850. tom. IV. pag. 96, versio Georgii Laskarys.

Pisma Kazim. Brodzińskiego, Poznań 1872. tom. IV. pag. 125—136.

Warta, rok I. num. 5, 19, 23, 43, 46 — 50, habentur versiones factae a Dr. Kantecki.

Archiwum do dziejów literatury i oświaty w Polsce. Kraków 1882, tom. II. pag. 16, 21, 25, 27, 29, 59, 60 sunt versiones factae a Joanne Gawiński.

Poezye Zbigniewa (Andrzeja) Morsztyna. Poznań 1884.— pag. 14, 18.

Ode Lyr. IV. 1. versa a P. Jos. Hołubowicz S. J. habetur in: Przegląd Lwowski 1874; tom. VIII. pag. 165; item in: Przegląd powszechny, Kraków 1884, tom. IV. pag. 224.

Tygodnik illustrowany 1878 14. Decembr. pag. 378; et 1880. 4. Septembr. pag. 146. — Versiones factae a Grot.

Ode ad Narviam Lyr. II. 15, Silviludium VIII et Epigramma LXIX, carmine polonico a W. Piątkiewicz S. J. interpretata, in: Przegląd powszechny, Kraków 1891. tom. XXX. pag. 250—253.

Vertebant etiam vernaculo carmine odas Sarbievianas quidam e Patribus S. J. provinciae Albae Russiae: Ludov. Grabczyński, Joseph Samujłło, Andreas Czyż, Joseph. Mikułowski, quorum versiones exstant Staraviesiae in quodam libello manuscripto.

Germanicae versiones reperiuntur in libris:

Vermischte Gedichte von Joan. Nic. Goetz, herausgegeben von K. W. Ramler. Mannheim 1785. 3. Theile, 8°, reperiuntur versiones tredecim odarum Sarbievii: lib. II. 2, 3, 5, 6, 7, 16; lib. III. 4, 6, 23; lib. IV. 3, 23, 28, 35. — Ex his versionem odes II. 5 inseruit speciminis gratia suo libro editor Carminum Sarbievii Argentoratensis anno 1803.

M. K. Sarbiewskis Lyrische Gedichte, Metrisch aus dem Lateinischen übersetzt von A. I. Rathsmann, Professor der schönen Wissenschaften in Breslau, mit beigedruckten lateinischen Original. Erster Band. Breslau, in August Schalls Buch u. Kunsthandlung. 1800. — titulus cum effigie Sarbievii aere excusa. — 8°, pag. XXXXVIII, 131 et 6 chartae cum Indice. Liber continet vitam Sarbievii et variorum de Sarbievio testimonia et judicia, deinde libri I. Lyr. odas omnes. [Korn., Wols.] — Idem ibidem 1802, 1805, [Czartor.], 1820 [Korn.]

Lobgesang auf die Ehre und Geschenk für Freunde, nach dem Lateinischen vom Chr. Gl. Wernsdorf. Helmstadt 1803. (1808?) 8°.

I. P. Silbert, Das Haus der heiligen Sänger. Wien 1820. — item: I. P. Silbert, Dom heiliger Sänger. Neue Ausgabe. Wien 1833. [Star.]

Matthiae Casimiri Sarbievii auserlesene Oden des I und II Buches in Metro des Originals verdeutscht und mit nöthigen Erläuterungen versehen, von Phil. Jacob Bechfeld, Professor der Grammatikalclassen am k. k. akademischen Gymnasio, und k. k. Licealbibliothekar zu Görz. Grätz 1831. In Commission bei Damian und Sorge, 8⁰ [Wols.]

Stimmen aus Maria-Laach, tomo IV pag. 159—172, 343—357; tomo V pag. 61—76, 365—377.

Leben und Wirken der vorzüglichsten lateinischen Dichter des XV—XVIII Jahrhunderts, sammt metrischer Ueberzetzung ihrer besten Gedichte, beigefügtem Originaltexte und den nöthigen Erläuterungen, von P. A. Budik. I Band. Wien 1827. Druck und Verlag von J. B. Wallishausser. — 8⁰ — tom. I. pag. 154—217. [Wols.]

Bachmann Mauritius, nescio in quo libro.

Herder vertebat Sarbievium (vide: Neu. Nürn. Gel. Z. 1796 num. 25. pag. 128.)?

Gallicae versiones reperiuntur in libris:

Soirées littéraires, tom. 14. pag. 152—170; vertit Coupé.

Mémoires de Trévoux, Octobr. 1755, part. 2. promittebatur interpretatio omnium poematum Sarb.

Parnasse latin moderne de Brunel d'Arles. Lyon 1808— tomo II. pag. 272—281.

Notice sur le R. P. Casimir Sarbiewski de la Compagnie de Jésus, poète latin (1595—1640) suivie de quelques-unes de ses odes, traduites en français par le Comte Ignace Ledóchowski. Sceaux, imp. Charaire et fils. Paris lib. Croville-Morant 1878.— 8⁰, pag. 43.

Anglicae versiones reperiuntur in libris:

The Odes of Casimire, Translated by G. H., Printed for Humphrey Mofeley at the Princes Armes in Pauls Churchyard 1646. W. M. sculp.— 12⁰, pag. 7 et 141. In titulo est carmen breve anglico idiomate, et imago exhibens Sarbievium et Horatium. Versioni adjacet textus latinus. Editor G. Hils libro huic, quem Bernardo Hyde dedicavit, apposuit etiam carmen suum in Sarbievii Casimiri Lyram. [Brit., Czartor., Wols.]

Translations from Casimir... With Poems, Odes, and Specimens of Latin Prose. By J. Kitchener. London & Bedford 1821. — 8⁰, [Brit., Czartor.]

Wood-Notes; the Silviludia Poëtica of M. C. Sarbievius. With a translation in English verse Musings at Tynemouth. By R. C. Coxe. Newcastle-on-Tyne, 1848. [Brit., Oxf.]

Ode from Casimir Sarbievius, a Polish poet. (Herbert, interpres) habetur pag. 199 libri: Xiązka wypisów Angielskich, z słownikiem ułożone (!) przez K. L—S. (Krystyn Lad Szyrma) dla użytku młodzieży instytutu politechnicznego. Warszawa 1828.

In libro: Wybor poezyi polskiey. Specimens of the Polish poets; with notes and observations on the literature of Poland. By John Bowring. Narody nie gasną, lecz i za mogiłą mają bytnośc jasną cnót i nauk siłą. London. Printed for the Author. Sold by Baldwin, Cradoch, And Joy; and Rowland Hunter. 1827.— Pag. 95—110 habetur vita Sarbievii et versio ejus carminum

Vertebat Sarbievii carmina Dr. Watts, nescio in quo libro.

Italica versio: *Sonetto a Maria Santissima per la gloriosa assunzione di lei in cielo, imitazione dell' ode XXII del libro IV del P. Matia Casimiro Sarbievio della Compagnia di Gesù.* — unum dumtaxat folium, sine loco et anno (Romae circa a. 1840.)

Flamandica versio odae ad Amicos Belgas facta a M. Prudence van Duyse, habetur pag. 148—161 operis: Belgisch Museum. Gand, 1838.

Bohemica versio odes 36. lib. IV. habetur pag. 121—123 libri: Smísene hásne. Frant. Lad. Celakowského. Druhé rozmnozené wydáni. W Praze 1830. Pismem Josefy Fetterbowé.

4. Libri et dissertationes variorum auctorum de Sarbievio.

Dictiones rariores ex Lyra Casimiri Sarbievii collectae a J. Jos. Melchiore Hieber an. 1691. — 8⁰, pag. 75. (Vide: Catalogus MSS. latinorum Monachensium, num. 8587.)

Commentatio de Matthiae Casimiri Sarbievii S. J. Poloni vita, studiis et scriptis, auctore Lebrecht Gotthelf Langbein. Dresdae, sumptu auctoris, apud Georg. Conrad. Waltherum 1753. — 8⁰. Judicium de hoc libro habetur in opere: Nova acta eruditorum an. 1753. pag. 621—624. — Secunda editio *Dresdae apud Fridericum Hekelium MDCCLIV*, 4⁰, pag. 8, CLXXIV, habetque in titulo imaginem Sarbievii et Horatii. Recensio secundae editionis habetur in: Götting. gel. Anz. 1755. pag. 201.; item vide: Baumgartenii Relatt. de libris memorab. P. IV. p. 534. sqq. — Opus Langbeini, pluribus

erroribus obnoxium, divisum est in tres partes: I. Sarbievii natales, studia et scripta. II. Variorum de Sarbievio testimonia et judicia. III. De variis Lyricorum Sarbievii editionibus.

Academia Leodiensis anno 1822 proposito praemio provocavit suos alumnos ad disserendum „de neglectu neolatinae poeseos, deque Horatii et Sarbievii dotibus.“ Duas obtinuit lucubrationes; ambae insertae sunt in „Annalibus Academiae Leodiensis“ anno 1822—23; prodierunt etiam in separatis codicibus; sunt autem hae: a) *Joannis Henrici Bormans, Trudonopolitani, philosophiae et litterarum in Universitate Leodiensi studiosi, Commentatio litteraria, qua respondetur ad quaestionem ab humanissimo philosophiae et litterarum Ordine in Academia Leodiensi anno MDCCCXXII propositam... quae praemio ornata est.* — 4⁰ pag. 112. — b) *Cornelii Star. Numan. Ph. teor. et Lit. hum. in Academ. Rheno-Traject. stud., Commentatio literaria de latina recentiorum poesi, et de Horatio atque Sarbievio, inter se comparatis, praemio ornata die VII. Octob. MDCCCXXIII.* — 4⁰, pag. 163. — [Utrumque exempl. Wols.]

De Sarbieviana poesi in Consessu Academico ad memoriam Polonorum, doctrinarum laude celeberrimorum instituto, disputavit, die XVta Julii MDCCCXXV Franciscus Antonius Woelke, Varmiensis. Varsaviae. Ex officina N. Glücksbergii, typ. Univ. — 4⁰, pag. 31. — Libellus hic iisdem ipsis typis impressus est etiam pag. 1—31 opusculi, cujus titulus est: Posiedzenie publiczne królewskiego Warszawskiego Uniwersytetu na uczczenie pamiątki uczonych mężów, a mianowicie Polaków, odbyte dnia 15 lipca 1825 roku, w Warszawie, w drukarni N. Glücksberbera, xięgarza i typografa Uniwers. — 4⁰, pag. 43. [Utrumque exemplar Wols.]

De Mathia Casimiro Sarbievio Poloniae Horatio. Dissertatio inauguralis philologica, quam consensu et auctoritate ordinis amplissimi philosophorum in alma literarum Universitate Fridericâ Guilelma, ut summi in philosophia honores rite sibi concedantur, die XI. M. Martii a MDCCCXLII. H. L. Q. S. publice defendet auctor Maximilianus Kolanowski Posnaniensis opponentibus C. Szymański, Philos. Stud., L. Rybiński, Jur. Stud., A. Małecki, Philos. Stud., Berolini typis Nietackianis. — 8⁰, pag. 91 et 5. [Wols.] Quaedam hujus dissertationis exempla hunc habent titulum: *De Mathia Casimiro Sarbievio Poloniae Horatio. Dissertatio philologica, quam pro summis in philosophia honoribus obtinendis scripsit Maximilianus Kolanowski. Berolini Typis Nietackianis 1842.* — In periodico: Kronika rodzinna mniejsza 1886, habetur epistola Kolanowscii de hac dissertatione.

Lithuanicarum Societatis Jesu historiarum provincialium Pars I, authore Stanislao Rostowski ex eadem Societate et Provincia Sacerdote. Vilnae, typ. Acad. S. J. 1768. — secunda editio Vilnae 1772. — tertia editio procurante P. Joanne Martinov S. J. Parisiis 1877.

Monumentum gratae testificationis, quod Vladislao IV Academia Vilnensis S. J. in memoriam beneficii nuper sibi litterisque exhibiti in animos erexit, a P. Joanne Rywocki S. J. in eadem Academia Professore S. Scripturae descriptum dedicatumque. Vilnae typ. acad. S. J. 1639. — fol., pag. 52. Haec est oratio, quam P. Rywocki habuit d. 5 Julii 1636, cum Sarbievius laurea theologica ornaretur.

Joan. Wielewicki S. J. Historici Diarii Domus Professae S. I. Cracoviensis (in parte hujus MS. mox imprimenda ab Acad. Litter. Cracoviensi, tractatur de Sarbievio).

Proloquia domestica... auctore P. Joanne Kraszewski S. J. Cracoviae 1699, et iterum 1716. (vide pag. 329).

De Polonis latine doctis Diatribe. Auctore Carolo Henrico Tromlero. Varsaviae et Lipsiae, apud Michaelem Groellium, Sereniss. Pol. Regis Commissarium et Bibliopolam, sub signo poetarum. A. R. S. MDCCLXXVI. — 8⁰. pag. 56. — In titulo cernitur imago instar numismatis, exhibens duo capita laureata cum inscriptione: Mat. Sarbiewski, Adam. Naruszewicz, Poetae. — Vide pag. 35.

Simonis Simonidis Bendowski, Leopolitani... opera omnia... typis consignata procurante Angelo Maria Durini... Varsaviæ 1772. (Editor Durini ut carmina Simonidis pluribus in coelum laudibus ferre possit, in proëmio hujus libri omni arte Sarbievium deprimere contendit; refutatur a Kolanowski et Woelke.

Acta litteraria reg. Pol. et M. Duc. Lit. 1756. pag. 146. Opus Laurentii Mizler a Kolof medici Varsav. et historiographi Pol.

Olaus Borrichius, Dissertationes Academicae de poetis publicis disputationibus in Hafnensi lyceo assertis ab anno 1676 ad annum 1681. Francofurti 1683. 4⁰, pag. 162.

Joann. Frid. Cramerus. Vindiciae nominis Germanici contra quosdam obtrectatores Gallos. Amsterdam, Berlin 1694.

Dan. Georg. Morhof, Polyhistoria litteraria, Lubecae 1732, pag. 1061, 1067.— Idem, De Arguta dictione, Lubecae 1731, pag. 191.

Joannes Drews S. J., Fasti Soc. Jesu. Brunsbergae 1727. pag. 126. num. 8, die 2. April. — idem Pragae 1740.

Miscellanea rerum ad statum Ecclesiasticum M. D. Lit. pertinentium ad Alberto Wijuk Kojałowicz S. J. Vilnae 1650. — **pag. 127.**

Aubert. Miraeus, de Scriptoribus saeculi XVII. (Vide: Fabricii Bibliotheca Ecclesiastica, Hamburgi 1718 pag. 305.)

Wittenus, Diar. Biographic. 1640.

Gudlingius, Historia eruditionis consummata (germanice scripta) Erf. et Lips. 1735. tomo III. pag. 4779.

Stollius, (Theophil. Stolle) Introductio in Histor. Erudit. Jen. 1736 pag. 220.

Nova Acta eruditorum 1758. Jan. pag. 46—48.

Bibliotheca Josephi Andreae Załuski p. 167.

Gryph. de Script. Hist. saec. XVI.

Lavallée R. De poetis latino-polonis. Paris. Didier. (Vide: Revue de l'instruction publique.— 16. Sept. 1869.)

Everhardus Wassenbergius Embricensis, Gestorum gloriosiss. ac invictiss. Vladislai IV Pol. et Suec. regis, part. 2. lib. 3.

Bibliotheca scriptorum S. J... a Philippo Alegambe S. J. Antverpiae 1643. —

Bibliotheca scriptorum S. J. ... Nathan. Sotwell. Romae 1676.

Bibliothèque des Ecrivains de la Compagnie de Jesus par Auguste et Alois de Backer. Liège 1855—59.— Secunda editio ejusdem operis anno 1876 tractat de Sarbievio tomo III. pag. 561— 565.

Fasti Sarbieviani czyli o chronologicznym porządku pieśni Macieja Kazimierza Sarbiewskiego napisał Jan Krystyniacki, profesor c. k. IV. Gimn. we Lwowie. Odbitka z programu tegoż gimnazyum za rok 1886. Lwów. Czcionkami Drukarni Ludowej pod zarządem Stanisława Baylego 1886. — 8°, pag. 55.

O miarach Macieja Kazimierza Sarbiewskiego i o ich wzorach napisał M. Sas. Osobne odbicie z XIII Tomu Rozpr. i Spraw. Wydz. filologicz. Akademii Umiejętności. Kraków. Drukarnia Uniwersytetu pod zarządem A. M. Kosterkiewicza. 1889. — 8°, pag. 83.

Liryka Sarbiewskiego, napisał St. Windakiewicz. Osobne odbicie z XV. Tomu Rozpr. i Spraw. Wydz. filologicznego Akademii Umiej. — Kraków. Drukarnia Uniwersytetu Jagiellońskiego, pod zarządem A. M. Kosterkiewicza. 1890. —8°, pag. 39. (Judicium de hoc libro vide in: Przegląd Powszechny Kraków 1892. tom. XXXIII. pag. 107—118).

Kilka słów o M. K. Sarbiewskim, szczególnie w stosunku jego do Horacyusza, podał Leon Kulczyński, nauczyciel w gimnazyjum św. Anny. Kraków 1875. — 8°, pag. 58. — Continetur etiam haec dissertatio in libro: Sprawozdanie Dyrektora c. k. gimn. Nowod. za rok szkolny 1875. — De hac dissertatione scripserunt: Kaszewski, vide: Niwa 1876. tom. IV. 2) Z. Węclewski, vide: Przegląd krytyczny, Kraków, rok 2 1876. pag. 145—148. 3) Joannes Wróbel, vide: Zeitschrift

für die Oesterreichischen Gymnasien. Wien 1876. pag. 856-861.

Przegląd powszechny, litterae periodicae Cracoviae prodeuntes, tractant de Sarbievio: 1) „Kazimierz Maciej Sarbiewski“ scripsit Joan. Badeni S. J. vide: an. 1884. tom. IV pag. 208—232, 376—395. 2) „Laska Marszałkowska“ Sarbiewskiego. Studyum kaznodziejsko-literackie przez Włodzimierza Piątkiewicza S. J. vide an. 1891. tom. XXIX. pag. 327—356 et tom. XXX. pag. 14—33. 3) Rękopisy Sarbiewskiego, scripsit W. Piątkiewicz S. J. vide tom. XXIX pag. 307—312. 4) Tłumaczenia z Sarbiewskiego, przez Włodzim. Piątkiewicza T. J. an. 1891. tom. XXX. pag. 248—253. 5) Kaznodziejska działalność Sarbiewskiego, przez W. Piątkiewicza T. J. vide an. 1891. tom. XXX pag. 360—383. 6) vide ibidem pag. 423. 7) De libro Stanislai Windakiewicz „Liryka Sarbiewskiego“ sententia lata a W. Piątkiewicz vide an. 1892. tom. XXXIII. pag. 107—115.

Przegląd krytyczny, Kraków 1876. pag. 349. scripsit Leo Kulczyński.

Atenum 1876. IV. pag. 193. Nowo wykryte poezye Sarbiewskiego przez B.

Hymny Ojców św. i wielkich w kościele mężów. Przekład ks. Kitkiewicza, Wilno, druk. Marcinkowskiego 1848. pag. XI—XVIII. habetur vita Sarbievii.

Hołowiński, Hymny kościelne. Kraków 1856. pag. 426.

Wykład budowy hymnów, w księgach liturgicznych zawartych. Skreślił ks. Dr. Andrzej Retke, profesor Akademii duchownej w Petersburgu. Warszawa, w drukarni Franciszka Czerwińskiego 1891.— 8°, pag. 43.

Piśmiennictwo polskie przez W. A Maciejowskiego. Kraków 1853. — Tom. III. pag. 240, 277 et 778.

Obraz wieku Zygmunta III. przez Franc. Siarczyńskiego. Lwów 1828.— Tom. II. pag. 160—165.

Korona polska ... przez ks. Kaspra Niesieckiego S. J.

Adama Jochera, obraz bibliograficzno-historyczny literatury i nauk w Polsce. Wilno 1840.— tom. II. pag. 48; tom. III. num. 8282, 8527, 8915, 9050.

Stanisława Przyłęckiego Księgoznawstwo polskie.

Święcki, Pamiątki historyczne. tom. II. pag. 68.

Baliński, Dawna Akademia Wileńska — pag. 128.

Gazeta literacka 1822. 23. April., num. 12. pag. 144.

Juliana Bartoszewicza Historya literatury polskiej. Warszawa 1861.

Estreicher Carol., ejus opus bibliographicum.

Przyjaciel ludu, rok III. tom. II. n. 43. pag. 344.

Encyklopedya Powszechna. Warszawa. Orgelbrand 1866.
Bogusławski — Życie sławnych Polaków.
Krasicki Ign. Zbior wiadomości, Warszawa — tom. II. pag. 472; t. III. pag. 227.(427?) Idem: O rymotworstwie i rymotworcach. Warszawa 1803. pag. 198 et 227.
Pamiątki Albrychta Stanisława Radziwiłła, wydane z rękopisma przez E. hr. Raczyńskiego. Poznań 1839.— vide t. I. pag. 322—324.
Pisma Kazimierza Brodzińskiego. Poznań 1872. tom. IV. pag. 125—136.
Mała Encyklopedya Polska przez S. P. (Plater) — Leszno i Gniezno 1847. pag. 360—362.
Wiadomość historyczna o kościele, kollegium i innych gmachach należących dawniej do XX. Jezuitów Warszawskich, ogłoszona po otwarciu na nowo kościoła w dniu 19 marca 1836 roku. w Warszawie MDCCCXXXVI. — 8°, pag. 40. — vide pag. 15—18 de tumulo Sarbievii.
Kalendarz Jezuicki większy na rok 1740 przez X. Jana Poszakowskiego T. J. Wilno — vide 2. April.
Zarys dziejów Literatury polskiej, przez Adama Kuliczkowskiego. Lwów 1891.
Magazyn powszechny, 29. Novemb. 1834, num. 43, pag. 343 — habetur vita et imago Sarb.
Życia sławnych Polaków krótko zebrane. tom I.... w Warszawie 1788. (vide pag. 147—151).
Korespondent Płocki, 5 czerwca 1883, num. 44.
Kuryer Warszawski 1884, num. 5; idem 1884, 2 Febr.; idem 1888, 5 Jul., num. 184, scripsit W. G. (Wikt. Gomulicki).
Wójcicki, Opis cmentarza Powązkowskiego.
Tygodnik illustrowany, Warszawa tom. XII, pag. 21; idem 1863 pag. 1, imago Sarbievii et ejus vita scripta ab Adalb. Grochowski; idem 1884 12 Jan. num. 54. pag. 23; idem 1884, 26 Jan. num. 56, pag. 54, scripsit Wlad. Dębski; idem 1888 pag. 87, descriptio et delineatio monumenti Sarb.
Biesiada literacka, Warszawa 1888.
Kronika rodzinna, Warszawa 1880 1 Febr. num. 3, pag. 65—71 (scripsit W. Dzieduszycki); idem 1888 num. 14.
Przegląd katolicki. Warszawa 1884. num. 6. pag. 89-93: Sarbiewski, jego dzieła i proponowany dla niego pomnik. Napisał X. Andrzej Retke.
Dziennik dla wszystkich 1884. num. 14. de monumento.
Biblioteka warszawska 1851. II. 137. — scripsit Cajetan. Kwiatkowski de monumento in pago Sarbiewo exstruendo.
Biblioteka pisarzów assystencyi polskiej Towarzystwa

Jezusowego, napisana przez X. Józefa Brown.... przekład z łacińskiego X. Władysława Kiejnowskiego T. J. Poznań 1862. — idem in periodico. Przegląd Poznański 1862. pag. 369—373.

Historya literatury polskiej przez F. Bentkowskiego. Warszawa 1814.

Dykcyonarz uczonych Polaków, przez ks. Ign. Chodynieckiego. Lwów 1833. tom. III. pag. 76—85.

Dykcyonarz poetów polskich przez ks. M. Hieronyma Juszyńskiego. Kraków 1820. tom. II. pag. 163—170.

Jacob Balde und Sarbiewski — scripsit Weichselmann— in Programmate Gymnasii Laibach anno 1864. pag. 14.

Mathias Casimir Sarbiewski, der Vorgänger Balde's. Scripsit J. B. Diel S. J. In periodico: Stimmen aus Maria-Laach. Freiburg im Breisgau 1773. tomo IV. pag. 159—172, 343—357.; et tomo V. pag. 61—76, 365—377.)

Ebert Frid. Adolf, Allgemeines bibliografisches Lexicon. Leipzig 1821. 4⁰,— I. 1075. II. 1115.

Philologisches Schriftsteller-Lexicon von W. Pōkel. Leipzig 1882. — pag. 237.

Grosses Universal Lexicon aller Wissenschaften und Künste. Leipzig und Halle. Verl. Johann Heinrich Zedler. 1742. — tom. 34. pag. 69.

Webers Einleitung in die Historie der Lateinischen Sprache.

Allgemeine Geschichte der Neueren Zeit von Caesar Cantu... bearbeitet von Dr. I. A. Mor Brühl. Zweiter Band, Schaffhausen. pag. 358.

Leipz. Gel. Zeit. 1753, num. 47, pag. 428—430.

Hamb. Corresp. 1755.

Adr. Baillet, Jugemens des Savans.... Amsterdam MDCCXXV — 4⁰, tom. IV, pag. 226.

Ren. Rapin S. J., Réflexions sur l'éloquence... etc.... Amsterdam 1644, 8⁰, pag. 208.

Ludovic. Auberius (Aubery) Memoires pour servir à l'histoire de Hollande et des autres Provinces-Unies. à Paris 1687. 8⁰, pag. 438.

Diction. univ. histor. crit. bibliogr.

Anthol. poem. lat. cur. A. Pauly. (vide: Wiener Jahrbücher der Litteratur 1819. tom. 6.)

Cours de littérature ancienne et moderne par P. Hennequin. Paris 1821. 8⁰, t. 1.

Jean François du Resnel du Bellay: Poetes couronnés (in opere „Mémoires de l'Académie" circa annum 1740.)

Léon Rogalski, Histoire de la littérature polonaise.

Histoire de la littérature de l' Europe pendant les quinsième, seisième et dixseptième siècles traduit de l'anglais de Henri Hallam par Alphonse Borghers . . . tom. III. Paris 1840. — pag. 373.

(Michaud) Biographie Universelle . . . nouvelle édition . . . Paris tom. XXXVIII. pag. 12.

Bouhour S. J. Traité du bon gout.

Nouvelle Bibliothèque d'un homme de gout. Paris MDCCCVIII. tom. I. pag. 174.

A new biographical dictionary . . . By Stephen Jones. The second edition, corrected . . . London 1796.

Classical Journal num. XXV. pag 103.— dissertatio Walkeri.

Scripserunt etiam de Sarbievio, sed nescio quibus in libris: Vicesimus Cnox, R. Ranke, Hugo Grotius, Daniel Heinsius, Menagius Gallus, Blair Anglus, Dr. Chr. Schlütter.

Le Journ. de la Librairie 1832, num. 6352. haec habet: Sarbiewski, 8⁰ d' 1/2 feuille. Impr. de Pinard., à Paris. — Num haec est editio aliqua nobis non cognita?

* * *

Carmina in laudem Sarbievii ab aliis conscripta reperiuntur in sequentibus libris:

Ad Matth. Cas. Sarbievii e Soc. Jesu Lyricorum libros Epicitharisma. Antverpiae, ex offic. Plantiniana Balth. Moreti 1634—16⁰. Epicitharisma hoc multis Lyricorum Sarb. editionibus adjiciebatur inde ab anno 1632. — Odae ex Epicitharismate desumptae reperiuntur in libris, quibus PP. Hoschius, Wallius, Jardinius (Hortensius) sua ipsorum poemata complexi sunt.

R. P. Ignatii Dyckeri Belgae Epigrammatum lib. III. Coloniae 1752.—12⁰, pag. 208—210.

P. Adalbertus Ines S. J. Polonus, in suis carminibus imitatus est Sarbievium, ejusque mentionem facit identidem in libro: Lechias.

Lyricorum libri IV . . . authore P. Andrea Kanon. S. J. Cracoviae 1643. pag. 375.

P. Hadriani Jordani S. J. ode in Sarbievium reperitur in libro: „Odae R. P. Math. Cas. Sarbievii . . . Pariis apud Henault 1665." P. Kruszewski repetiit oden illam a. 1747, edendo VII. odas Sarbievii.

P. Stephanus Fabrettus, Urbinas, S. J. laudat Sarbievium in sua Oda 33.

Adamus Naruszewicz S. J. scripsit carmen in M. C. Sarbiewski redivivam Musam. Vide editionem Sarbievii Vilnensem 1757.

Pauli Tarenghi Romani, Literarum Latinarum in imperiali Vilnensi Lyceo Professoris, Odarum libri IV et liber Epodon. Vilnae 1805.— Vide oden: Ad manes Casimiri Sarbievii, pag. 43.

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII

LYRICORUM LIBRI IV.

ET

LIBER EPODON.

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII

LYRICORUM

LIBER PRIMUS.

ODE I.

Ad Urbanum VIII. Pontificem Max.

Cum infestae Thracum copiae Pannonia excessissent.

Jam minae saevi cecidere belli:
Jam profanatis male pulsa terris
Et Salus, et Pax niveis revisit
Oppida bigis.

Jam Fides, et Fas, et amoena praeter
Faustitas laeto volat arva curru:
Jam fluunt passim pretiosa largis
Sæcula rivis.

Candidi soles, veterisque venae
Fontibus nati revocantur Anni:
Grandinat gemmis, riguoque coelum
Depluit auro.

Meque veraci cecinisse plectro
Inter Octobreis, tua festa, pompas,
Prisca Saturni rediisse saecla,
Approbat orbis.

Aurei patrum niveique mores,
Exsul et sera procul usque Thule
Candor, et pulchro remeare Virtus
Audet Olympo.

Lactis et fusi per aprica mellis
Garruli campos secuere rivi,
Et superfuso tumuere plenae
Nectare ripae.

Laetior vulgo seges inquietis
Fluctuat culmis, titubantque frugum
Uberes campi, nec avara sulcis
Invidet Aestas.

Pastor errantes comitatus hoedos
Provocat raucas calamo cicadas:
Mugiunt colles, et anhela fessis
Silva juvencis.

Pace subsultant juga, pace rident
Tetricae rupes: leve separatos
Otium colles amat, et sequestri
Gaudia pagi.

Te Ceres flavis redimita culmis,
Magne pacati Moderator orbis,
Te suis Aestas opulenta circum-
fundit aristis.

Supplici myrtus Tibi servit umbra,
Serviunt lauri: Tibi celsa longe
Quercus assurgit tremuloque pinus
Vertice nutat.

Siderum praeses, dominusque terrae,
Lucida Romam speculatus arce,
Regna tranquillet, cupidoque Patrem
Te velit orbi.

Laurus annosum Tibi signet aevum:
Fata Te norint, properentque Parcae
Nescium carpi Tibi destinatos
Stamen in annos.

Quaeque formosos sedet inter ignes,
Sedulam pro Te miserata Romam
Virgo, quam circum glomerantur albis
Astra choreis,

Curet effusas Latii querelas:
Virginum castas juvenumque voces
Curet, et votis procerum reclinem ac-
commodet aurem.

ODE II.

Ad Aurelium Lycum.

Ne plus aequo de adversa fortuna queratur.

Indignas, Lyce, naenias,
Et moestum gemitu pectus, et hispidis
Frontem nubibus expedi,
Cum Sol non solito lumine riserit,
Et Fortuna volubilis
Fati difficilem jecerit aleam.
Quod vexant hodie Noti,
Cras lambent hilares aequor Etesiae.
Moestum Sol hodie caput,
Cras laetum roseo promet ab aequore.
Alterno redeunt choro
Risus et gemitus, et madidis prope
Sicci cum lacrymis joci.
Nascuntur mediis gaudia luctibus.

Sic fatis placitum: suis
   Tempestiva fluunt fata periculis.
Fessos duxit heri boves,
   Dat magnis hodie jura Quiritibus;
Et, quae bobus ademerat,
   Imponit Gabiis et Curibus, juga.
Idem Phosphorus adspicit
   Magnum, quem tenuem viderat Hesperus.
Quod si seria ludicris
   Fortunae placeat texere, rusticus
Hesternam repetet casam,
   Ridentis populi non humilis jocus;
Et queis rexerat omnia,
   Findet laurigeris ligna securibus:
Quod si defuerit salix,
   Fasces pauperibus subjiciet focis.

ODE III.

Ad Urbanum VIII.

Urbani VIII. laudes celebrat.

Urbane regum maxime, maxime
Urbane vatum, Pegaseus Tibi
   Temo, volaturusque late
      Regna super populosque currus

Jam dudum apud me est. Eripe Te solo:
Obliviosis eripe nubibus
   Nomenque laudesque. O Deorum
      Concilio, patrioque quondam

Promisse coelo! Te super inclyta
Terrarum et altas Acroceraunia
   Egressa nubes, Te superni
      Colla super humerosque Pindi

Attollere alte, non sine numine,
Luctabor. Ibis, sub pedibus pigras
Urbes relicturusque gentes,
Attonitae novus hospes aurae,

Hac unde vasti littora Nerei,
Amnesque, camposque, et juga desuper
Arcesque mirari, et natantes
Oceano numerare terras

Coram licebit. Jam Tibi barbarus
Circum supinis collibus annuit
Haemus, salutataque longe
Attremit Acrocorinthus aula.

Ter pronus Othrys, ter trepidae latus
Subsedit Ossae, ter Rhodope nives,
Sacrasque submisere lauros
Emathii capita alta Pindi,

Sacerque Phoebo Cynthus, et aviae
Acuta Cyrrhae. Laurigeris Tibi
Thyrsis coronatus Cithaeron,
Et patula nemorosa pinu

Pangaea gaudent brachia frondium
Longe tetendisse, et procul obvios
Currus adorare, et volanti
Ardua supposuisse terga.

Hinc ire pompas, hinc Tibi praepetes
Centum superbis ire curulibus,
Urbane, Musas, atque aperto
Ire sines tua facta coelo.

Auditis? an me ludit amabilis
Imago pompae? Jam videor pios
Audire plausus, et frementes
Caeruleum per inane turmas.

Hinc et tepenti vectus ab Africo
Apum sonoro exercitus agmine
Leni ter Urbanum susurro,
Ter resonis fremuere pennis.

Ter vecta terris ac pelago super
Respondit Echo: ter lituis procul,
Sparsae ter Urbanum Camoenae
Pindaricis cecinere plectris.

Audivit ingens Pontus et insulas
Erexit omnes: ilicet Africae
Plausere et Europes, et una
Americes Asiaeque regna.

Laetaeque tandem, Currite sæcula,
Dixere Musae: currite candidis
Horae quadrigis; ite, magni
Sæcula deproperate Menses.

Dixere Musae: protinus aurea
Risere longum sæcula, sæcula
Auro laborata et recuso
In pretium emicuere vultu.

ODE IV.

Ad Crispum Laevinium.

Ne nimium adolescentiae fidat.

Vive jucundae metuens juventae,
Crispe Laevini: fugiunt avarae
Mensium lunae, nimiumque volvi
Lubricus aether.

Tu licet multo pretiosus auro,
Gemmea vestem moderere zona,
Et super collo Tyrias amicet
Fibula lanas:

Jure Phoenissis vaga penna cristis
Stare labenti dubitat galero:
Jure, quo fulges, timidum refigi
Palluit aurum.

Quod tibi larga dedit hora dextra,
Hora furaci rapiet sinistra,
More fallentis tenerum jocose
Matris alumnum.

Mobiles rerum dubiique casus
Regna mortalis tenuere vitae:
Sedulus metae, properat fugacis
Impetus aevi.

Tardius ponto volat Adriano,
Quam ratem mersi pepulere remi,
Et repentinis animosa trudunt
Carbasa ventis.

Omnibus mundi Dominator horis
Aptat urgendas per inane pennas:
Pars adhuc nido latet, et futuros
Crescit in annos.

ODE V.

Laudes Urbani VIII.

Nuper recepta bella super Tyro,
Pugnasque serum ludere distuli,
Urbane: nunc jurata lenem
Increpuit Tibi Musa buxum.

Per Te refecto ferro adamantinum
Offulsit auro saeculum, et undique
Gazis coronatumque gemmis,
Purpureo revirescit aevo.

Quo foeta quondam nectare flumina,
Ultroque septem balsama collibus
Manare, vinoque et liquenti
Melle vagos properare rivos,

Et sponte sero vespere turgidas
Ad septa narrant lanigerum pecus
Mammas reportare, et comatum
Assyrio grave vellus auro.

Te Fas, Piumque, et Justitiae comes,
Utcumque sacrum laetus agis pedem,
Candor coronat: Te fidelis
Propositi studiosa Virtus.

Te pone flavo larga Ceres sinu,
Rerumque plenis non sine cornibus
Felix Amalthee citatis
Rura subit populosque bigis.

At Vis, et ater Luctus, et aeneis
Stipata centum Bella furoribus,
Curaeque, pallentesque Morbi et
Foeda modis simulacra miris

Cessere retro. Te duce Faustitas
Secura frugum rura perambulat,
Tutaeque per vasti tumultus
Carpathii volitant carinae.

Te feriati cum pueris senes,
Nec non reclusae cum nuribus canunt
Regem puellae: sive reddit,
Sive citum rapit hora solem.

At nos recurvo poplite per vias
Patrem colentes, ter niveum Tibi
Nimbum ligustri, ter rosarum
Puniceum jaciemus imbrem.

ODE VI.

Ad principes Europae.

De recuperando Orientis Imperio.

Nondum minaci cornua Bosporo
Decussit audax Pontus, et efferi
Servire Neptunus Gelonis
Turpe gemit, resonasque fluctu

Plangente ripas Thraca rebellibus
Immugit undis. Emathiam pudet
Frenos momordisse, et Pelasgos
Odrysiis dare colla loris.

Moerent tenaci compede Cyclades
Pigrae moveri: moeret Achaica
Tethys, inaequalesque campi
Perpetuo lacrymantur Hebro.

Semperne nigras Aethiopum domos,
Vel, quae superbus praefluit oppida
Ganges, Abydenasque turres
Supplicibus tremuisse pinnis

Formidolosam juverit Artacem?
Seseque captum Bosporus omnibus
Undis, Erythraeoque, et alto
Ionio Arabioque ploret?

Vani futuri temporis augures
Foecunda rerum sæcula discimus:
Si non retractamus fideli
Tela manu, tacitoque gaudet

Vagina ferro; si clypei vacant,
Hastæque et arcus. Non animi placent
Parci laborum, non magistrae
Consilii, sine Marte, linguae.

Frustra Novembres dicimus ad focos
Pugnata Rhaetis bella sub Alpibus:
Frustra renarramus Gelonum
Versa retro retulisse signa:

Si non et ipsi stringere Noricos
Audemus enses: quos male barbara
Non decoloravere terga,
Sed Tyrio Latiale fuco

Illevit aurum, non sine gemmeo
Circumsonantis fulgure balthei, et
Grato catenarum tumultu,
Et sonitu phalerarum acuto.

Formosa fortes arma timent viros,
Frangique nolent, seu profugus Scythes,
Seu creber e campis agetur
Myrmidonum Dolopumque nimbus.

Quicumque suras et caput induet
Auro, Quirites, exuet Italum:
Civisque Romanus negari
Impavido patietur hosti.

Nec, qui capillum finget et aureum
Solem refusis crinibus allinet,
Dicemus Umbrum, qui frementes
Antiochi Annibalisque turmas

Rursum efficaci diruat impetu,
Alpesque clausumque intrepida manu
Perrumpat orbem. Sic citatis
Sæcula degenerare metis

Sancit futuri temporis arbiter:
Certoque prudens ordine segreges
Metatur annos. Nunc severis
Artibus ingenioque pugnax

Affulget aetas: nunc melior foro
Gestit disertis fervere jurgiis.
Haec Thracas audacemque Bessum,
Haec Cilicas, pavidosque Seras

Produxit aetas. Nos senio piger
Effudit Orbis, dedecus ultimum
Mundi, fatiscentisque naturae
Opprobrium. Male nata proles,

Quidquid bonorum restitit (heu nefas!)
Morum, scelesta deterimus nota,
Mentisque et excelsi latrones
Ingenii, violenta fraudum

Tormenta sanctis addere dotibus
Laudamur ultro; nec scelerum pudet:
Virtusque clamatur sagacem
Flagitio violare dextram.

Iras et enses vendimus, et manum,
Hac, unde nummis aura refulserit:
Sparsique tinnitus ad auri
Sollicita vacat aure vulgus.

Et qua secundis jecit honoribus
Bene ominatam mobilis aleam
Fortuna, mentitur caducae
Plebis honos, positoque fallax

Accumbit omnis poplite civitas,
Perjura festo surgere cum joco,
Cum pompa stipantum, et dolosi
Praeteriit breve fulgur auri.

ODE VII.

Ad Telephum Lycum.

Fortunae rerumque humanarum inconstantiam accusat.

Eheu, Telephe, ludimur:
Fortunae volucri ludimur impetu!
Aeternum nihil est, sacro
Quidquid lenta tulit materies sinu.
Statur casibus. Occidet
Quod surgit: sed adhuc surget, et occidet
Ritu praecipitis pilae,
Quae cum pulsa cava rejicitur manu,
Nunc leves secat Africos,
Nunc terrae refugis absilit ictibus.
Vesper vespere truditur:
Sed nunc deterior, nunc melior subit.
Anni nubibus insident,
Incertis equitant lustra Favoniis,
Caeco sæcula turbine.
Haec, quam Pieria decipimus lyra,
Juncto fulminis essedo,
Eheu! quam celeres hora quatit Notos!
Nec gratae strepitum lyrae,
Nec curat miserae carmina tibiae:
Et quamquam canitur levis,
Sese tota suis laudibus invidet.

Magnas interea rapit
  Urbesque et populos, et miserabili
Reges subruit impetu:
  Et sceptri decus, et regna cadentium
Permiscet cineri ducum,
  Auratasque trabes, et penetralia,
Et cives simul et super
  Eversis sepelit turribus oppida:
Ac mundi procul arduas
  Stragesque et cumulos, ac procerum pyras
Festa nube supervolat:
  Stellarumque rotam, et longa brevissimo
Cursu saecula corripit.
  Dum nobis taciti diffugiunt dies,
Eheu! Telephe, ludimur,
  Fatorum rapida ludimur orbita.
An nos fallimur? an suam
  Rerum pulcher habet vultus imaginem?
Et sunt quae, Lyce, cernimus?
  An peccant fatuis lumina palpebris,
Et mendax oculi vitrum?
  An longi trahitur fabula somnii?

ODE VIII.

Saeculi socordiam persequitur.

Aut nos avarae vendidimus Tyro,
Aut usque Thulen misimus exules
  Cultus avorum. Non honoris
    Praecipiti libet ire clivo:

Non sceptra Pyrrhi, non Agamemnonis
Leto pacisci: non Halyattici
  Vejente permutare saxo
    Uber, Achaemeniumque Tigrim.

Nescit severo livida brachia
Signare ferro: nescit idoneis
Tiro reluctantem lupatis
Frangere equum, metuitque torvum

Tranare Tibrim, cum nivibus satur
Exaestuanti frena licentiae
Permisit, emovitque ripam
Assiduae metuendus Urbi.

Quod si procacem fregit equus gradum
Micatque nervis et genibus tremit:
At non Lupercales iisdem
Nescius assimulare saltus,

Et, cum peritum sistra citant pedem,
Doctus choreae. Frangite barbita
Nervosque, dementemque buxum
Faemineo prohibete cantu.

Auditis? Istri littora personat
Ferale cornu. Jam capita Alpium
Magnaeque respondere montes
Ausoniae; novat arma Mavors,

Urbesque tectis elicit. Ibimus?
An nos Caleno mensa tenet mero,
Coenaeque regnorum redemptae
Divitiis populique censu?

Quas cum recedens viderit Hesperus,
Surgens easdem Phosphorus adspicit;
Et ridet adspecto renidens
Luna mero, radiosque tingit;

Dum nos Lyaeo regificis super
Descripta mensis proelia pingimus,
Fusoque metamur Falerno
Moenia, diluimusque fossas.

Surgamus. Indo lutea Nereo
Sublucet Eos: jam radiantium
   Flatus quadrigarum, et citatae
      Oceanum pepulere plantae.

Surgamus. Omnes prima vocat dies,
Et Phoebus: at non noster ab Indiis
   Phoebus, Quirites, nec Latino
      Orta dies famulatur orbi.

Totumne diris mane Othomanidis
Impendet aether? pro pudor! Occidens
   Nobis fatigatusque tantum
      Hesperium prope Phoebus axem

Turpi Latinis vespere serviet?
Surgamus: Oetam Gadibus et Paron
   Addamus, Auroramque Nocti et
      Bactra Tago, Tiberique Gangem.

ODE IX.

Ad Nicolaum Vejerum

Palatini Culmensis filium.

Ibis, belligeræ regna Poloniæ
Et gratae repetes limina patriae:
Quae te voce diu, quae prece flagitat
         Passis obvia brachiis.

Ceu quem velivolis praepes Etesiis
Navis divitibus distinet insulis
Dilectum juvenem, quem modo barbara
         Auri corripuit fames,

Mater sollicito spectat ab aequore,
Et lentum pelagi damnat Oriona,
Et ventos gemitu duplicat, et pigro
Affundit lacrymas mari:

Si fors, edomito fletibus Aeolo,
Indo sole niger filius advolet,
Et longi memores exsilii notas
Caris deleat osculis.

At tu nec studio mercis idoneus,
Infamisque lucri, nec sitiens opum,
Quas septem geminis prodigus ostiis
Aut Ganges vomit, aut Tagus,

Invises patrium limen, amantior
Insignes animi quaerere copias,
Et vi consilii promptus, et ubere
Vena divitis ingeni.

Te rerum sapiens usus et imperi,
Te felix operum spiritus addecet,
Et vox se populo fundere largior
Plenae flumine copiae.

Fortunae volucrem mitte licentiam:
Hoc appone lucro, quod tuleris simul,
Quo te cunque feres: seu per inhospita
Rauci littora Bospori

Et captum nivea compede Nereum,
Seu pacis dubios Thracas, et asperum
Persen, seu refugum visere Concanum
Legatus properaveris.

Virtutem solidi pectoris hospitam
Idem portat equus, qui dominum: neque
Aut campo melior pone perambulat,
Aut mensae comes assidet.

Illam cana Fides, nudaque Veritas,
Et ferrugineae plebe Pecuniae
Circumfusus Honor, et sequitur prope
Albis Fama jugalibus.

ODE X.

Laudes Urbani VIII.

Non solus olim praepes Horatius
Ibit biformis per liquidum aethera
Vates, olorinisve late
Cantibus, Aeoliove terras

Temnet volatu: me quoque desides
Tranare nimbos, me Zephyris super
Impune pendere, et sereno
Calliope dedit ire coelo,

Et qua licebit nubibus et sacrum
Vulgare coelo carmen, eburneam
Lyramque suspendens, tubamque
Colla super, niveisque leves

Plumis lacertos. Me nec inhospita
Sistent oborti littora Nerei,
Rupesve inaccessae ferarum, aut
Verticibus scopulorum acutis

Armata Tethys. Me juga Caucasi,
Me canus Atlas, me mare barbarum,
Lateque dejectis uterque
Audiet Oceanus procellis.

Ut se quieto cuncta silentio
Stravere late! Pieriae simul
Fontes Amymonae, et canoris
In numerum cecidere lymphis

Doctum fluentis murmura Penei,
Sacroque Nysae e vertice tympana,
   Lyraeque, buxique, et remista
      Cum lituis citharisque plectra

Fregere nubes. Hinc Tibi gloria
Late per orbem differet aureum.
   Urbane, nomen: qua corusco
      Concutitur Jovis aula curru,

Septemque sese sideribus pigrum
Evolvit aevum. Protinus ultimis
   Afris, coronatisque Serum
      Moenibus, Oceanoque rubro

Noscere magnus. Jam Tibi tinnulus
Fert sistra Nilus: jam Berecynthia
   Curetes aera, jam frementes
      Rauca crepant Corybantes arma.

Te Vaticanis Maurus et Aethiops
Affusus aris, Te tepidi canunt
   Devexa mundi, Te remotae
      Littora personuere Chrysae.

Magnusque late diceris arbiter
Coelumque, Terrasque, et Maria, et Styga,
   Amnemque Cocyti severum, et
      Elysiam cohibere Lethen.

Tibi (benignae si qua fides spei)
Sternentur olim magnanimae ad pedes
   Gentesque Regesque. O caduci
      Praesidium columenque mundi,

Jam nunc labantis pondera saeculi, et
Deproeliantum funera principum,
   Pronasque regnorum ruinas
      Consilioque humerisque siste.

Tardum sereni partibus aetheris
Te Sidus addas; neu properes citus
Mensis reclinari, et faventum
Ambrosiae accubuisse Divum.

Sero receptum Roma fleat Patrem,
Tuisque longum vivere moribus
Possint Quirites, possit ingens
Curia, purpureique Patres.

Diuque gaudens et cupidus Tibi
Incumbat orbis: certus ames Remi
Urbemque prolemque, ac merenti
Quamquam avidus Tibi debet aether,

Reposce Divos praemia lentior:
Paullumque differ sidera, dum Tagum,
Dum Baetin, undantemque bello
Eridanum, Ligerimque places;

Dum fracta septem cornua montibus
Submittat Hebrus; dum Tibi Thessalum
Ducat catenatus Tyrannum in
Perniciem opprobriumque Fastus.

Jam tum tropaeis et senio gravem
Aurata stellarum ad Capitolia
Longis revertentem triumphis
Signiferae vehat axis aulae.

Quo, Musa, vatem, non memor Icari,
Tollis relapsurum? his potius gravem
Depone ripis, et dolosas
Deme humeris digitisque plumas:

Tibrimque propter ducere languidos
Permitte somnos, et super ilice
Lyramque pendentemque buxum
Ambiguis fluitare ramis.

ODE XI.

Ad Stephanum Pacium

Lithuaniae Supremum Thesauri Praefectum.

Equestris elegantiae jactantiam reprehendit.

Non auro, neque tinnulis
Pugnandum phaleris: et chlamydum sinus
Et nodos, et inutiles
Gemmas belligeris demite brachiis.
Quid laevem galeam juvat
Plumarum volucrem ferre superbiam?
Cur sparsas agitat jubas,
Et conus tremulis annuit Africis?
Cur tectum pavidam caput
Ementitur avem, cum leve sibilis
Aurarum et Zephyri joco
Furtum Mygdoniae proditur alitis?
Jam grando chalybum imminet,
Telorumque frequens aura volantium
Imbelli galeae insonat:
Jam Martis tonitru mugit, et obvium
Medi fulgur acinacis.
Quid prosunt phalerae? quid galeae jubar?
Quid laetae Zephyris comae?
Aut umbo clypei quod procul aemulis
Lucem solibus invidet?
Quid vultus nimium sedulus adspici?
Quid pictus pharetrae timor?
Aurum frenigera rejice dextera:
Ferro res eget et manu,
Et magnis animis. Haec tuleris tria;
Dicam Geryoni parem,
Quem nec populifer proruat Hercules,

Nec coelo nimius Mimas,
 Nec dura Idomeneus, aut Sthenelus manu.
Bellis adsit idonea
 Incomptae facies lege ferociae,
Quam fuci decor abstinens,
 Lascivaeque carens forma proterviae,
Et ferri memores genae,
 Hesternique notent vulnera proelii.
Cristae non facient virum,
 Non arguta suis colla coralliis.
Thoracas pavor et metus
 Dicuntur Siculis fingere malleis,
Et primi scopulis super
 Procudisse vagis scuta Cydoniis.
Non stultum tegimur caput,
 Et leto tenues objicimus moras.
At quos eruerit sibi,
 Directis oculos invida spiculis
Mors affingere creditur.
 Fatis mille loci, mille patent viae:
Sed signat jaculis locum,
 Qui vultum subitis dimovet ictibus,
Devotumque mori latus
 Objectu tremulae protegit aegidis.
Nudos bella pavent viros:
 Audentes animos ipsa volunt prope
Declinare pericula.
 Cum consanguineae ferrea Graeciae
Hector rumperet agmina,
 Torvis saepe genis turbidus obvios
Fati terruit impetus.
 Quos fortuna timet, vitat; et acrium
Differt proelia mentium;
 Et mors saepe viris invidet auream

Famae pandere semitam.
  Quod si belligera cesseris orbita,
Post te fata citaveris,
  Ostendesque neci, qua fugies, viam.

ODE XII.

Ad Principes Romani Imperii.

De recuperandis Graeciae provinciis.

At non supino semper in otio
Perdemus aevum. Surgite, Dardani
  Cives, triumphatumque captis
    Imperium reparate Grajis.

Implete classes, tendite carbasa,
Inferte remos: ite volentibus
  Fatis, Quirites, ite: ventis
    Vestra tument animisque vela.

Est, qui locantem bella pecuniam,
Novisque rebus postulet utilem
  Nervum? Quis erumpentis auri
    Fluxit ager potiore vena,

Cuniculosi montibus Orici?
Ferro, Quirites, si lubet, abditum
  Mercemur aurum. Qui vibrati
    Glandibus emeruisse plumbi

Gazas potentum sciverit urbium,
Hic magna parvo lucra paraverit
  Sumptu: nec exponetur aurum,
    Nec Tyriæ Cypriaeve merces,

Quas non cruentus Martis emat chalybs:
Seu per reluctantum agmina Bistonum,
Et per recedentes Gelonos
Vulnifico pluit aura nimbo:

Seu fulminatis diruta molibus
Castella densis bella tonitruis
Emoliuntur, cum caduco
Mœnia concutientur igni,

Capique versis turribus annuent
Arces, et omnis copia, et obice
Centum catenarum gementes
Divitiæ pedicisque ferri.

Jam pæne gazis Bactra timent suis:
Jam dives Aule, jam Cythereïæ
Conchæ, Mycenaeique census,
Et Tyros, et Genoëssa flavo

Pallescit auro. Jam prope decolor
Albet superbis Creta coralliis;
Phthieque, et interfusa Cypros,
Ditibus ingemuere ripis.

Est, quem comantum gratia montium,
Aut floridorum tangit amoenior
Vultus viretorum, vel uda
Mobilibus Cynosura rivis?

Hunc empta multo sanguine recreent
Tempe, vel acri Pelion aut Samos
Asserta bello, vel virentis
Silva Cragi, vel opaca leni

Pangaea quercu. Nec viridem Gnidon,
Altamque Dymen spreverit, aut retro
Spissis coronatam salictis
Olenon, umbriferamque Tricen.

Non lympha Cydni, non vitreus Meles,
Lenisve puro Lydius agmine,
Non mite crystallum Lycormae,
Non gelidis Arasinus undis

Desiderantem non bene lubrico
Soletur amni, si modo bellica
E strage fumantes capillos,
Et tepidus linat ora pulvis.

Est, qui supina certet amystide
Obliviosum ducere Liberum?
Hunc Lesbos, hunc vinosa Crete,
Hunc Paphii rogat ora Cypri,

Laxare ferrum. Nec Rhodos abnuit,
Nec, non severi strenua Caecubi
Naxos: nec illaudata Trachin,
Aut resides Amathuntis arces

Nolent cruentis ictibus asseri;
Aut qui propinquis aethera rupibus
Affectat Edon, aut maritus
Vitiferis Aracynthus ulmis.

Est, cui supellex, et vigil ignibus,
Risit caminus? cui pecorum placent
Armenta? cui late reductus
Hinnit ager, fluviique balant

Cantu sonori blandius Orphei?
Illum juvencis postulat hospita
Pleuros, Cleonaeique colles,
Et pecorum studiosa Throezen,

Cacaeque valles, vel Calydoniae
Dumeta silvae, vel redeuntibus
Saltata Gortyne capellis,
Cum roseus tegit arva vesper.

Si quis virenti limina marmore,
Saxoque postes et laquearia, et
  Fingat pavimentum, Caryston
    Et variam Salamina justis

Reposcat armis. Huic Phrygium prope
Baccata longis Attica collibus
  Descendet in tectum, et videndae
    Porticus adjicietur aulae.

ODE XIII.

Ad Tarquinium Lavinium.

Aequam in adversis non secus ac bonis mentem esse servandam.

Non, si sol semel occidit,
  Non rubris iterum surget ab Indiis?
Nec, si quos celeris rotae
  Sors non exiguo proruit impetu,
Non lapsos iterum levet,
  Arguto docilis ludere cum joco?
Ne spem projice, Tarquini:
  Cujus paene retro lambere pulverem
Et vestigia diceris,
  Cum fortuna levem verterit orbitam,
Effusam super et luto
  Fumantem poteris cernere purpuram.
Tunc et risibus abstine:
  Neu turpi domino lumina paveris:
Neu calces nimium, memor,
  Fortunae geminam saepe jaci pilam.

ODE XIV.

Ad Julium Florum.

Curam Lyncei adolescentis illi commendat.

Nullus effrenae rabiem juventae
Aestus Aetnaei superet camini:
Nulla conceptos jaculantis ignes
Ira Vesevi.

Crescit infestis animosus ausis
Ardor, et primae juvenile vitae
Robur, adversum sibi, luctuosis
Dissidet armis.

Sic ubi densis Aquilo procellis
Bella montanis meditatur Euris,
Et potens igni Notus, et sonorus
Imbribus aether:

Hinc repentinos struit aura montes;
Inde bacchantum patiens procellarum
Ingemit littus resonumque saxis
Tunditur aequor.

Fervet hinc illinc inimica Tethys;
Pacis incertus, dubiusque belli
Fluctuat Pontus, cui militares
Instruat undas.

Mollior laesi tamen ira Ponti,
Lenior motis Aquilo procellis,
Puberum, Juli, quatiente coecas
Turbine mentes.

Hic ubi pugnax equitavit Auster,
Incitae remis volitant carinae,
Quas leves aurae, facilisque veli
Trudit Iapyx:

Quae semel certo metuendus arcu
Fixis aut recti timor, aut cupido,
Rara pacatis agitata sidunt
Pectora curis.

Fortius pugnes juvenum domando
Spiritus, quam si juga feriatis
Induas tauris, vel equina Poeno
Frena leoni.

Jure florentes moderaris annos
Lyncei: duris merito lupatis
Corripis frenum, spatiique parcum
Flectis ephebum.

ODE XV.

Ad Equites Polonos.

Cum Ladislaus, Poloniae Princeps, fuso Osmano, Turcarum Imperatore, victorem exercitum in hiberna reduceret.

Credetis? Io, credite, Posteri,
Fractos pudendo Bistonas impetu
Cessisse, et infaustis redemptam
Funeribus pepigisse pacem.

Quis tunc recentes Odrysiis timor
Affixit alas, cum refugas metu
Prae se Ladislaus phalangas
Fulmineis agitaret armis?

Quantus Gelonis, quantus erat feris
Sudor Corallis! cum prope decolor
Ister, verecundusque capta
Bosporus erubuisset unda.

Cum versa Thracum parma trementibus
Fronderet hastis, cum celer Artacen,
Turresque Byzanti probrosis
Concanus assonuisset armis.

An nos repensam sanguine gloriam
Frustra futuris emimus? An suos
Exempla diffingent nepotem
In proavos, similemque patri

Gnatum reponent? Quatenus (heu pudor!)
Pejor nefastis progenies avis
Succrevit, et damnosa pulchras
Saecula diminuere vires.

Vel nos avitae stemmata gloriae,
Currusque, et enses, nuper et hosticis
Direpta delubris tropaea,
Haemoniae monumenta pugnae,

Uramus igni: neu pudeat sacros
Mentita vultus frangere marmora:
Non aera, fumosasque patrum
Effigies, memoresque laudum

Ceras, profundo mergere Vistula:
Vel, si supinae taedet inertiae,
Martemque, majorumque pugnas
Egregiis iterare factis

Juremus. O, quem gloria fervidis
Urbesque, terrasque, et populos super
Evexit alis, o caduci
Grande decus columenque mundi,

Pridem Geloni sobria sanguinis
Rursum Polonis deripe postibus
Et tela, princeps, et timenda
Edoniis refer arma signis,

ODE XVI.

Temporum ignaviam reprehendit.

Mercuri, nam te citharae potentem
Vivido Manes reparare cantu
Furva Cocyti stupuere pressis
Stagna fluentis:

Tuque, Lesboos imitata nervos,
Musa, Dircaeum modulare carmen,
Quo Palatini revocetur Orco
Turba Quirini.

Ite, pugnaces Priami nepotes,
Pulcher Anchisae Venerisque sanguis:
Ite, formosas Acherontis, ite,
Linquite ripas.

Quid juvat, nigras habitare valles,
Ferreum leto simulante somnum?
Quid juvat subter sepelire magna
Saecula terra?

Te, Mari, torvi revocant Sicambri:
Te pharetratae Nomadum catervae,
Te Numantini, metuende, poscunt,
Scipio, campi.

Aereis rursum fluitare turmis
Visa Carthago, peditumque nimbos
Et Saguntinis, Siculisque bellum af-
fundere portis.

Surge: non audis strepitum? et sonorum
Agmen? et tractas per humum catenas?
Non vides, quantam novus, ecce, surgit
Poenus in hastam?

Magna te poscunt Asiae sepulcra,
Magne Pompeï. Tibi, Caesar, olim
Thraces et ferrum, manicasque, et ignem et
Tela minantur.

Bactra jam motis tremuere castris,
Martio nubes feriente cornu:
Jam minae tristes equitum, et frementum hinnitus equorum.

Surge: qua dormis, quatit acer urnam
Ungula Medus: potes hoc sepulcro
Esse secure piger? aut honestos
Carpere somnos?

Ite, felices iterate pugnas:
Ite, Romani. Juvet arma notis
Postibus demi, solitoque frontem assurgere cono.

Bella nos pictis simulamus armis,
Splendide fortes, et inane pugnae
Nomen, et docti vacuum duellis
Ludere Martem.

Fortium cingi galeis avorum
(Prô pudor!) seri fugimus nepotes!
Heu, peregrinis onerasse fortes
Tempora gemmis!

Parva non magnam manus implet hastam:
Defluunt grandes humeris pharetrae:
Decidunt arcus, laterique iniquus
Exprobrat ensis.

Prisca mutatae pudet arma dextrae:
Patrius quondam male laxus haeret
Filio thorax: nec avita norunt
Tela nepotem.

ODE XVII.

Animi lenitate principes maxime commendari.

Non vivi paries vitri
  Crystallique fores, aut Mareoticis
Aurum postibus illitum,
  Laudandum memori carmine principem
Clarabit: neque barbaras
  Decidet tumulo gloria laureas:
Sed frons mitior adspici,
  Innubique nitens ore meridies,
Et, qui sospitat omnia,
  Irati vacuus nube supercili,
Primo gratior Hespero
  Formosus rosea vultus in Iride.
Regum vultus imagine
  Regnorum legitur. Pandite lumina, et
Vultum pandite, principes:
  Jam vultum, et populi lumina vidimus.
Irasci populum docet,
  Qui torvis nebulam nutibus addidit:
Idem supplicii piger
  Maturis faciem risibus explicet,
Caedesque, et populi graves
  Iras, et procerum proelia, et asperas
Regum contuderit minas.
  Vulgus bella fremat: te nihil attinet
Foedo turbida nubilo
  Mutari pavidis ora coloribus.
Veris janitor aureus,
  Qui campis liquidi pascitur aetheris,
Stellatis Aries comis,
  Picti rura poli frenat, et arbiter
Mundi prata perambulat:
  Iraeque et placidi lenior imperi

Ursis praesidet et lupis;
  Demitque, et dominis cornibus annuit
Torvis jura leonibus,
  Castigare vagos acer, et igneis
Mundi cogere sepibus.
  Vultur, degenerum parcior unguium,
Albis parcit oloribus:
  Compescit volucrem Bellerophon equum;
Nusquam monstra vagantia
  Chiron Haemonia figit arundine.
Colludit Geminis Leo, et
  Taurum supplicibus conciliat jubis.
Nusquam sidera mugiunt,
  Aut latrat Procyon, aut Libyco duplex
Rugitu reboat polus.
  Labuntur tacito summa silentio:
Tranquillaeque tacent rotae,
  Dum currus vigilum volvitur ignium.
Tantum lanigerae facis
  Balatu resonat mundus amabili,
Rixaque et strepitu vacat:
  Et se mundus amans, ipse sui prope
Vivis lucet amoribus;
  Naturaeque uterum, et parturientia
Zona sidera subligat:
  Hanc flexis Aries cornibus inchoat,
Rerum nobile vinculum, et
  Conjux signiferi fibula balthei.

ODE XVIII.

Ad Divam Elisabetham,

Cum inter Divos ab Urbano VIII. referretur.

Diva, devexo dominata ponto,
Cujus undosae meminere Gades,
Cui Tagus servit, liquidoque rura
Praefluit auro;

Pauperes olim coluisse sedes
Laeta, nunc magnas habitare stellas
Inter et gyros, et euntis inter
Sidera mundi,

Dum tibi Medae pretiosa silvae
Damna per Tuscas adolemus aras,
Thureo Regem populique celes
Crimina fumo.

ODE XIX.

Ad coelestem adspirat patriam.

Urit me patriae decor:
Urit conspicuis pervigil ignibus
Stellati tholus aetheris,
Et lunae tenerum lumen, et aureis
Fixae lampades atriis.
O noctis choreas, et teretem sequi
Juratae thyasum faces!
O pulcher patriae vultus, et ignei
Dulces excubiae poli!
Cur me, stelliferi luminis hospitem,

Cur, heu! cur nimium diu
  Coelo sepositum cernitis exulem?
Hic canum mihi cespitem,
  Hic albis tumulum sternite liliis,
Fulgentis pueri domus.
  Hic leti pedicas exuor, et meo
Secernor cineri cinis.
  Hic lenti spolium ponite corporis,
Et quidquid superest mei:
  Immensum reliquus tollor in aethera.

ODE XX.

Ad Principes Italiae.

De recuperando Orientis imperio.

Pulchro, Quirites, pulvere gaudeat
Impubis aetas, et strepitum, et minas
  Jam nunc, et audaces tumultus
    De tenero meditetur ungui:

Visoque primum sanguine gestiat
Inter cadentum signa: neque eligat
  Quo lassa post pugnam reclinet
    Colla toro; solidisque somnum

Commendet armis: aut clypeo super
Effusus, aut se cespitis explicet
  Per summa, non parcus juventae,
    Et decorum pretiosus emptor.

Hoc septus olim milite, Bistonum
Vallata saxo diruit oppida
  Regnator Epiri, et timendus
    Parrhasiae moderator orae.

Heu, quantus armis, quantus adest equis,
Quantusque sudor depopulantibus
  Pangaea Dacis! cum refusi
    Ferrea diluvies Gradivi

Tumultuosi turbine proelii
Concussit Haemum: cum Rhodopen prope,
  Sacrisque Ladislaus armis
    Attonitum patefecit Hebrum,

Et bellicosum Strymona vindice
Turbavit hasta, qui calidas adhuc
  Strages Gelonorum, et natantum
    Scuta virum, galeasque volvit.

Magnum illa terris intulerat metum,
Praeceps alienas rumpere copias,
  Taboque fumantes et igni
    Ausa cohors operire campos.

Si non, honesti laeta periculi,
Bellique metas rumpere pertinax,
  Egisset armorum cupido
    Non humiles iterare pugnas:

Manes avorum quis bene prosperis
Excuset armis? quae manus impigrum
  Leti Musurmannum paternis
    Immolet inferias sepulcris;

Quae nunc (pudendum!) illudere pervicax
Persultat armentum: et miserabiles
  Delent peremptorum ruinas
    Hinnulei timidaeque damae?

Eheu! cicatricum Hesperiam pudet,
Et mollis oti, et turpis inertiae,
  Iraeque, quae procudit arma
    Immeritis inimica regnis.

Quisquamne tandem (dicite, posteri)
Ulturus Urbis nomen et imperi
Affulget ensis? atque ab ullo
Scuta tholo galeasque pendent?

An (quod vereri crediderim nefas)
Futurus ensis Dardanios adhuc
Proscindit agros, aut Latina
Arva metit, viridesque silvis

Frondent sagittae? Non ego Romulam
Damnabo pubem, veridicus sacri
Vates Gradivi. Jam cruento
Sparsa mari fluitare tela

Videre, totis jam videor Thetin
Pugnare remis; jam Latiae procul
Turmae, repercussaque circum
Aera micant galeaeque lympha.

Jam plana Triton personat aequora
Clangente cornu. Jam video novas
Late per Aegeum moveri
Cycladas, Aemoniamque longe

Inauspicato sidere lugubrem
Moerere lunam: jam profugae retro-
cedunt tyrannorum phalanges,
Paene metu glaciante pontum.

ODE XXI.

Ad Urbanum VIII.

Pone surgentes super orbe curas,
Magne pacati Moderator orbis:
Mitte Threissas calida phalangas
Fervere rixa.

Mugiant cano, sine, bella ponto,
Cum procellosos struit aura montes,
Cum gemunt cautes, refugaque Calpe
Vapulat unda.

Regna Rhaeteis resonant triumphis,
Rumor aurata volitans quadriga
Grata demittit bene feriatis
Omina terris.

Occidit justae reus hostis irae,
Hostis hibernae dominator orae,
Qua coronatis sinuantur altae
Turribus Alpes;

Qua nivis late, saturaeque flavent
Imbrium valles: ubi mitigatus
Sole vicinos jaculante montes
Liquitur humor.

Ire captivo patiens fluento
Ister asserta famulatur unda:
Corripit fluctus, et utroque Rhenus
Margine servit.

Te genu nixi didicere Medi:
Laxat intentum Tibi Maurus arcum:
Te pavent Seres, humerisque Parthi
Scuta reponunt.

Fingit effuso Tibi nomen auro
Indus, arguta resonante lympha:
Te sonant septem vaga fabulosi
Ostia Nili.

ODE XXII.

Urbani VIII. Pont. Max.

laudat carmina.

Quis temperatae flumine copiae
Siticulosis influit auribus
Facundus amnis, et sequacis
Agmine luxuriatur undae?

Rursumne torvum cantibus Aeacum
Delenit Orpheus? quo duce, Thraciae
Aurita reptavere saxa, et
Aemoniae saliere rupes:

An Daedalei pectinis arbiter
Vates amica Pierias lyra
Triumphat aures, et disertos
Eloquii reseravit amnes?

Qualem pudicis Penea fontibus
Admurmurantem Thessaliae juga
Mirantur, aut praetervoluto
Attonitus stupet Haemus Hebro:

Qualemve puris Parthenium vadis
Dignantur alto muta silentio
Pangaea, vel circumsonantem
Castaliis Helicona ripis

Parnassus audit, dum nova gaudia
Jam jam futuri veris aventibus
Enarrat agris, et virentem
Exsilio remeare Majum.

O quis latinae fons opulentiae
Exuberanti vividus impetu
Bacchatur, et lymphata secum
Corda rapax animosque volvit?

Qui nunc profundo volvitur alveo
Sententiarum, nunc gracili fluit
Torrente linguae, nunc apertis
Ingenii spatiatur arvis:

Suique late pronus, et insolens
Exire ripam, non tamen obvia
Captivus alga nec tenaci
Ire piger per aprica limo:

Sed clarus auro fertur, et Atticis
Ludit smaragdis, non sine consono
Liquentis electri susurro, et
Murmure praetereuntis auri.

Non stagna Cirrhae, non ego Phocidos
Desiderarim: Te prope vitrea,
Urbane, Dirce, Te fluenta
Virginei comitantur antri:

Olimque simplex collis et invius,
Nunc hospitalis, Te duce, Dardanae
Parnassus immigravit aulae,
Et Latii rediere vates.

Magnusque tanto Pindarus aemulo
Minor videri gaudet, et Appulae
Miratur hæredem Camoenae
Pegaseos vacuare fontes:

Seu, dithyrambo liber, inutilem
Verbis catenam demis, et affluis
Impune; seu rursum severo
Verba placet cohibere nodo.

Sed non profanae gloria laureae,
Umbrata Grajis tempora frondibus
Accomit, at conchyliata
Pulcher honor redimit corona,

Et dedicatam purpura laureae
Furata frontem subrubet. Hactenus
Florete, vates: jam latino
Vester honos adolevit ostro.

ODE XXIII.

Ad Laevinum Hielium.

Laboris commendatio.

Nam quae purpureis fumet honoribus
Formoso melior de grege victima,
Quam cui solliciti vomeris aspero
Ussit colla labor jugo?

Condit regna labor. Fabricio bene
Findenti patriis jugera sarculis
Frondent in mediis sceptra novalibus
Pulchrae messis adoreae.

Rastrisque et rigidis parce ligonibus:
Uncum, lictor ait, rejice sarculum:
Quae sevit Cererem, regna metet manus,
Glebae fraude superbior.

Jam nunc emeritos solve jugo boves,
Jam nunc nobilium colla Quiritium
Aequi flecte memor, parcus et abstinens
Romani pater imperi.

Fortunae memores nunc, age, victimas
Justo mitte Jovi. Quae modo mugiit
Sacris Pontificum digna securibus
Aras illinet hostia.

Numquam puniceis hispida crinibus,
Martis belligera pendula fraxino,
Auri deciduis vestierat jubis
Grajum pellis Iasona;

Si non difficiles imperii boves
Egisset domina vertere dextera
Ferratis Chalybum saucia dentibus
Colchi littora Phasidis.

Quamquam fulmineo pectoris halitu
Sorberent animosum agricolam boves,
Et fumi fluvium et noctis inhospita
Circum nubila funderent:

Nec quidquam viridum e semine dentium
Bellator jaculis campus inhorruit,
Et late peperit castra virentibus
Cristatus galeis ager.

Quippe ad Thessalici fulgur acinacis,
Natali immoriens occubuit metu
Tempestas peditum, et densa micantium
Hastarum interiit seges.

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII
LYRICORUM
LIBER SECUNDUS.

ODE I.

Ad Ferdinandum II., Caesarem Augustum.

Cum Thracum copiae excessissent e Pannoniae finibus.

Quae regna, vel quae dissociabili
Secreta tellus aequore, quae domus
Eurique et Arctoi Bootae
Caesarei sonitum triumphi

Nescivit? O, qua rumor eburneis
Gentesque et urbes praevehitur rotis,
Audite Caesar, te superbae
Herculeas superasse laudes

Flevere Thebae. Te tumidus procul
Formidolosi laudibus Herculis
Ploravit Hebrus. Te frementes
Arcadiae gemuere valles,

Non usitatae monstra proterviae
Stravisse late. Te Nemees jugo
Dignatur Alcides, et Argis,
Et domita tibi cedit Ida.

Non ille, quamquam colla minantium
Fumosque et ignes contudit anguium,
Cristasque et immanes hiatus
Fulmineo tremefecit ictu:

Quamquam gelati marmora Nerei,
Surdisque mutum littoribus mare
Emensus, arcanae refregit
Regna Stygis, pedicasque captis

Injecit umbris immiserabilis
Praedator Orci; cum spolio prius
Taurique et insani leonis
Maenalias decorasset ornos:

Non ille, quamquam transtulit aureo
Scalpenda coelo proelia, quae procul
Memnonque et Aurorae rubentis
Regna legant, mediisque Vesper

Miretur astris: non tibi debitae,
Auguste Caesar, reddat adoreae
Palmas, triumphalemque laurum, et
Populei diadema serti.

Te pronus ambit flumine supplici
Rhenusque et Albis; te refluus sonat
Tibiscus, et late recepta
Danubius tibi servit unda.

Te bellicosus Thermodoontii
Regnator Hebri, te sibi destinat
Peltatus Eurotas, et asper
Argolicis Achelous hastis.

Te militaris moenia Daciae,
Te Cimber horret: te genibus minor
Brennus, repercussisque laetum
Vindelici crepuere parmis,

Te belluosi littora Bospori,
Multoque canum frigore Caspium:
Te Cydnus, et levis Scamandri,
Te refugi pavet unda Xanthi.

ODE II.

Ad Publium Memmium.

Vitae humanae brevitatem benefactis extendendam esse.

Quae tegit canas modo bruma valles,
Sole vicinos jaculante montes
Deteget rursum. Tibi cum nivosae
Bruma senectae

In caput seris cecidit pruinis,
Decidet numquam. Cita fugit aestas,
Fugit autumnus: fugient propinqui
Tempora veris.

At tibi frigus, capitique cani
Semper haerebunt: neque multa nardus,
Nec parum gratum repetita dement
Serta colorem.

Una quem nobis dederat juventus,
Una te nobis rapiet senectus:
Sed potes, Publi, geminare magna
Saecula fama.

Quem sui raptum gemuere cives,
Hic diu vixit. Sibi quisque famam
Scribat haeredem: rapiunt avarae
Caetera lunae.

ODE III.

Ad suam testudinem.

Sonora buxi filia sutilis,
Pendebis alta, barbite, populo,
Dum ridet aër, et supinas
Sollicitat levis aura frondes.

Te sibilantis lenior halitus
Perflabit Euri: me juvet interim
Collum reclinasse, et virenti
Sic temere jacuisse ripa.

Eheu! serenum quae nebulae tegunt
Repente coelum! quis sonus imbrium!
Surgamus. Heu, semper fugaci
Gaudia praeteritura passu!

ODE IV.

Ad Stanislaum Sarbiewski,

Fratrem, equitem Polonum.

Si transacta retro saecula respicis,
Si ventura vides; tristibus omnium
Incumbunt tumulis nigra silentia, et
Altae oblivio gloriae.

Frustra belligerum carmine suscitas,
Sarbievi, Sarabetem, et sibi conscios
Manes esse vetas, qui bene barbaro
Pridem in pulvere dormiunt.

Armorum studio clarus, avum nepos
Ad vitam reducem splendidius dabis:
Nos cantu dabimus, qui tacitos sacro
Soles ducimus otio.

Multi magna loqui possumus: ardua
Raros ausa vocant. Nobilium fluunt
Infoecunda ducum sæcula; nec bono
Succrescit soboles patri.

Aetas si pariat quaelibet Herculem,
Sit foecunda satis. Sed sua saepius
Tellus monstra videt, Geryonem, aut Libyn
Antaeum, aut validum Gygen.

Cessant omnia: nec praepete curritur
Ad majora gradu. Cum potioribus
Servant parva vicem. Deterior subit
Pravis fama nepotibus.

Si se quisque tamen vincere gestiat,
Olim aequabit avos. Tu modo fortibus
Insta consiliis, et rude nobili
Urge propositum manu.

Ipsa ad conspicuas nominis inclyti
Ducent fata fores; qua labor arduam
Emunire domum pugnat, et aureis
Sudor praefluit arcibus.

Nunc seu Caesareo miles in agmine
Scandis turrigerae moenia Mantuae;
Seu te per Ligures, sive per ultimam
Raptat gloria Galliam:

Jam nunc ad patriae bella Poloniae
Magnam finge animam: jam doceat pius
Pulchrae mortis amor laudibus aspera
Commendare pericula.

Mox seu victa vocent Ismara, seu Getes;
Narratam patrio in pulvere gloriam
Exercebis eques, nec trepidam sines
De te serpere fabulam.

ODE V.

E rebus humanis excessus.

Humana linquo: tollite praepetem,
Nubesque ventique. Ut mihi devii
Montes resedere! ut volanti
Regna procul populosque vastus

Subegit aër! Jam radiantia
Delubra Divum, jam mihi regiae
Turres recessere, et relictae in
Exiguum tenuantur urbes:

Totasque, qua se cumque ferunt vagae,
Despecto gentes. O lacrimabilis
Incerta fortunae! o fluentum
Principia interitusque rerum!

Hic ducta primis oppida moenibus
Minantur in coelum: hic veteres ruunt
Murique turresque: hic supinas
Paene cinis sepelivit arces.

Hic mite coelum; sed rapidae ruunt
In bella gentes: hic placida sedent
In pace; sed late quietos
Dira lues populatur agros.

Hic paene tellus tota micantibus
Ardet sub armis: stant acies adhuc
Pendente fatorum sub ictu,
Et dubio furor haesitavit

In bella passu. Parte alia recens
Jam mixta Mavors agmina mutuam
Collisit in mortem, et cadentum
Caede virum cumulisque latos

Insternit agros. Hic Mareoticae
Secura merces aequora navigant,
Portusque certatim frequentes
Centum operis populisque fervent.

Nec una Marti causa, nec unius
Sunt arma moris. Bellat adulterae
Ridentis e vultu voluptas,
Inque Helena procus ardet orbis.

Hic verba bellis vindicat: hic canis,
Heu, vile furtum! se mala comparant:
Rarum sub exemplo superbit,
Nec sceleris scelus instar omne est.

Eous illinc belligera latet
Sub classe pontus: jam Thetis aenea
Mugire flammarum procella, et
Attonitae trepidare cautes,

Et ipsa circum littora percuti
Majore fluctu. Sistite, barbari:
Ferroque neu simplex, et igni, et
Naufragio geminate fatum.

Parumne tellus in miseras patet
Immensa mortes? Hinc miserabili
Quassata terrarum tumultu
Stare pavent titubantque regna,

Unaque tandem funditus obruunt
Cives ruina. Stat tacitus cinis,
Cui serus inscribat viator:
Cum populo jacet hic et ipso

Cum rege regnum. Quid memorem super-
infusa totis aequora portubus
Urbes inundare? et repenti
Tecta Deum sonuisse fluctu?

Regumque turres, et pelago casas
Jam jam latentes? Jam video procul
Mercesque differri, et natantem
Oceano fluitare gazam.

Alterna rerum militat efficax
In damna mundus. Cladibus instruit,
Bellisque, rixisque, et ruinis
Sanguineam Libitina scenam;

Suprema donec stelligerum dies
Claudat theatrum. Quid morer hactenus
Viator aurarum, et serenas
Sole domos aditurus, usque

Humana mirer? Tollite praepetem
Festina vatem, tollite, nubila,
Qua solis et lunae labores
Caeruleo vehit aethra campo.

Ludor? sequaces an subeunt latus
Feruntque venti? Jamque iterum mihi
Et regna decrevere, et immensae
Ante oculos periere gentes;

Suoque semper terra minor globo
Jam jamque cerni difficilis suum
Vanescit in punctum? O refusum
Numinis oceanum! o carentem

Mortalitatis portubus insulam!
O clausa nullis marginibus freta!
Haurite anhelantem, et perenni
Sarbivium glomerate fluctu.

ODE VI.

Cato Politicus.

Usu se minui si sinerent opes,
Jam nunc plura petam, quam teneo: sed heu!
Auri stulta fames ipsa sibi negat,
Quidquid omnibus abstulit.

Laudo divitias, quas animus dedit,
Quas versat facili consilium manu:
Quae, cum perpetuum crescere gestiant,
Numquam diminui dolent.

Rex aut Caesar erit, cui Deus arbitra
Seu quid sustulerit, seu dederit manu,
Nulla parte sui major abiverit,
Nulla parte sui minor.

At sors ingenio plebis inanibus
Illudit studiis: nam varias sinu
Cum dispersit opes, ridet inutili
Vulgum fervere jurgio.

Quantum magna libet munera jecerit,
Stulti diripiant: non ego mobiles
Voto digner opes, quas aliquis meam
Casus verterit in manum.

Quod si me meritis fascibus ambiunt,
Ipsam fata domum, sed sine tristibus
Intrent invidiis, ne volitent meae
Circum limina regiae.

A virtute datis utar honoribus
Tamquam deposito. Cum Superi volent,
Quae laetus tenui, laetus idoneo
Tradam sceptra vicario.

Gratam cum populis egero fabulam,
Seu claro nitidus murice, seu toga:
E scena monitus cedere, non meis
Ultro vestibus exuar.

Et qui conspicuus tot populis heri
Spectabar tacito non sine gaudio;
Ridens e media plebe vicariam
Cras spectabo tragoediam.

ODE VII.

Ad Publium Memmium.

Esset humanis aliquod levamen
Cladibus, si res caderent eadem
Qua mora surgunt: sed humant repentes
Alta ruinae.

Nil diu felix stetit: inquieta
Urbium currunt hominumque fata:
Totque vix horis jacuere, surgunt
Regna quot annis.

Casibus longum dedit ille tempus,
Qui diem regnis satis eruendis
Dixit: elato populos habent mo-
menta sub ictu.

Parce, crudeles, moriture Publi,
Impio Divos onerare questu,
Densa vicinis nimium vagari
Funera tectis.

Quae tibi primum dedit hora nasci,
Haec mori primum dedit. Ille longum
Vixit, aeternum sibi qui merendo
Vindicat aevum.

ODE VIII.

Ad Asterium.

At nos inani pascit imagine
Fortuna rerum. Ludimur, Asteri,
Umbris amicorum; et doloso
Verba simul placuere fuco,

Res esse stulti credimus: at simul
Sors infidelem corripuit rotam,
Gaudent recedenti sodales
Non eadem dare verba Divae.

Plerumque falsis nominibus placent
Humana. Rari pollicitis data
Aequamus: et minor loquaci
Religio solet esse voto.

ODE IX.

Ad Decium.

An nos sola parit, Deci,
Tellus? An patrio degeneres polo
Mentimur genus et domum,
Quæ nos assiduis circuit ignibus,
Et torpere domestico
Stellatam sobolem non sinit otio?
At si semideum genus
Non falsis canimur fabula vatibus
Cœlo ducere sanguinem;
Cur nostræ resides (heu, nimium diu!)
Indormimus inertiæ?
Natalique dies infodimus casæ,

Dum pulchri fuga temporis
  Nil cunctante senes prætereat rota?
O quisquis volet impiam
  Noctem paciferi rumpere sæculi;
Primus Phasin et uberes
  Colchos, et veteris mœnia Thraciæ
Pulsis eripiat Getis.
  Illum per populos garrula differet
Bigis Gloria candidis,
  Et seris recinet Fama nepotibus.
At nos nobilium domi
  Laudum livor edet: quatenus (heu nefas!)
Quod virtus erat, invidi,
  Fortunæ tenui nomine diximus.
Fatis omnia tradimus:
  Et quam certus emit consiliis labor,
Stultæ plebis in agmine
  Laudem casus habet. Nam simul abstitit
Nostris gloria postibus,
  Obliquo refugam lumine figimus:
Et læti male, serias
  Laudes non hilari deterimus joco.
At tu, cui placitas manu
  Pulsat fama fores, excute te toro,
Mensæque et patriis focis:
  Et quacumque sequi jusserit, emica,
Ducentemque praei: neque
  Praeter succiduis passibus ambula.
Mox hinc Caucason, hinc Athon
  Victor belligero corripies gradu.
Tunc quae maxima fluminum
  Seu cum sole sacris fontibus exeunt,
Seu cum sole cadunt, nihil
  Indignata tui sceptra sub imperi

Leni pace fluent: suum
Volvent cuncta tuis in manibus diem.
Cur tunc ad patrios ego
Cantem bella focos, segnis et immemor
Sacrae transfuga gloriae?
Cur non te potius, Graecia, barbarum
Cur exuta jugum Rhodos,
Visam non pavidis navita puppibus?
Jam tunc carpere libero
Tempe laeta gradu, jam liceat sacrum
Haemi scandere verticem:
Et nunc in vitrei margine Penei,
Nunc ad saxa biverticis
Parnassi residem, Pindaricis juvet
Rupes vincere cantibus,
Et pacare rudi proelia barbito.
Jam tunc inclytus et sacer,
Ignotisque procul gentibus audiar
Magni carminis artifex.
Tum quae pessima praesentibus imminet,
Absens ulterioribus
Abrumpam spatiis invidiam; neque
Occultus patiar mori
Exsul Pieriae civis adoreae.

ODE X.

Honesto otio addictus saeculi sui vitiis bellum indicit.

Meo beatus, cætera vilibus
Habere fatis, et miserabili
Permitto vulgo: quos secundo
Per populos vehat axe rumor,

Quem donet astris gloria, fortiter
Ignarus: et quae lex sapientibus,
Idem meas nescire, et idem
A populo didicisse laudes,

Latere clauso certior ostio:
At ne malignis fama calumniis
Me jactet arcanum probrosis
Flagitium simulare tectis,

Audax vel ipso vivere publicus
In sole civis. Non ego ludicrae
Dixi sacramentum Minervae
Innocuus sine caede miles:

Sed bellicoso strenuus ardui
Amore veri crimina sæculi
Fraudesque et indevota laudi
Pectora desidiamque frango

Ultore versu. Quem nimis asperum
Exsuscitando numina gentium
Regem esse nolebant veterno,
Esse tamen voluere vatem.

ODE XI.

Ad D. Virginem Matrem

Cum illi templum Joannes Carolus Chodkievicius, *signa contra Osmanum, Byzantinum Imperatorem, moturus, exstrueret.*

Huc, o beatis septa cohortibus
Regina mundi, sidereos, age,
Molire passus: huc curuli
Nube super Zephyroque praepes

Descende, sacri conscia liminis:
Qua dedicatis te Samogitia
Dignatur aris, et patronae
Thuricremi famulantur ignes:

Neu vota, Virgo, temne vocantium:
Quamquam micantum regia siderum,
Romaeque, Lauretique sedes
Dalmatico potior metallo:

Quamquam nivosi civis Enipei
Te non avaris ornet adoreis,
Ditemque miretur superbis
Heniochus radiare tectis:

Et qui supinis praecipitem rotis
Solem reclives Americi vident,
Et qui sub Eois renatum
Suspiciunt remeare cunis.

Videtis? an me ludit amabilis
Imago Divae? Jam videor pios
Audire plausus, et sonantes
Caeruleum per inane currus,

Tristesque fumos, et nebulae globum
Late serenas rumpere copias,
Auroque florentes, et igni, et
Missilibus radiorum acutis:

Spissaeque nimbum lucis, et igneas
Flictu rotarum fervere semitas,
Ventosque, et obluctata longo
Nubila dissiluisse sulco, et

Effusa densis agmina desuper
Errare gyris, non sine siderum
Risu, renidentisque coeli,
Sole cavas jaculante nubes.

Auditis? O quas praetereuntium
Lyrasque cantusque audio nubium!
Io triumphe! ter procellae,
Ter liquidae crepuere flammae.

Io triumphe! ter resonabilis
Respondit echo: ter Samogitiae
Saltus, supinataeque valles,
Et trepidae sonuere silvae.

O ergo nostris praeses habebitur
Regina terris. Ite, recentibus
Stipate donis, et precatu
Indigetem celebrate Divam.

ODE XII.

Ad Ferdinandum II. Caesarem Augustum.

Describit pacis commoda.

Jam minax Albis, domitusque late
Rhenus asserta famulatur unda:
Jam fluunt pronis tibi regna, Ferdinande, tributis.

Turma, pugnaces populata Dacos,
Hausit imbellem galeis Tibiscum,
Fessa bellorum, pavidumque telis
Sepiit Istrum.

Ille terrarum fragor, ille magnae
Fulmen Europae, Scythici tremendus
Arbiter ponti, piger obsoletis
Abstinet armis.

Jam sacrae leges, et amica legum
Jura civiles cohibent tumultus,
Et Fides, et Fas, et aperta laeto
Gratia vultu.

Jura pacatis dominantur agris:
Jura compescunt grave classicorum
Murmur, et currus, et hiulca rauci
Fulmina belli.

Pax ubi clausas moderatur urbes,
Illa vittatis operatur aris;
Illa vicinis studet aemulari
Sidera templis:

Quaque pubentes graditur per herbas,
Hinc et hinc divam comitatus albo
Messium fluctu Cerealis undat
Merges aristae.

Longus herbosis spatiatur arvis
Ordo virtutum; niveaeque juncta
Faustitas Paci legit otiosis
Lilia campis.

Ite, Rhaeteis sociae triumphis,
Ite, delectos religate flores,
Ite, virtutes: iterate nexis
Serta tropaeis.

Te Ceres flavis redimita culmis,
Magne pacati moderator orbis,
Te Jovis quercus, et Apollinaris
Umbra corymbi,

Te volunt lauri: Tibi se Latini
Arbor Alcidae probat, et supinis
Annuit ramis, et amica circum
Tempora serpit.

Quo velis crinem cohibere serto,
Mitte cunctari: tibi colla circum,
Herculis ritu, fluat usitata
Populus umbra.

ODE XIII.

Ad Julium Rosam.

Invitat eum ad sacram poësin in crepusculo D. Virginis Matris pervigilii decantandam.

Quid muti trahimus diu
Segnes excubias? Suggere postibus
Dereptum, Rosa, barbiton.
Nos arguta manu fila docebimus:
Tu buxum digitis move,
Et mutis animam suffice tibiis.
Non cantabimus aureos
Stellarum vigiles, sistere lubricam
Mundi sollicitos fugam, et
Palantum choreas ducere siderum:
Tu rerum Dominam canes,
Et sparsam Zephyrorum arbitrio comam
Nudis ludere brachiis,
Et nimbos volucrum fundere crinium.
Addes et teretes pedum
Suras non humilem lambere Cynthiam;
Et sutas chlamydum faces,
Indutique togam solis amabili
Emirabere fistula:
Donec virgineis laudibus et suis
Placatus, resecet moras,
Et currum madidis flectat ab Indiis.

ODE XIV.

Ad D. Virginem Matrem

Cum illi dicata navis in Indiam solveret.

Diva, ventorum pelagique praeses,
Quae laborantes super alta naves
Summoves saxis, uteroque Nerei
Eripis imo:

Si tibi moti cadit ira ponti,
Cum Thetis molles imitata somnos
Sternitur late, bibulisque se re-
clinat arenis:

Mercium felix tua navis esto,
Quae per undantes tibi laeta fluctus
Floribus remos, hilarique proram
Fronde coronat.

Illa seu primos aditura Seras,
Sive longinquas Orientis oras,
Proferet late tua fabuloso
Nomina mundo.

ODE XV.

Ad Narviam

Cujus in ripa puer admodum primum carmen lyricum cecinerat.

Albis dormiit in rosis,
Liliisque jacens et violis dies,
Primae cui potui vigil
Somnum Pieria rumpere barbito,

Curae dum vacuus puer
Formosi legerem littora Narviae.
Ex illo mihi posteri
Florent sole dies: qui simul aureae
Infregit radios lyrae,
Jam nec scuta sonat, nec strepitum trucis
Gradivi; sed amabiles
Ruris delicias: sive rubentia
Udo rore rosaria,
Seu molles violas, sive volubilem
Leni flumine Viliam,
Seu primo graciles vere Favonios.
At tu, Narvia, quem puer
Tum primum Calabra personui fide,
Ictu pectinis hoc habe
Incisum viridi carmen in ilice:
Quem Phoebus citharae pater,
Quem laetae citharis Pierides amant,
Laetum barbita Narviam,
Laetum virginei semper ament chori.
Haec, dum sponte virentia
Vivent in teneri vulnere corticis,
Addiscent pueri tibi,
Addiscent tacitae carmina virgines:
Festo mox eadem die,
Dum glebam solidae lucis et igneas
Electri lacrymas legent,
Partiti geminis littora coetibus,
Alternis pueri tibi,
Alternis recinent carmina virgines.

ODE XVI.

Nihil stulte timendum et concupiscendum.

Et me Latinae non solitum loqui
Jussere Musae. Nobilis Orphei
Non erubescendum nepotem
Sarmatica redimite lauru, et

Longa sonantem, nec tenui lyra
Audite vatem. Nil popularibus
Ambire votis, nil timere,
Nil nimium cupiisse, magnis

Edico primum mentibus. Improbo
Utcumque ponis frena cupidini,
Metumque dispensas: per omnes
Invidiae potes ire fluctus.

Praecogitati mitior ingruit
Procella fati. Saepius omnium
Perstare sub rerum tumultu
Anticipes, animumque in omnes

Praemitte casus: seu pelagus super,
Seu fulminantis porta tonet poli;
Stabis, repentinamque mundi im-
mobilis excipes ruinam.

At nec futurum sollicitus pave
In pace bellum. Qui patitur mala
Ventura praesenti timore,
Bis miser est, dubiamque victus

Est ante cladem. Ne nimia tamen
Virtute pecces; neu mala fortiter
Clamosus irrites: juvabit
Fortia continuisse verba.

Arcem modesti pectoris innocens
Fortuna transit: si revoces tamen,
Tuoque non aequam duello
Increpites; redit, atque ab imo,

Quae praeteribat moenia succutit.
Stringenda jam tunc sunt sapientiae
Et arma libertatis. Infra
Consilium cadet omne telum,

Quod fortuito cumque minabitur
Fortuna nervo: seu genus impetat,
Seu forte virtutem; vetabo,
Fervidus impetuosa foedis

Vindex reponas verba calumniis.
Erit loquacis pulchra proterviae
Vindicta, risisse, et sereno
Magnanimum tacuisse vultu.

Se quisque qualem noverit, arguat,
Aut laudet intus. Non ego civium
Ab ore pendebo; aut protervis
Invidiae dabo terga telis.

Hac lege justus se teneat timor:
Nunc danda coeco jura Cupidini.
Externa vestigamus; at se
Rarus habet, vel habere quaerit.

Hic plenus auri, sed vacuus sui,
Infamat omnes naufragus insulas.
Quo vivat, heu stulte cruentum
Alter emit sibi morte lucrum.

Hic dum supremam lustrat Iberiam,
Et gestit hospes discere plurima;
Se nosse dediscit, diuque
Ipse sui vagus exsul errat.

Alter reducto lentus in otio
Paullum sepulto distat: inutilis
Belli domique et ante letum,
Heu! virides male perdit annos.

Hic haeret aulae: se tamen improbus
Suosque mores vitat in omnibus:
Et, quae suprema servitutis
Poena, palam miser esse non vult:

Interque diri tormina pectoris
Agit beatum. Vanus adultero
Se moeror in risu dolentis
Dissimulat, variatque scenam.

Livescit omnis laetitiae color
Sub nube curae. Perpetuus licet
Nimbus salutantum, et clientis
Unda fluat refluatque vulgi,

Omnisque servet limina civitas;
Desertus a se cuncta sibi gemit
Deesse: torquent urbis illum
Divitiae, populique census.

Desideranti cuncta potentiae
Commune nil est: esse suum putat
Quodcumque pulchrum est. Invidendo
Me mea pauperies ab auro

Cautum removit. Quae pede proteram
Sint plura, quam quae possideam manu:
Hoc magnus, hoc aequalis uno
Caesaribus, dominabor. Omnes

Sprevisse tuto possumus omnia;
Habere nemo. Qui tumidus suo
Se librat attollitque regno,
Esse suum populique nescit

Aequale letum. Vivimus impares:
Pares obimus. Hunc alios supra
Alte curules, hunc triumphi
Extulerant: cinis aequat omnes:

Et urna, quae nos colliget, omnium
Mensura rerum est. Demite sarcinas,
Grandemque fortunam lacerto, et
Solliciti grave pondus auri.

Dum non onustus, sed moriar meus;
Jam nunc perennes divitias mihi
Nil concupiscendo paravi,
Nil nimium metuendo, pacem.

ODE XVII.

Ad Apollinem.

Magnificentiam Caesarianae liberalitatis ab illo cani oportere.

Quis literati munera Caesaris,
Fusasque prona divitias manu,
Et tecta, quae pecuniarum
Auriferis micuere nimbis,

Laboriosi carminis arbiter
Aeternet? O qui sacra biverticis
Delubra Parnassi, et canorum
Imperiis Helicona frenas;

Expergefactis ad sonitum lyris,
Undantis auri flumina concine,
Quae fusa Ferdinandianis
Per populos abiere rivis.

Non curiosis ille ligonibus
Evisceratae collibus Indiae,
Aut emedullato Liburnis
Montibus insidiatur auro:

Usuque rerum, non opibus potens,
Exuberantis flumina dexterae
Per sacra Musarum refundit
Atria, Palladiosque postes.

At non, ut olim, fabula pauperes
Ditavit agros: dum pretio gravis,
Aurique tempestate dives,
Nobilium pater unionum

Ganges avaro gemmea septies
Tributa solvit Nereidum patri,
Ripasque mirantesque campos
Mygdoniae lavit amne gazae.

Hinc illa magnae regia Palladis,
Fastigiatis Pyramidum jugis,
Aequa levabit invidendum
Mole caput, famulumque Musis

Praetexet Albim: quae procul exsulem
Phoebum severae saltibus Atticae,
Cirrhaque, et umbrosis reductum
Thessaliae revocabit antris.

Sic ille Gallus scilicet Hercules
Plebem sonantum colligat aureo
Nexu catenarum, et revincta
Attonitum trahit aure vulgus:

Dulcique rerum defluus agmine,
Ludit recusis in pretium sonis;
Aurumque, et in vulgum caducas
Fluminco ruit ore gemmas.

ODE XVIII.

In D. Virginem Matrem

Carmen saeculare.

Parodia ex Q. Horatio Flacco.

PUERORUM CHORUS.

Reginam, tenerae dicite virgines,
Visentem roseis astra jugalibus,
Dignatamque volantum
Currus flectere siderum.

Vos laetam citharis, et sonitu lyrae,
Quem vel Pierii verbere pectinis
Fingit saucius aër,
Vel motæ digito fides.

PUELLARUM CHORUS.

Vos Marsae, juvenes, carmine tibiae,
Aut rauci strepitu dicite tympani,
Pugnarumve loquaci
Nympham reddite classico.

UTERQUE CHORUS.

Coecos Illa metus, et Procerum graves
Iras, e miserae limine patriae,
Vestris mota querelis,
Ad Medos aget et Getas.

ODE XIX.

De sacro Salomonis Epithalamio.

Similis est Dilectus meus capreae hinnuloque cervorum.

Vitas sollicitae me similis caprae,
Quam vel nimbisoni sibilus Africi,
Vel motum subitis murmur Etesiis
Vano corripit impetu.

Nam seu prima metum bruma trementibus
Incussit foliis, sive Diespiter
Elisit resonis tela Cerauniis,
Incerta trepidat fuga.

Atqui non ego te quaerere desinam,
Clamatura retro: Christe, revertere; et
Rursus, cum rapido fugeris impetu,
Clamatura: revertere.

O seu te Libani terga virentia,
Seu formosa rubrae culta Bethuliae,
Seu pinguis Solymae, sive procul cavae
Cingunt rura Capharniae;

Tandem sollicitae pone modum fugae.
Nam non effugies: te mihi sedulis
Aether excubiis prodet, et aureis
Prodet Cynthia cornibus.

Te neglecta gemunt littora: te procul
Suspirat tacitis aura Favoniis,
Te noctis vigiles, te mihi vividis
Signant sidera nutibus.

ODE XX.

Ad Joan. Stephanum Menochium

Rectorem collegii Romani Soc. Jesu.

Cum libros de principum institutione in lucem edidisset.

Qualis ubi Phrygia Jovis armiger educatus Ida,
Audax hiulci fulminis satelles,
Vere novo teneras Aquilonibus experitur alas,
Terrasque nescit, immemorque nidi,
Magna patris relegit vestigia, fulminumque late
Circumtonantes visit officinas,
Evincitque Notos, et inertibus evenit pruinis,
Coeloque tensos navigat per imbres:
Talis inassueto circumvagus ingeni volatu,
Doctus paternae strenuusque pennae,
Celsa super procerum palatia, despicisque terras,
Summasque rerum pervagaris arces.
Quaque pater dubiis populos super immoratus alis
Leges superbis dividit tyrannis:
Hac neque consilii, neque degener ingeni, secutus,
Aequis adurges nisibus volantem.
Ille tamen dominas frenaverat Insubrum secures,
Forumque gnavus rexerat Triumvir:
Te rerum exsortem tenuit domus innocentis oti,
Ausum togatas exuisse curas.
Nec te plebis honos, neque litibus intonata centum
Verbosa raucis bella sub patronis,
Nec plorata reis subsellia, nec triumvirali
Adjudicatum curiae tribunal;
Sed jucunda tenent oblivia diffluentis aevi,
Et urbis expers patriaeque vita.
Non tamen interea niveos sinis exsulare mores
Aulis potentum, curiisque regum: .

Praeceptisque Numas et legibus anteis Lycurgos,
Valeriosque vincis et Catones,
Dum prohibes tumidum popularibus ambitum procellis
Regni verendos obsidere postes:
Nec pateris mediis assistere Caesarum catervis
Coecasque fraudes, desidesque luxus,
Exsomnesque dolos, et dulcibus illitum venenis
Aulae nitorem, barbarumque fastum.
Quin etiam teneros virtutibus imbuis Quirites,
Sacrumque cunis advocas honestum,
Ignotumque doces vagitibus alloqui Tonantem,
Rudemque Divis explicare palmam.
Jamque novos debet tibi Martia Roma Scipiones,
Centumque Magnos, Maximosque centum,
Et Belgae Carolos, et Lechica regna Casimiros,
Novosque Dacus debet Emericos;
Ferrea paciferum qui sæcula digerant in aurum,
Mundique pronas fulciant ruinas,
Et Tiberi Gangen, et Gadibus asserant Hydaspen,
Et regna primo differant Eoo.
Quorum sponte fluens sub foedera militaris Ister,
Rumpat tenaces Bosporo catenas.
Quos neque fulminea de pectoris emovebit arce
Inane regni purpuraeque fulgur,
Nec quae dispositis toga luxuriosior lapillis
Furto pudentis erubescit ostri;
Nec solium, nec quae manus imperiosiore sceptro
Moestæ minatur annuitque plebi.
Haec adeo longi cum perleget otii sequester
Ursinus, almi prima cura Phoebi,
Tristibus ignotum te non sinet immori tenebris:
Sed te futuro consecrabit aevo,
Temporis egressum ludibria, turbinesque rerum, et
Caliginosi saeva jura leti.

ODE XXI.

Ad Andream Rudominam

E Societate Jesu.

Cum Roma in Lusitaniam abiret in Indiam navigaturus.

Ergo minaci credulus Africo,
Tumultuosi marmora Nerei,
Pugnasque ventorum, et tyrannos
Aeoliae superabis aulae?

Nec te marinae torva licentiae
Imago terret? nec timor aequoris
Enavigandus? nec protervis
Ille frequens equitatus Euris?

Sed contumaces Aeoliae minas,
Iramque ponti spernis, et obvios
Mundi furores irretorta
Fronte subis similique vultu,

Quo feriantis moenia Tusculi,
Aut otiosi jugera Tiburis
Perambulaturus subibas
Egelidos Anienis amnes?

Hoc ore motae dira protervia
Subsidet undae. Jam video procul
Ad littus acclinata leni
Aequora decubuisse somno,

Et dormientis flamina Nerei
Spirare pacem. Scinde tenacium
Moras rudentum: perge classem
Velivolis animare ventis.

Regina terrarum et pelagi potens
Formidolosos diruet objices
Periculorum, nec sinistris
Ire dabit tua Fata velis.

ODE XXII.

Laudes

Invictissimi potentissimique Poloniae Sueciaeque regis

Sigismundi III.

Quam prono Rhodopen pede
  Lustro! quae vitrei littora Phasidis
Vivo praevehor impetu!
  Audacesque Dahas, et faciles mori
Colchos, et rapidum Scythen,
  Captivumque gelu transilio Tyram!
O cani juga Carpati!
  O formosa rubrae rura Druentiae,
Quam fontes Hypanis lavant,
  Quam lambunt gelidi flumina Vistulae!
Quis me, quis Moraquae, precor,
  Quis me perspicuae margine Viliae
Sistat, qua gelidum nemus
  Ridet mobilium fletibus amnium?
O quae sidera trajicis,
  O quae nubivaga, Calliope, polum
Praeterlaberis orbita:
  Hic me siste, precor, qua Getico piger
Fervet sanguine Bosporus,
  Nymphaeique domus, et cava barbarae
Plangit littora Tauricae.
  Hic dulci scopulos carmine colligam,
Hic Grajae prece tibiae
  Aram de mediis surgere rupibus
Suadebo. Duce me, retro
  Descendent resonis marmora collibus:
Et longo procul ordine,
  Arrepent Pariis saxa laboribus:

Museamque pati manum
  Inscribique volent, et memores tui,
Sigismunde, pati notas.
  Sculperis volucri proterere impetu
Thressae cornua Cynthiae:
  Scalpemus gemini fulmina proelii:
Scalpemus refugum Geten,
  Et captum niveis Nerea vinculis.
Huc et nocte bis et die
  Lectarum venient agmina virginum,
Et late violis humum,
  Aramque et folio solis, et aureis
Pingent marmora liliis.
  Nos et mane ter, et vespere ter sacra
Circum valle sedebimus:
  Hic vivis dabimus cespitibus super
Verbenas, et olentia
  Sacris thura focis, et rude sutili
Nectemus philyra caput.
  Dicemus ter Io! ter recinent Io!
Canae littora Thraciae:
  Et victos iterum carmine Concanos,
Et plausus, et ovantia
  Permixtis dabimus classica tympanis.

ODE XXIII.

Ad Germaniam

Civili bello ardentem.

Quid juvat, densis glomerata turmis
Bella civili tonuisse clade?
Quid juvat late maduisse pingues
    Sanguine campos?

Tela Threïssis potiora pugnis,
Tela, Germani, cohibete tela:
Tela molitur nova pervicacem
Caesar in hostem.

Parcus irarum, modicusque ferri,
Lenis in cives, sine caede fusos
Thracas, et victos sine clade Caesar
Sternet Alanos.

Pone crudelis simulacra leti:
Deme loricas pharetrasque, Rhaete,
Mollibus flectit sua regna Ferdi-
nandus habenis.

Servit extremi tibi potor Istri,
Caesar, irati moderator orbis:
Te repercussis agilis Sicamber
Concrepat armis.

Condito mitis placidusque ferro
Orbis, ingentes senii ruinas
Firmat, et prono fugitiva ducit
Otia mundo.

Martis oblitus calidaeque rixae,
Findit obliquo juga vomer unco:
Et minax olim, modo justus agrum
Demetit ensis.

Cassis instratis resupina cristis,
Alitum vernis resonat querelis,
Foeta nidorum: sociant maritas
Scuta columbas.

Te vagum solis comitata currum
Fama, per latas spatiata terras,
Narret Eois, doceatque seros
Nomen Iberos.

Audiet, Dacos acuisse tela,
Tela Germanis inimica telis:
Audiet, contos et iniqua pilis
Pila rotari.

At simul, leni rapiente curru,
Sparget insonti fera corda succo:
Demet et contos, et iniqua pilis
Pila recondet.

ODE XXIV.

Dirae in Herodem.

Devota sacrae progenies domus!
Fatale monstrum! prodigialium
Monstrum parentum! seu Libyssa
Marmaricis lea pavit antris,

Seu te maligno sidere degener
Pardus marita tigride prodidit,
Furoris hæredem paterni:
Sive gregis populator Afri

Nudum sub alto destituit jugo:
Seu belluosis fluctibus exspuit
Irata tempestas nocentem
Alitibusque ferisque praedam.

Tuo severas pectore marmora
Duxere venas, marmora rupibus
Decisa, quas Gaetula caelebs
Deucalio super arva jecit.

Te sede primum livida regia
Megaera fixit: Tisiphone dedit
Sceptrum cruentandum, feraeque
Imposuit diadema fronti; et

Regale nuper cum premeres ebur,
Assedit altis fulta curulibus,
Et per Palaestinos tyrannis
Explicuit sua signa campos.

Tremensque et atrum sanguinea manu
Telum coruscans, secum odia et minas,
Caedemque, et insanos tumultus,
Funeraque, et populorum iniquas

Strages, et indignum excidium retro
Lactentis aevi traxit, et inclyta
Regnorum, inexhaustasque longis
Cladibus evacuavit urbes.

Illam et parentum dira gementium
Lamenta, questusque et gemitus retro,
Luctusque vicatim secuti, et
Irriguis lacrymae catervis.

Quod si caducis decidit amnibus
Praesagus imber, quid pluvias sequi
Cunctantur ultrices procellae,
Et volucrum strepitu quadrigarum

Incussus aether pigra tonitrua, et
Immugientum fulmina nubium
Compescit, indulgentque metae
Aëriis vaga tela pennis?

At nil trisulcis Acroceraunia
Dejecta flammis, nil Rhodopes jugum,
Quassaeve peccavere cautes
Aemathiae, nisi forte dirum

Inominatis marmora partubus
Fudere monstrum: rumpite, rumpite
Montesque, foecundasque regum,
Fulmina, praecipitate rupes.

Exspiret auras: occidat, occidat
Funestus, exsecrabilis, efferus
Sector: crematuramque taxum
Ipse super cumulumque regni

Summum cadaver fumet, et aëra
Coelumque diro liberet halitu
Fatale monstrum, dissidentum
Ludibrium Furiarum et Orci.

Perrumpe tractus impenetrabiles,
Ignava tellus, desuper ardua
Volvente saxorum ruina:
Quam pelagus super, et refusis

Bis terque Nereus Syrtibus insonet.
Audimur. Ingens sidera verberat,
Spumamque limumque et rapaces
Oceanus glomeravit undas.

Jam nutat aether: jam barathrum prope,
Vastisque campi dissidiis hiant:
Jam fractus illabetur orbis
Sacrilego capiti. I, profunda

Inexpiato pollue Tartara,
Tyranne, leto: solus et igneum
Insume Cocytum, et frementem
Sulphureis Acheronta ripis.

ODE XXV.

Ex sacro Salomonis Epithalamio.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.
Adjuro vos, filiae Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.
Ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens colles. Similis est Dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.

Me stipate rosariis:
Me fulcite crocis: me violariis,
Me vallate cydoniis:
Me canis, sociae, spargite liliis:
Nam visi mora Numinis
Mi sacris animam torret in ignibus.
Vos o, vos ego filiae
Coelestis Solymae: vos Galaditides,
Vos, o per capreas ego
Errantesque jugis hinnuleos, precor,
Antiqui genus Isaci,
Quae saltus Libani, quae viridem vago
Carmelum pede visitis,
Nymphae, nobilium gloria montium:
Ne vexate tenacibus
Acclinem violis: neu strepitu pedum,
Neu plausae sonitu manus
Pacem solliciti rumpite somnii:
Donec Sponsa suo leves
Somnos ex oculis pollice terserit:
Donec Lucifer aureus
Rerum paciferum ruperit otium.
Summis ecce venit jugis
Formosae soboles matris, et unicae
Formosi soboles patris:
Silvarumque super colla comantium, et

Intonsum Libani caput,
   Magnorumque salit terga cacuminum, ac
Proceras nemorum domos
   Prono transiliens praeterit impetu:
Voloci similis caprae,
   Quae visis humili in valle leonibus,
Per praerupta, per ardua
   Sublimi volucris fertur anhelitu.

ODE XXVI.

Ad D. Virginem Matrem,

Cum fame, bello, coelique intemperie laboraret Polonia.

Aurei regina Maria coeli,
Moesiae valles, Hypanimque late
Nubium curru super et nivosis
      Vise quadrigis.

Aureus tecum Puer, et coruscis
Aureae pennis properent catervae,
Et Salus, et Pax, et aperta pando
      Copia cornu.

ODE XXVII.

Ad Claudium Rufum.

Sibi sepulcra et tumulos regum scholam esse.

Non me Democriti sales,
   Non me Cecropii porticus atrii,
Non percussa docentium
   Delectant calidis pulpita jurgiis,

Vel quae pectoris impotens
  Clamosi celebrat turba Panaetii;
Vel quae Pythagorae senis
  Docta tusse crepant. Me veterum frequens
Memphis Pyramidum docet:
  Me pressae tumulo lacryma gloriae:
Me projecta jacentium
  Passim per populos busta Quiritium,
Et vilis Zephyro jocus
  Jactati cineres, et procerum rogi,
Fumantumque cadavera
  Regnorum tacito, Rufe, silentio
Moestum multa monent. Mihi
  Pompei gelido sub Jove segreges
Artus, et lacrymae carens
  Desertoque vagum littore funus, et
Magni nominis indigum
  Corpus, magniloqui verba Panaetii
Compensat brevius; neque
  Regales patitur quaerere copias.
Nolim Pieriis macer
  Insudare libris, aut tacito vigil
Impallescere Socrati:
  Si regum titulos, et tumulis super
Fulgentem premo gloriam, et
  Calco nobilium nomina Caesarum.

ODE XXVIII.

Ad Famam.

Laudes Ladislai, principis Poloniae Sueciaeque, ab illa cani oportere.

Age, picti moderatrix dea mundi,
Quate pulso titubantes pede nimbos,
Age, claras famulantum quate pennas Aquilonum.

Glacialis rege currum Cynosurae,
Cata spissos super imbres equitare,
Simul Euros animavit generoso tuba cornu.

Tibi plausus populari vagus aura,
Tibi pulchrae sociali vice laudes
Famulantur salientum comitatu chorearum.

Tibi septem Tiberinae juga ripae
Saliari cita gyro glomerantur:
Tibi longus per apricum salit ordo thyasorum.

Age, sacrum glacialis jubar Ursae,
Cane Medis, cane flavis Agathyrsis;
Cilicumque et pharetratis Nasamonum cane tur- [mis.

Tibi, princeps, opulenti liquor Hermi
Grave nomen fluviali linet auro:
Tibi carmen pretiosa perarabit Tagus urna.

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII

LYRICORUM

LIBER TERTIUS.

ODE I.

Ad Franciscum Cardinalem Barberinum,

Urbani VIII. Pont. Max. fratris filium.

Absiste, vulgus. Nil humili juvat
Cantare buxo, nil popularibus
Nervis, verecundoque functum
Barbiton ingeminare cantu.

Te, Vaticanae sidus adoreae,
Francisce, dicam. Te niveis super
Cunis ligustrorum reclinem
Pulcher Honos, croceoque Phoebus

Perfudit imbri. Te roseus Pudor,
Virtusque primum non pueriliter
Risere nascentem, et supinis
Lilia supposuere membris.

Tunc et jocoso murmure garrulus
Arguta primis verba leporibus,
Dulcesque vagitus ab ipsis
Crederis edidicisse Musis.

Tunc et caducis ningere liliis
Molles pruinas, et violaria, et
Nubem rosetorum protervo
In puerum cecidisse nimbo,

Nec non severi flumina Liberi
Manasse credunt, mellaque Dardanos
Errasse per vicos, et Urbem
Uberibus secuisse rivis:

Laevumque vernae munere copiae
Risisse Tibrin, et virides procul
Stravisse per ripam tapetas,
Oenotrios Aniene fontes

Gratum allocuto, lene cadentibus
In verba lymphis: Ite loquacibus
Per plana camporum fluentis;
Ite, novos iterate lusus,

Aurae cachinno molliter herbidas
Plangente ripas. Nascitur, et viti
Sincerus, illimisque morum
Innocuae fluit amne vitae

Princeps, amoenae flumen Etruriae:
Ille, et profundi fervidus ingeni,
Frugemque virtutum, et Latinis
Restituet sata laeta campis:

Auroque fusum tempus, et aurei
Late per urbes flumina sæculi
Diffundet, et regnata parvo
Rura Jovi, residesque glebas

Deliberato vomeris otio,
Bacchoque et albis frugibus induet:
Ripasque, mirantesque silvas
Hesperiae linet amne gazae.

ODE II.

Ad D. Magdalenam

Christi necem deflentem.

Cum tu, Magdala, lividam
  Christi caesariem, cum male pendula
Spectas brachia, pro! tibi
  Pectus non solitis fervet amoribus.
Non es, qualis eras: tibi
  Non mens semianimis restat in artubus:
Non fronti tenerae nives,
  Non vivax roseis purpura vultibus,
Non notus superest color:
  Sed mors marmoreis pingitur in genis,
Et vitae gracilis via
  Exili tacite spirat anhelitu.
Non, me si satis audias,
  Plores perpetuum tristia: tertia
Cum lucem revehet dies,
  Mutati referet munera gaudii.
Nam quae sole caret duplex,
  Ridebit geminis tertia solibus.

ODE III.

Ad Franciscum, Cardinalem Barberinum.

Clementia potissimum principes ornari.

Felix, qui dubio forte caput supposuit Jovi,
Nutantique polo: nec trepida sceptra tenet manu,
Nec sperat cupidus, sed fruitur: nec pavidus tenet,
Sed securus habet. Tu, modici lenior imperi,

Nec plausum tacitae plebis emes; nec miserabiles
Divendes lacrymas nobilium caede Quiritium:
Te justus populi clarat amor. Cetera diffluent:
Hoc uno veniet dives opum copia flumine.

ODE IV.

Ad Egnatium Nollium.

Aequo semper rectoque animo adversus fortunae inconstantiam standum esse.

Sive te molli vehet aura vento,
Sive non planis agitabit undis;
Vince fortunam, dubiasque, Nolli,
Lude per artes.

Riserit? vultum generosus aufer.
Fleverit? dulci refer ora risu.
Solus, et semper tuus esse quovis
Disce tumultu.

Ipse te clausam modereris urbem
Consul aut Caesar: quoties minantum
Turba fatorum quatiens serenam
Pectoris arcem.

Cum leves visent tua tecta casus,
Laetus occurres: praeeunte luctu
Faustitas et Pax subeunt eosdem
Saepe penates.

Dextra sors omnis gerit hoc sinistrum,
Quod facit molles: habet hoc sinistra
Prosperum, quem nunc ferit, imminentes
Durat in ictus.

Ille, qui longus fuit, esse magnus
Disinit moeror. Facilem ferendo
Finge fortunam: levis esse longo
Discit ab usu.

ODE V.

Ad Publium Munatium.

Moerorem animi colloquiis et coetibus amicorum temperandum esse.

Si quae juvabit dicere saucium,
Permitte, Publi, compositam male
Loqui cicatricem, et latentes
Parce animo sepelire curas.

Secura ferri robora saepius
Occultus ignis subruit: et super
Minora silvarum caducum
Traxit onus, nemorumque famam

Stravit virentem, quam tonitru levi
Quondam favilla lambere gestiit
Impune. Te longus silendi
Edit amor, facilesque luctus

Hausit medullas. Fugerit ocyus,
Simul negantem visere jusseris
Aures amicorum, et loquacem
Questibus evacuaris iram.

Olim querendo desinimus queri,
Ipsoque fletu lacryma perditur:
Nec fortis aeque, si per omnes
Cura volat residetque ramos.

Vires amicis perdit in auribus,
Minorque semper dividitur dolor,
Per multa permissus vagari
Pectora, nec rediisse quondam,

Pulsus superbit. Vise sodalium
Coetus; et udis sic temere jace
Infusus herbarum lacertis,
Ad patrii leve murmur Hallae.

ODE VI.

Ad Marcum Silicernium.

Veras esse divitias, quae a bonis animi petuntur.

Nunquam praecipiti credulus aleae
Cum fatis avidas composui manus,
Ut mecum taciti foedere proelii
Aequa pace quiescerent.

Quid fortuna ferat crastina, nesciam,
Hæres ipse mei. Quas dedit, auferet,
Non avellet opes, quae procul extimo
Semotae spatio jacent.

Quae possunt adimi, non mea credidi:
Nunquam pauperior, si meus integer.
Regnum, Marce, mei, si bene de meis
Vectigalia censibus

Intra me numerem. Pars animi latet
Ingens, divitibus latior Indiis,
Quo non ter spatio longius annuo
Itur navibus aut equis.

Sed mens assiduum visitur in diem
Hospes saepe sui, non ebur, aut novas
Mercatura dapes, ipsa sui satis
Dives, si sibi cernitur.

ODE VII.

In turpem sæculi avaritiam.

Frustra querelis et gemitu parum
Deliberato flevimus, arcium
Portas et emunita saevo
Moenia procubuisse ferro.

Tot civitatum clade super parum
Peccavit ensis, quando labantium
Infirma murorum reperto
Oppida suffodiuntur auro.

Eheu! secundum militis ad latus
Primus resedit sedulus artium
Fossor pudendarum, et decoros
Explicuit sine sole vultus

Vicina juxta pocula laetior!
Cessere servis tela ligonibus!
Plebejus (heu nefas!) equestri
Malleus associatur hastae!

Pax ipsa bello deterior subit,
Cum vilis auri belligeras amor
Pacavit iras, et repensis
Proelia detonuere nummis.

Pugnare dignos sole palam duces
Celant opacae nobilis obsides
Auri cavernae. Jam caduci
Desuper intremuere colles.

Nolunt adeso jam dubiae solo
Pendere turres. Excutit impios
Tellus colonos, in ruinam
Ambiguis agitata campis.

Fugere turpes agricolas agri:
Insons avaris littus ab urbibus
Migravit, et contaminatos
Aequora deseruere portus.

Natura, magnis dum sepelit nefas
Rerum ruinis, vitrea fontium
Oblevit ora, ut navigatos
Sicaniae Venetaeque merci

Puniret amnes. Vidimus Aufidum
Nusquam repertas, arva per Apula,
Quaesisse ripas, cum sequacem
Distinuit malus error undam,

Hausitque nubes vallibus integras
Turbo soluto plana per alveo,
Regum piaturus penates
Flagitiis, populique noxa.

ODE VIII.

Ad Aelium Cimicum

In Russiam citeriorem profecturus.

Aeli, non sumus arbores,
Ut, quo quisque loco natus, inutili
Duret perpetuum mora.
Nolis caeruleas Sarmatiae domos,

Et canae juga Russiae
    Intentata mihi, dum Zephyri vocant,
Et siccae nivium viae.
    Non frustra properis imposuit rotis
Currus Iapeti genus;
    Et terram pavidos linquere navitas,
Pictis non sine carbasis,
    Remorum celeri propulit agmine.
Non frustra patiens equi
    Se sternit mediis trames in Alpibus.
Magno dignum iter Hercule
    Naturae ingenium struxit, idoneis
Dimensum juga passibus,
    Qua se praecipiti Gloria vertice
Lasso ostenderet Herculi:
    Dignatusque sequi pergeret Hannibal,
Regnumque ac Libycos manu
    Attollens populos Aeoliam super,
Et tristes nebulis domos,
    Armatam Italiae infunderet Africam.
Non soli loca quaerimus:
    Nusquam fixa satis Pergama transeunt:
Teucrique et Dolopes migrant.
    Mutant magna suas regna vices: nihil
Perstat, quo genitum est, loco.
    Cum primum geniti, matris inertia
Terrae viscera rupimus,
    Moti particulam traximus aetheris:
Coelique ingenio patris,
    Cum matre immemores stare, cucurrimus.

ODE IX.

Panegyris Annae Radivilliae, *Castellanae Trocensis, Ducissae Nesvisii.*

Quo te dearum nomine consecrem,
Vicina cani Nympha Borysthenis?
Themisne, an una Gratiarum
De tribus excipiere divis

Scribenda Drie? Cedit aquis tibi,
Utcumque pictis fertur oloribus,
Cretaque, et innantem relinquit
Oceano Cytherea Delon.

Hinc et severo migrat ab Algido
Parum serenis Cynthia cornibus,
Quamvis anhelantum lacessat
Ira canum, teretesque rumpant

Virgulta damae: Sed tibi dulcius
Tranquilla rident Palladis otia;
Seu tela non mendax retexto
Bella virum simulare in auro

Mensem fefellit, seu tibi Coelitum
Vestire nudas spiritus incidit
Aras, et aulaeis et ostro
Pauperibus placuisse Divis.

At non inani Fama canit tuba
Te vi potentis non sine consili
Ventura tangentem sagaci
Mentis acu celerique cura.

Tristis videri prodit, et unice
Sibi serenis pervigil in genis
Lucet venustas: seu coruscum
Caesariem tibi pingit aurum,

Non indecorae nube modestiae
Extinguis aurum vilius adspici,
Gemmasque nolentes latere
Moribus ingenioque celas.

Hinc inde rubris Creta coralliis,
Illinc smaragdis fulguret India:
Cum pura virtus fulsit, omnes
In tenebris latuere gazae.

ODE X.

Ad Musam.

Laudes Ladislai, *principis Poloniae et Sueciae.*

Carminum praeses citharaeque Clio,
Dic, ubi molli resupina somno
Foeta rumorum cubet eruditis
Fama sub antris.

Rumpat ignavos, age, dic, sopores,
(Nam locum nosti) nimiique fessa
Somnii, tergat niveo morantem
Pollice somnum.

Thespio currum moderante loro,
Solis auratas, age, dic, quadrigas
Scandat, et claros gemino triumphos
Differat orbi.

Narret, hibernis Helicen pruinis
Barbaro nuper caluisse tabo:
Narret, Arctoo rubuisse canum
Sanguine pontum.

Prodigus laudes tibi fundet Indus
Ostiis septem: tibi dives aeris
Accinet Lydus: tua volvet ingens
Nomina Ganges.

Te canent solis Garamantes arvis:
Te Dacae, princeps, pluviaeque pauper
Maurus, et Cydni, vitreique discet
Potor Enipei.

ODE XI.

Laudes Francisci, Cardinalis Barberini.

Quis me citatus pectoris impetus
Denso sedentem propulit aëre,
Currusque nimborum morari, et
Per medias equitare nubes,

Et plana terrarum, et populi casas
Regumque turres non sine gaudio
Calcare sublimem, et superbo
Regna super volitare curru?

Rerumne falsa ludor imagine?
An picta mundi moenia, et igneas
Arces, coronatumque flammis,
Et liquidum sine labe solem

Praevertor? Hic et patria siderum,
Clarusque coeli baltheus aurei,
Campique stellarum, et decemplex
Perpetuo redit aula gyro.

Qua parte coeli principis aureas
Inscribo laudes? Hinc adamantinis
Aeternus Orion in armis,
Et gemino prope Castor igni

Fortem reposcunt. Hinc gravis Hercules
Famae propinquum postulat Herculem:
Hinc noctis immunem et veterni,
Parrhasii vocat ora plaustri.

Acrem et timori cedere nescium
Addam Leoni: quem penes igneae
Aestatis arvorumque cura, et
Flava Canis Cererisque regna?

Justam et tenacem propositi manum
Mundi serenis partibus asseri
Exspectat Autumni Virago:
Quae geminam sine fraude Libram

Aevique frenos, et celeres vehi
Compescit Horas. Hinc tibi patrio,
Francisce, cedentes Olympo
Pleïadas Hyadasque cerno:

Illic laborat Phosphorus hospitas
Laxare nubes: hinc tibi lucidus
Collumque repentesque coelo
Scorpius abstinuisse chelas,

Auroque comptum Marmaricus Leo
Crinem totondisse, et radiantium
Opima villorum, et jubatas
Velle polo revocare flammas.

Insculpta coelo gloria sospitat
Heroas: anni cætera subruunt:
Aulaeque, sceptroque, et columnis
Excidium sua dixit aetas.

ODE XII.

Ad Aurelium Fuscum.

Omnia humana caduca incertaque esse.

Si primum vacuis demere corticem
Rebus, Fusce, velis, cætera diffluent
Vernae more nivis, quae modo nubium
Leni tabuit halitu.

Formosis reseces fortia: displicent.
Externis trahimur. Si male Dardanis
Respondens Helenae pectus amoribus
Famosus videat Paris;

Nusquam per medii proelia Nerei
Ventorumque minas splendida deferat
Graji furta thori. Sed bene mutuo
Rerum consuluit jugo

Naturae Dominus, quod niveis nigra,
Laetis occuluit tristia. Qui bona
Rerum de vario deliget agmine,
Consulto sapiet Deo.

ODE XIII.

Ad Moscoviam.

Cum principem Poloniae Moschi in imperium arcesserent.

Moscua, cur iniquas
Aureis frustra pharetris diminuis sagittas?
Vulnera cur adacto
Dirigis ferro? Cohibe stridula contumaci
Barbara tela nervo.
Jam tibi Mavors facili molliit arma risu:

Jam tibi mulcet iras:
   Jam tibi frontem lepido temperat in sereno:
Jam cecidere tela:
   Jam pharetratis clypeus demigrat e lacertis.
Quid lacrymosa torvam
   Exaras rugis faciem? Quid melius supinis
Fletibus astra poscas?
   Quid bono divi melius mittere rege possint?

ODE XIV.

Ad Honorem.

Cum Franciscus Barberinus sacra purpura ab Urbano VIII. Pont. Max. ornaretur.

Te, clara divum progenies, Honor,
Marsae canemus carmine tibiae:
   Te, meta votorum, et laboris
      Dulce lucrum, volucrisque vitae

Formosa merces. Te decorum patrem
Inter serenae fulgura gloriae,
   Lunaeque stellarumque cunas,
      Imbre super radiorum et auri,

Virtus marito conscia numini
Effudit illustrem, et genialibus
   Toris coronarum reclinem
      Siderea religasse zona, et

Non indecorae sidere purpurae,
Grataeque risu lucis, et osculis
   Miros anhelantem nitores
      Celsa super posuisse sceptra,

Et molle fertur fascibus et mitris
Aptasse fulcrum: quas stipulae modo
Prensasse per ludum, et procaci
Diceris arripuisse dextra.

Te prorogati filia temporis,
Germana Recti, candida Veritas
Non erubescendis adurit
Ignibus; ingenuoque parvus

Luces honesto, fervidus ardua
Curare rerum. Te patriae parens
Tranquilla Libertas, Fidesque,
Et duplicis studiosa mundi,

Illiterato quae procul otio
Foecunda veri tempora dividit,
Arcemque Causarum et corusci
Praevehitur vaga regna Phoebi:

Te, quae propinqua clade superbior
Gaudet cruentis diva periculis,
Lassare Fortunam duello, et
Per medias docet ire mortes.

Illam impotentum exercitus imbrium
Insana aquarum rumpere proelia,
Undas refringentemque flammas,
Attoniti pavet ira mundi.

At non et aequo foedere Comitas
Non temperato pectore conserit
Cultusque, tranquillamque morum
Temperiem similemque vultum:

Sive aestuosus gurges inhorruit
Civilis undae, cum popularium
Aestu procellarum, et dolosa
Carbasa diripiuntur unda:

Seu rauca vulgi murmura lenibus
Sedere ventis, cum placidum sibi
Consensit aequor. Te decoro
Nobilitas comitata gressu

Centum vetustas nectit origines,
Centumque retro per populos fluit
Ceris avorum: nec severae
Martis opes, Aquilaeve desunt,

Censusque, et almae vulgus adoreae
Anciliorum, et stemmatis et togae,
Fascesque laurique et frementum
Turba retro titulorum inanes

Exercet auras, non sine plausibus,
Famaeque et aureo nominis essedo,
Quod turba mirantum, et curule
Frenigera trahit aure vulgus.

Jamque et virentis vere puertiae
Malas amictum, purpureus simul
Autumnus irrepsit decoras
Flore genas, per aperta late

Effulgurantum culmina siderum
Effrena curru jungere fulmina,
Nubesque praetervectum et imbres
Quadrijugis dare lora ventis

Miramur omnis turba minor pedum:
Supina curvo poplite civitas,
Votisque, et obtutu sagaces
Puniceum jaculamur axem:

Unde et coruscis oppida moenibus,
Pictumque velis aequor et insulis,
Regumque turres barbarorum et
Attonitas specularis urbes.

Tu regna ventorum et pelagi gravem
Compescis iram: tu vaga siderum
   Crystalla frenas: tu frementes
      Lucis equos vigilesque mundi

Metaris ignes. Te penes Aequitas,
Et septa Tuscis jura securibus
   Stipantur; annosaeque Leges,
      Et niveum sine caede Justum.

Tecum supellex aurea, et asperi
Gemmis tiarae: te radiantium
   Nexus coronarum, sereni
      Regum apices lituique circum,

Et regiarum sidera frontium
Mitraeque fulgent, et diademata
   Ad usque formosam diei
      Invidiam opprobriumque solis.

At retro flavum lambere pulverem
Livor rotarum, et degeneri solum
   Mento cecidisse, et procacem
      Moeret humi posuisse vultum:

Plenoque nusquam divitiae sinu
Gazaeque, et omnis turba pecuniae,
   Et grando gemmarum, et refusi
      Per populos vagus imber auri.

Tu lene tormentum ingenio admoves,
Mentesque dulcis nectare gloriae
   Plerumque mulces. Te feracem
      Consilii, facilemque vendi

Emisse doctus circuit ambitus,
Fucoque et albis vestibus unice
   Formosus, agnoscique duplex,
      Et placidae sine nube rugae,

Risu serenae frontis idoneus
Mire sagacem fallere curiam,
Discrimen obscurum dolosis
Artibus, ingenioque morum.

Spes mille circum nubibus insident,
Plenoque regni pectore turbidum
Bacchantur: at turpes Repulsa,
Et volucris fuga ridet Aurae.

Te quamquam anhelantum ignea siderum
Suspirat aedes, principis aureos
Invise postes. Hic ruinas
Imperii seniumque mundi

Curare solers, desine tristium
Tandem querelarum, et potius sacra
Incude diffingas in aurum
Saeva ducum procerumque tela.

ODE XV.

Ad apes Barberinas.

Melleum venisse sæculum.

Cives Hymetti, gratus Atticae lepos,
Virgineae volucres,
Flavaeque veris filiae,

Gratum fluentis turba praedatrix thymi,
Nectaris artifices,
Bonaeque ruris hospitae,

Laboriosis quid juvat volatibus,
Crure tenus viridem
Perambulare patriam,

Si Barberino delicata principe
Sæcula melle fluunt,
Parata vobis sæcula?

ODE XVI.

Ad se ipsum.

Quid diu vanas feriente nubes
Vota fallaci jaculamur arcu?
Quid loquor dudum mihi consul ipse,
Ipse senatus?

Ite, mordaces, procul ite, curae;
Me vocat notis Helicon viretis,
Me sacrum lauri nemus, et canorum
Phocidos antrum.

O ubi molles Heliconis umbrae!
O ubi Cydnus, violisque pictum
Thespiae rupis caput! o sonori
Flumina Pindi!

Me quis ad vestros Aquilo recessus,
Aut quis alata Zephyrus quadriga
Deferat fessum, gelidosque Cirrhae
Sistat ad amnes?

Vos mihi Romam, Phrygiisque centum
Pendulas saxis simulatis aedes:
Vos Aventinum Capitoliique im-
mobile saxum.

Hic ubi laevi cecidere musco
Virgines undae, vitreoque garrit
Ore Clitumnus, nimiumque labi
Sedulus Almon:

Hippocreneis abiere rivis
Pegasi fontes, Aganippidumque
Murmur et cantus et euntis agro
Copia lymphae.

Alter hic Liris fugit, alter Ufens:
Alter illimi Thrasimenus amne
Trudit electrum, liquidoque Plaeve
Volvitur auro.

Hic ad Empusae nemus, et virentem
Aesaris ripam studiosa florum
Aura colludens cumulo jocantis
Obstrepit undae.

Lenis hic aurae tepor, hic venustas:
Hic nitor rerum, meliorque coeli
Vultus: hic plenis agitata manant
Gaudia ripis.

Hic sales compti, facilesque risus,
Hic levis circum jocus, et decentes
Gratiae plenos referunt resecto
Flore quasillos.

Hic mihi septem melius renident
Romuli colles, gracilesque venti
Lenius perflant gelidam supini
Tiburis arcem.

Collis o sacri decus! o magistrum
Numen! o Grajae fidicen Camoenae,
Phoebe, si gestis procul arduo de-
scendere Cyntho,

Huc ades, longi mihi testis oti.
Tuque (nam me quis prohibet?) reposta
Affer in primis mihi, Fusce, grati
Carmina Flacci.

ODE XVII.

Ad Tiberim.

Eum beneficentiae et liberalitatis Urbani VIII. Pont. Max.

symbolum fore.

Tibri, siste precor, nec rapidae regna licentiae
Jactaris temere: neu Latii littora Nerei
Undarum nimio deciduus plauseris agmine.
Quid per plana, per abrupta, per impervia lubricum
Vectigal domino deproperas Nereidum patri?
Urbani patulae credideris flumina dexterae:
Tunc seu melle fluent, seu rutilis sæcula fontibus,
Fies auriferis nobilior fabula Lydiis.

ODE XVIII.

Laudes Francisci, Cardinalis Barberini.

Hic ille plenis Oceanus patet
Laudum carinis. Ite loquacia
Per transtra, facundisque, Musae,
Carmina deproperate remis.

O qui loquentis flamine sibili,
Lenique sacrae nubis anhelitu
Impellis antennas, Notorum
Alba super volitare terga

Doctus, procellas et bijuges celer
Frenare nimbos, huc age Delphica
Lauru, coronatamque myrto
Pegaseae dominator undae

Inscende puppim. Quod timidi prius
Sulcemus æquor? quod pelagus situm
   Fundoque virtutum, et refusae
      Per populos maria alta famae,

Vates profundae navita gloriae
Invisat? Illinc alta frementium
   Moles procellarum, et protervae
      Fluctibus intonuere lymphae.

Haec illa parci nescia littoris,
Avara coeli, prodiga munerum
   Bacchatur, et pecuniarum
      Caeruleo pluit aura nimbo.

Haec illa magni pectoris indoles
Sese ipsa rerum fluctibus erigit,
   Curasque et alternis natantem
      Consiliis animum remiscet,

Vindex avarae fraudis, et abstinens
Lucrantis auro regna pecuniae,
   Rerumque prudens, nec cruentae
      Laudis iners, animique parca.

Hinc aestuantum mota superbia
Subsedit undarum, et procul arduum
   Ad littus acclinata blando
      Aequora decubuere somno.

Hoc illud alti principis otium
Clausum quieti vecte silentii,
   Somnique curarum et labore
      Empta quies, animique vesper

Longi repensus merce negotii.
Cum dulcis inter claustra modestiae
   Sceptrumque et immensis reclinat
      Regnum humeris, onerique parcit,

Obliviosus dissipat Hesperus
Regum labores. Damna fugacium
Plerumque curarum reponunt
Pervigiles sine nocte somni:

Aulae nitorem cum bene nesciae
Texere noctes, nobilium simul
Pompam catervarum retexit
Clara dies, rediere curae.

ODE XIX.

Ad militares Europae ordines.

De provinciis Graeciae recuperandis.

Si quem cruentae vultus adoreae,
Si fusus auro miles, et inclyti
Urunt in argento triumphi,
Artifici simulante dextra,

Sculptaeque laudes, et titulis super
Afflata signis vita Corinthiis,
Cultusque moresque et perenni
Paene loquax sua fama saxo:

Hic si locari postgenitis sacer,
Et per nepotum lucidus atria
Quaerit videri: destinatam
Funeribus meditetur aram,

Vultumque vultu fingat Achillei,
Dextramque dextrae commodet Hectoris,
Dignus Timanthea notari
Arte, Syracosioque coelo:

Letique curta merce perennius
Lucretur aevum: quos sibi dempserit,
Caris redonaturus annos
Conjugibus puerisque caris.

Hic si timendus gestit aheneis
Horrere squammis, quem litui sonus
Saevique conjurata Martis
Signa vocant, clypeo subire,

Sparsumque crinem versicoloribus
Mutare cristis, et rapidum vehi,
Dum per rejectantes lacertos
Ambiguae fluitent pharetrae:

Illum palustri consita fraxino
Poscit Methone, poscit Acarniae
Lacus Tanagreique saltus,
Aut graciles Marathonis orni,

Gnossosque telis, et resonum gravi
Stymphalon arcu. Non chalybum rudis
Lemnos, nec inconsulta ferri
Phocis erit, nec inermis Oea.

Si rursus idem bella fidelibus
Committat Euris, aequoris impiger,
Veloque et obluctante remo
Ortygiis equitabit undis:

Illi Cytori pinus, et hispidae
Cupressus Idae brachia frondium
In transtra, et haerentem carinam
Contrahet: aerisonamque puppim

Non imperito remige muniet
Euboea: remos Thespia suggeret,
Ausamque despectare nubes
Veliferam dabit Ossa pinum:

Aut qui comatas educat ilices
Caycus, aut qui limpidus assitas
Maeander intercurrit alnos,
Aut dubii vagus error Hebri.

Nec si superbus poscat eques vehi,
Pugnae scientes Ismara denegent
Pullos, relicturasque retro
Aut Noton aut Aquilona plantas,

Si bellicosos proruat accolas
Servilis Haemi, sparsa sequi celer
Vexilla, palantemque lunam
Haemoniis agitare campis.

Illum et colossis conspicuum dabit
Venalis omni funere gloria, et
Doctis renascentem metallis
Orchomenos, vel amica vivum

Non pejeranti marmore Neritos
Ementietur, nec Capitolia
Mutum, Palatinæve moles
Stare sinent sine laude civem.

ODE XX.

Ad Aulum Laevinium.

Visnovii, Poloni equitis, virtus, cujus pro patria interempti cor, per summam barbariem, inter se partiti Turcae et depasti sunt.

Eheu! quo citharae sciens,
Et Bacchi calidis fervida jurgiis,
Laevini, ruit indoles,
Imbellem strepitum et docta procacibus

Saltum fingere classicis,
    Auditoque choros cogere tympano,
Et mensam clypeo super,
    Et plenum galeis ducere Liberum!
Non hoc pectore Thracios
    Inter Sarmatici fulmina proelii
Fudit Visnovius globos,
    Et Thracum volucres contudit impetus.
Ille et sanguineis super
    Fumantum cumulis haesit Iazygum, et
Alti navita sanguinis
    Portum non soliti nominis attigit.
Illum Thraces, Achaicis
    Rimati gladiis, pectoris invia
Dimovere repagula:
    Et cor, et tepida morte fluens jecur
Devesci, et pia carpere
    Ausi sacrilegis viscera morsibus.
At non egregiam quoque
    Libarunt animam, nec Mareoticas
Pavit fama libidines,
    Aut secura Getae dentis adorea.
Eheu! stringite, posteri,
    Ferrum belligera stringite dextera.
Heu, primam gladii sitim,
    Pubes, Odrysiis imbue caedibus,
Confossisque reciprocum
    Rursum pectoribus reddite sanguinem,
Dudum in corpore Bistonum, et
    Venis immeritum fervere barbaris.

ODE XXI.

Ad principem quemdam

ad thermas proficiscentem.

Jucundam et honestam vitam fructuosae et anxiae esse praeponendam.

Regias veto manus
    Tagi serenis imminere rivis.
Utili placet luto,
    Fucumque nobis fluctuantis auri
Flavus allinit liquor:
    Ex quo superbi dives amnis Hermi
Sordidum lavit Midam,
    Rudique limum duxit e tyranno.
Ite, mobili vitro
    Albive Cydni, lucidive Xanthi,
Ite, principum manus,
    Auri coruscas submovete labes.
Rivus integer viti,
    Suaeque purus consciusque lucis,
Praeterit fidelius
    Regumque somnos Caesarumque palmas.
Dulce purpurae decus,
    Tuam micantis innocens metalli
Amnis irrigat manum:
    Midamque, princeps, Tantalumque rides.
Vitreus tibi latex,
    Lympha sequaces evocante lymphas,
Lubrica placet fuga,
    Qua fervet Arnus, garrulumque pratis
Unda promovet pedem,
    Ripasque pingit, candidique fontis
Uda volvitur dies.
    Hic thymbra poscit, hic amoeniores

Humor educat rosas,
    Et cana nardus, filiique veris
Hinc et hinc bibunt croci,
    Vivumque potant fluminis pudorem.
Hic comata lilia
    Passisque Majus ambulat capillis.

ODE XXII.

Ad Caesarem Pausilipium.

Ne nimium adolescentiae fidat.

Ne te, Pausilipi, fallat inanibus
Aetas deliciis, quae simul impigris
Incertum rapuit curriculum rotis,
Effreno citius labitur Africo.
Mendax forma bonum deficientibus
Annis praecipitat, vitrea concuti,
Dilabi facilis, cerea diffluere
Hornae more rosae, quam modo roscidam
Cum fovit tepidis mane Favoniis,
Dissolvit pluviis vesper Etesiis.
Nunquam, quod rapido pollice texuit,
Audet compositum Parca retexere:
Nec reddit refluo sæcula turbine.
Felix ille, cui non breve temporis
Momentum placuit; qui juga mobilis
Aevi deposuit, qui sibi lucidam
Jam nunc sollicito lumine patriam, et
Arcem nobilium destinat ignium.

ODE XXIII.

Ad Julium Ariminum.

Solis animi bonis nos belluis praestare.

Non Hydaspeis, Arimine, gemmis,
Non domus flava laqueata cedro,
Aurei torrens neque te beatum
Fecerit Hermi.

Mitte sectari, quis amoena praeter
Prata non parco fluat amnis auro,
Sit satis virtus, animosa sedes
Visere divum.

Alter effultos adamante muros
Tollat, aut caesas Sipylo columnas,
Fossor inspecta Styge quas revulso
Subruat Orco.

Ditior silvis habitat Sabaeis
Ales Eois renovata bustis:
Ditior gemmis rutilo vagatur
Piscis Hydaspe.

Alter Eois variam lapillis
Subliget zona retinente pallam:
Alter insignes Tyrio lacertos
Vinciat ostro.

Gratius laeves variavit alas
Sparsa nativis Philomela guttis;
Pulchrius Thressae maculosa pingunt
Pectora lynces.

Tonsa nos vestit pecus, et luporum
Terga mentimur: neque flava vestem
Dedecet vulpes, et abacta caeso
Castore pellis.

Una mortales numero ferarum
Eximit virtus, volucerque notas
Siderum sedes animus solutis
Visere pennis.

ODE XXIV.

Ad Joannem Rudominam.

In funere Georgii Rudominae fratris.

Qualis trisulci fulminis impetus,
Quem Daedaleis foeta vaporibus,
Pinguemve pabulata terram
Per medias rapit ira nubes,

Fastidioso cum semel excidit
Immurmurantum carcere nubium,
Per regna ventorum, per auras,
Et dubias Aquilone silvas,

Per arva late, per juga concito
Grassatur igni: jam capitis minor
Aut Haemus aut percussa Calpe
Non humiles posuere fastus;

Interque diras dux equitat faces
Communis omnes per populos timor;
Et pone strages et supino
Deproperata ruunt tumultu

E nube fata, non sine montium
Clamore, longus quem glomerat fragor
Volentis audiri ruinae,
Et volucrum furiae Notorum;

Talis superbis irruit hostibus,
Mortis decoro pulvere sordidus,
Et per Musurmannos honestam
Explicuit Rudomina pugnam.

Illum futurae laudis et inclytae
Mercede famae gloria, mentium
Regina, nundinata morti,
Per medios rapuit Gelonos.

Quam pone virtus et decus, et comes
Injuriosæ relligio necis,
Per tela, per formidolosos
Quadrupedantum onagrorum hiatus

Exercitati militis, obvio
Venale fato prostituit caput:
Sed visus haud venire parvo
Magnanimus Rudomina leto.

Nam dum, duelli laetior, hostica
Opprobriorum murmura vindice
Excusat ense, barbararum im-
mortuus aggeribus cohortum,

Praesecta tandem colla volubili
Lapsu reclinat. Sed famula prope
Decusque praesignisque virtus
Semianimem subiere dextra.

Mox, expeditis corpore manibus,
Deproeliatrix gloria siderum
Occurrit, et fulvo reclinem
Ire jubet super astra curru.

At fama late tergemino tubae
Longaeva cornu saecula personat:
Io triumphe! vivit astris
Ille meus Rudomina, vivit.

ODE XXV.

Ad Joannem Rudominam.

In funus Joannis Rudominae patris.

Quemcumque mendax fama Quiritium,
Et dedicatis densa clientibus
Corona, juratisque stipat
Imperii comitatus armis,

Quamvis Lacaena picta superbiat
Sub veste tellus, et famulantium
Juxta lacertosae cohortes
Et clypeis radient et hastis;

Nec pervicacis ludibrium deae,
Nec concolores consilio dolos
Vitabit, aut circumsonantes
Nobilium fugiet tumultus:

Nec concitato pectoris impetu
Nitente mentis remigio, soli
Ignavus hæres, innatantes
Caeruleum per inane campos

Pervadet umquam: quippe volubili
Negotiorum pulvere sordida,
Gliscente curarum tumultu,
Mens humiles remoratur alas:

At quem supernis sedibus intulit
Mors, et profanis praecipitem procul
Furata terris. Quo solutus
Praepetibus Rudomina pennis

Exerrat! ohe! quo per inhospitas
Afflata leni pectora flamine
Nubes, inaccessosque tractus
Et superas agit inter arces!

Non usitatis ille volatibus
Praevectus udas terrigenum domos
 Coetusque vulgares, beatae
  Non humilis venit hospes aulae.

Illum ministra relligio manu,
Et delicato pectoris essedo
 Evexit inconcussa virtus,
  Et superis dedit ire campis.

Exstructa quondam celsa faventibus
Delubra divis munificentia
 Pensavit auratis deorum
  Hospitiis, famuloque coelo.

Hic vel corusco se prope siderum
Curru locabit, vel propior Deo
 E nube reclinis curuli
  Sub pedibus sua fata cernet:

Regumve torvos subter acinaces,
Et regiarum sidera frontium,
 Et tot tyrannorum videbit
  Suppositos radiare fasces.

Et haec stupebit, quae propius micant,
Obscura crasso serpere nubilo,
 Lateque casuras per urbes
  Ora sagax oculosque ducet.

ODE XXVI.

In funere Ernesti Veiheri

Palatini Culmensis filii, vita immature functi.

Porrectus imo nec scopulus vado,
Cautesve pronis amnibus imperat
Moras, neque undantem morantur
Fluminibus cava saxa lapsum.

Nec irretento praetereuntia
Tempus retardat sæcula cardine;
Nusquam fatigatos Orion
Solvit equos properante curru.

Annos et horas præpetibus rapit
Latona bigis. Irrevocabilis
Decurrit, effœtamque prona
Accelerat cariem juventus.

Apollinari nuper in agmine,
Florentis ævi limine vidimus
Stantem Veiherum lacrymoso
Præcipitem cecidisse fato.

Mox ut caducis artubus ingruit
Mors æstuosis torrida febribus,
Ferocientes devoluta
Stamina diripuere Parcae.

Candente bysso pensa fluentia
Rupere nodos: occidis, occidis,
Erneste, ceu quondam procellis
Exanimes cecidere nardi:

Ceu, dum per hortos cærulea manu
Desævit udus Jupiter, imbribus
Sterni reluctantes acanthi
Lassa solo posuere colla.

Quid, mors, superbo pectora turbine
Insana victrix surrigis, inserens
   Terris triumphales cupressos,
      Et mutilam sine fronde taxum?

Mentis pudicae candor, et indoles
Firmata faustis sub penetralibus,
   Cultusque divinae parentis,
      Fixa locant monumenta terris.

Vidit benignis moribus aureum
Felix Lyceum: vidit imaginem
   Virtutis Ernestum paternae,
      Et similem proavis nepotem.

Saevi tropaeum funeris ardua
Virtus profundo praecipitat solo.
   Sublime Veiherana virtus
      Sidereo caput aequat orbi.

Illam secundis gratia brachiis,
Altusque curru rumor eburneo
   Ad astra sustulit videndam
      Attonitae volucrem juventae.

ODE XXVII.

In primi lapidis jactu, cum Joan. Car. Chodkievicius *contra Osmanum Turcarum Imp. signa moturus, templum* Virgini Matri *Crosensis S. J. Collegii exstrueret.*

Divum locatus consilio lapis,
Et dedicati liminis arbiter,
   Quam rite de coelo migrantum
      Hospitio Superum coruscat!

Non tot fremebat littus Olympiis
Olim catervis, Graja Corinthio
Dum lustra certatim Tonanti
Instabilis celebraret Isthmos.

Te quippe Divum turba domesticum
Marmor superni civibus aetheris,
Magnaeque majestas Parentis
Perpetuis habitabit annis.

I, perge felix, et latebras cavae
Telluris intra: qua tibi tutior
Templi superventura moles
Fortibus insideat columnis.

Hic nempe quisquis sacrificas manus
Inaugurato tinxerit unguine,
Coelumque solemnesque sacris
Muneribus cumulabit aras,

Et fronte plenum laetitiae diem,
Intaminatis pulcher honoribus
Ostendet aris, et serena
Per solidum feret ora vulgus:

Plebisque denso celsus in agmine
Divina coelo tendet adorea,
Quae terra, quae supplex adorat
Compositis pelagus procellis.

Nec vero surdis sideribus preces
Conchyliato murice fulgidi
Mystae feretis, dum faventi
Pro Carolo Carolique castris

Optata Divis vota litabitis.
In ore vestro sollicitus suas
Spes ille librat: et Tonanti
Et patriae sua sacrat arma.

Effrena vestra detumeant prece
Formidolosae bella Propontidos,
Et laevus Ister, et Gelonus
Vipereo metuendus ictu.

Illuc citato Martis in essedo
Toto vehatur Carolus impetu,
Et concatenatos superbis
Massagetas trahat in triumphis.

Juxta faventum cura Quiritium,
Densisque laudes agminibus ducem,
Et plausus, et depurpuratis
Gloria concomitetur armis.

ODE XXVIII.

Ad Abrahamum Bzovium.

De sacra Annalium Historia Eugenii IV.

Qualem e nivosis Eridanum jugis
Primo cadentem leniter agmine
Festae Napaearum catervae
Trajiciunt, hilarique circum

Plaudunt natatu: mox ubi prodigus,
Et temperati marginis immemor
Prorupit, et præterfluentis
Regna procul populosque lusit

Errore lymphae, degeneres simul
Ripaque et immensi hospitio alvei
Dignatus amnes, atque aquosum
Immodico bibit ore coelum,

Silvisque et arvis latius imperans
Ripam evagantis seditionibus
Metatur undae, jam natari
Difficilis, nimiusque campi.

Venti paventem non bene sustinet
Dorso phaselum, laetior arduas
Subire bellantum carinas,
Et galeis clypeisque longe

Clarus videri, donec Iapygas
Amnes avari fluctibus Adriae
Submisit, et majore ponto
Velivolum dedit ire Martem:

Sic te fluentem leniter aureae
Torrente linguae, prima per Italas
Clamata defatigat urbes
Eugenii pia cura patris;

Qui, bella regum et illacrymabiles
Rerum tumultus flectere providus,
Mundi laborantis ruinas
Extulerat subeunte collo.

Sacrique Veri solliciti patres,
Quos infidelis littora Bospori,
Rubrive submisere ponti
Regna Parætoniive Nili,

Lectum remotis consilium plagis
Rerum potentem visere Tusciam, et
Leges peregrinosque ritus
Dardaniis sociare sacris.

Hic tu profanis cassa furoribus,
Doctisque narras proelia vocibus
Pugnata, clamatumque Martem,
Qua vitrei ruit amnis Arni.

Nec otiosae more licentiae
Exaggerato defluis alveo:
Sed plana per rerum profundo
Ore ruis mediusque ripae.

Mox et citato plenior impetu,
Linguae sonoro flumine devehis
Clasemque et evagata longe
Ambracio pia bella ponto.

Quo nos avorum bella trahunt, retro
Seri nepotes ibimus? Ibimus
Pulchros redordiri labores,
Et veteres reparare palmas!

Solusne palmas, solus Achaica
Obliviosi nocte silentii
Abducit Abramus tropaea,
Et veteres revocat triumphos?

ODE XXIX.

Ad amicos Belgas.

Est et remotos non humilis furor
Lustrare Belgas. Ducite, Gratiae,
E valle Permessi vagantem
Pegason, alipedemque sacris

Frenate sertis. Ut micat auribus!
Vocemque longe vatis amabili
Agnoscit hinnitu! Ut dearum
Frena ferox hilarique bullam

Collo proposcit! Non ego degener
Ignava cursu rumpere nubila,
Terrasque despectare, et omni
Vincere Bellerephonta coelo.

Jam jamque retro Carpaton; et procul
Frontem nivalis respicio Craci,
Turresque Carcinae, et vetusti
Transilio juga Carroduni,

Canamque Peucen. Jam Calais supra
Zethique pennas et Boreae patris,
(Quamvis Erechthaeam maritis
Tolleret Orithyian alis)

Albimque Rhenumque, et liquidum nihil
Tangente Mosam praevehor ungula;
Jam jam coruscas Andoverpae
Cerno domos dominumque Scaldim.

Ac tu, meorum prime sodalium,
Bollande, salve! Non tibi frigido
Infusus amplexu, verenda
Colla tero. Juvat usque sacro

Haerere vultu: sidereum juvat
Multoque fœtum numine cernere
Pectus, redundantemque pleno
Ore Deum. Rapit inde Musis

Dilecta cervix, et bene pendulo
Attrita multum pectora barbito
Sublimis Habbequi. O deorum
Digne dapes superumque cantu

Condire nectar, numinis in tui
Sinu reclinem Sarbivium sine
Duxisse paullatim beatos
Carminis eloquiique fontes.

Quis ille vates cominus obviis
Occurrit ulnis? Pectora candidi
Nosco Tolenari: flagrantes
Nosco genas, animamque semper

A dis recentem. Da, pater, aurea
Arcana magni Numinis hospitem
Audire: da grandes bibisse
Aure sonos, animique totum

Libare florem. Quis placidas faces
Hortensiani nesciat ingenî?
Aut quis Dierixi benignis
Longe oculis animam eminentem

Suique largam? Quo satis Hoschium,
Quo Mortieri, quo pia Vallii, et
Libentis amplexu coronem
Pectora? quo mihi dulcis Hesi?

Heu, digna prisco nomina sæculo,
Magnasque in ipsis conscia vultibus
Portare mentes! quae sereno
Dulce micans sedet ore virtus!

Quae fixa vivae gratia purpurae!
Qui candor alti proditor ingeni!
Salvaque majestate blandum
Alloquium, placidique mores!

Fertur refuso Deucalion mari,
Dum mersa totis sæcula promeret
Terris, renascentemque jactos
In lapides animaret orbem,

Mosaeque Scaldisque ad vada nescius
Informis auri sorte datam retro
Jecisse glebam; qua repente
Aurea prosiliere saecla, et

Tersere gratis nubila vultibus,
Irasque purae frontis idoneo
Risu remulsere, et fluentes
Sponte sua pretiosiore

Mores metallo, per Rhodanum, per et
Fudere Rhenum. Protinus et solum
Vertere fraudes; et remotam
Invidiae petiere Thulen.

Hinc ille Belgis oris et eloqui,
Cognatus auro, fulgor in omnia
Se sponte mittens: ah! maligno
Ni nova progenies rigeret

Contacta ferro, nec toties suos
In saeva reges coepta resorbeat
Civilis aestus. Quo perennis,
Quo miseros rapit unda belli?

Efferte vires, arma domestico
Efferte nido, magnanimum genus,
Belgae leones; terra tantas
Quae genuit, male pascit iras.

Per vestra frustra viscera quaeritis
Finem laborum: bella diu strepunt,
Quae tertio non rupit hoste
Barbarici tonitru Gradivi.

Avita restat busta recentibus
Cingi tropaeis: restat Achaicum,
Restat coronari tricena
Carpathium Ioniumque classe.

Heu! quam patenti naufragum in aequore
Nostri periret dedecus otii!
Quantumque de nostra videres,
Phoebe, cadens oriensque fama!

Jam tunc Athenis prisca reponeres
Panaetianae regna scientiae,
Bonaeque desacrata Menti et
Templa tuis, Puteane, Musis.

Felix et alti, Socrate non minor,
Veri magister! quæ tibi porticus
Ferventis undaret juventae
Agmine? quae populis theatra?

Qui te tonantem bella Demosthenem
Heroës alto pectore ducerent?
Aut quae Melitaeo Sophocles
Pulpita succuteres cothurno?

Tunc me per omnes duceret Aedonas
Dacosque Thracasque et Lelegas pium
Vocis Boëlmannae tonitru, et
Magniloqui grave fulmen oris.

Quo spes inani me rapit aëre,
Et vector ales? Quidquid id est, tamen
Me vate mox iras perosis
Saecla fluent meliora Belgis.

ODE XXX.

Ad Quintum Aristium.

Sic est, Aristi: novimus ardua
Sperare tantum. Quis juvenum prior
Magnum repentino lacessat
Carpathium Ioniumque bello?

Immensa magnae tempora gloriae,
Augusta vel spe vel facimus metu:
Votisque prensamus futura,
Non manibus. Sed euntis aevi

Occulta postquam nos rapuit fuga,
Bellamus omni consilio senes
Nullius exempli, et perennem
Desidiae trahimus catenam

Per posterorum saecula. Succute,
Ignava bello succute saecula,
Quicumque plus a Dis honesti
Nominis ingeniique ducis.

ODE XXXI.

Ad Balthasarem Moretum.

Panegyris lyrica.

Musas amantis gloria Belgii,
Et Lipsianae sidus adoreae,
Morete, non tibi pudendo
Ad citharam veniente saxo

Grandem virenti Scaldis in aggere
Pono columnam: quam neque turbidus
Auster, neque emotus refuso
Subruat Oceanus profundo:

Sed quam recentes cum violis rosae,
Omnisque circum copia narium,
Late coronent, aut perennis
Pampinus ambitiosiore

Irrepat herba: quam procul ardua
Pronis adorent saxa Cerauniis,
Septemque qui fulcit Triones
Carpatus, et Rhodope, nivalis

Columna cœli. Jam mihi nubibus
Digressa moles æthera succutit,
Currusque stellarum et tonantes
Sistit equos, solitoque major

Intrat trecentis astra decempedis;
Unde et Latinis celsior Alpibus,
Canamque Pyrenen, et Afræ
Despicias juga celsa Lunæ.

Quæ prima, vel quæ testibus ultima
Incido saxis? Nominis inclyti
Caligat in portu, et tuarum
Oceanum pavet ala laudum.

Inusitatis summa nitent bonis:
Parumque lucet gloria, quæ simul
Illustrat insignes et imos,
Et proprio magis igne pulchra est.

Ignota Tuscis nomina Caesarum
Squalent sepulcris: quas tulit extimus
Splendor, verecundis sepultae
Noctibus occubuere laudes:

Et saepe famam livor ab aureis
Detrivit aris. Non Acherontius
Offundet ingratas, Morete,
Invidiae tibi vesper umbras:

Sed ipse livor nominis in tui
Occumbet ortu. Tu dominus tui
Divesque, non debes caducae
Ludibrium opprobriumque divae:

Ex quo monentis munere Lipsii
Multo sonantem Socrate porticum
Tiro celebrasti: perennem
Doctus emi bene posse laudem

Impendiosae merce scientiae:
Et ipse sacro plurimus otio
Palles, et externis amicus
Ingeniis breve per nepotes

Extendis aevum. Tu tacitam libris
Demis senectam: sæcula Gratiae
Musaeque, et impubes Apollo, et
Mercurius tibi debet annos,

Postquam diserti flumina sæculi
Plantinianae margine copiae
Late refudisti. Sacrorum
Cuncta sedet tibi turba vatum:

Omnisque chartae virginis aequore
Arundo sudat. Uranies tibi
Nocturna certatim laborant
Otia pervigilesque lunae.

Nam, si quid uda fluxit arundine,
Torrentis aevi corripit impetus,
Si non recudentis metalli
Duxit onus, celeresque plumbo

Tardavit alas: dum gracilis liber,
In certa ductis cornua paginis,
Increvit, argutumque chartae
Sub gravibus gemuere prelis,

Multo sonandis carmine legibus,
Ni me Camoenae Pindaricas vetent
Transire Gades, et vagantem
Herculeae moneant columnae

Coeptam canoro non sine carmine
Finire molem. Sunt alii tibi
Calles, neque unum concitatis
Gloria currit iter quadrigis.

Namque et beati nobilis ingeni
Claudis capaci saecula pectore,
Hæresque Veri; seu quod olim
Socratici monuere coetus,

Seu quod trienni nunc geminat potens
Stagira circo: plurimus eloqui,
Pennaeque felix, nec latere
Aut humili placuisse vulgo,

Sed civis omni nobilium bonus
Nosci Senatu. Te Latii pater,
Qui nunc et Europes recline
Portat onus dominaeque Romae,

Doctis clientum coetibus inserit
Urbanus. Io! tu placitum (pedi
Jam stantis inscribo columnae)
Principibus populisque sidus.

ODE XXXII.

Ad Amicos.

Se ad sacra studia animum appellere.

Vixi canoris nuper idoneus
Vates Camoenis: jam citharae vetor
Sermone defunctumque longo
Barbiton ingeminare cantu.

Jam feriata fistula cum lyra
Dependet unco: rumpite tinnula
Vocalis argenti, sodales,
Fila supervacuosque nervos.

O quæ coruscantum atria siderum
Servas, et aurei laeve perambulas
Mundi pavimentum, modestae
Pelle, Themi, studium Minervae.

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII
LYRICORUM
LIBER QUARTUS.

ODE I.

Ad Equites Polonos.

Cum montem Carpatum redux ex Italia inviseret.

Aeterna magnis carmina Carpati
Inscribo saxis. Discite, posteri,
Castisque discendum puellis
Et pueris geminate cantum.

Frustra, Poloni, cingimus oppida
Muris, et arces addimus arcibus;
Delubra si squalent, et altis
Cœlituum viret herba tectis.

Frustra caduci fulminis artifex
Moles ab altâ turre remugiit,
Si mœsta respondere cantu
Templa negant, Superumque pridem

Sacro stupescunt aera silentio.
Quod si nec idem sit Superis honos
Templis in îsdem, nec sub una
Lege superstitiosioris

Per ora vulgi relligio fremat;
Cives iisdem non bene claudimur
   Portis, et infelix eundem
      Instruimur acies in hostem.

A plebe Numen separibus male
Placatur aris. Scimus, ut impias
   Vastata Grajorum per urbes
      Sacra suis periere rixis.

Fumant propinquae templa Bohemiae:
Concussa regni viscera Pannones
   Flevere collatis in unam
      Viribus incubuisse stragem.

Hinc inde laevos despice Carpato,
Polone, campos, quos pecorum ferax
   Dravusque Savusque et bicornis
      Frugifero secat Ister amni.

Quanto careret corpore Thracius
Regni tyrannus, si bene mutuas
   Mentes et obligata Divis
      Barbarus extimuisset arma!

Atqui timendae Panno potentiae
Vallarat altis oppida moenibus:
   Pontemque dedignatus, omni
      Danubius famularis unda

Cingebat urbes. Sed quid inutili
Possent scelestae praesidio manus?
   Quas ira non laeti Tonantis
      Riserit indigetesque Divi.

Jam nunc Polonis fata Quiritibus
Edico vates: Dum tibi consona
   Votisque cantuque et Sabaeo
      Thure calent precibusque templa,

Omnis recurvo Lechia poplite
Dum, Virgo, prima, dum media die,
Dum te salutamus suprema,
Et dubio tibi lucis ortu

Septena coram flamma Decembribus
Collucet aris; dum tibi patrium
Paeana dicit supplicesque
Accumulat pia turba ceras:

Noster nivoso Vistula Carpato,
Nosterque ab ipso fonte Borysthenes,
Labentur in Pontum, nec Austrum
Aut Gothicam metuemus Arcton.

Errorne mentes ambiguas rapit,
An clamor aures? Vox gravior cava
Respondit e nube, et serenum
Non dubii micuere Divi.

ODE II.

Ad Stanislaum Łubieński

Episcopum Plocensem, regni Poloniae senatorem.

Canit Musis amicum et patriae amantem.

Sunt et novarum non vacuae mihi
Laudum pharetrae. Prome reconditum,
O Musa, telum. Quem sonoro
Pieridum jaculemur arcu?

Sit meta Praesul, cui modo Plocia
Centum Poloni margine Vistulae
Eduxit armenta, et smaragdis
Grande pedum Tyrioque vittas

Inscribit ostro. Se speciosius
Plerumque doctae Palladis artibus
Indulget, et Musis amicam
Gaudet honor redimire frontem.

Pulchro ligari foedere gestiunt
Libris tiarae. Romuleas super
Aras honori, et dedicatis
Thura ferunt eadem Camoenis

Arsisse quondam: sed vigil ambitus,
Si possit, ipsas Coelituum solo
Permiscet aras, atque ab alto
Astra rapit Superosque coelo.

Vester, Camoenae, vester ad inclytas
Stat Praesul aras. Vos adamantinam
Sparsistis electro tiaram,
Qua vitreo pretiosus amni

Pingit feracem Narvia Moesiam:
Vos et bicorni Palladium caput
Pressistis auro, et gratulata
Carmina personuistis unda.

Vos pectus altum, consiliis simul
Abstersit atrae nubila patriae,
Mulcetis, et fastidioso
Excipitis reducem Senatu.

Quondam et perenni vivere nobilem
Donastis aevo, cum tulit aureos
Ad astra mores, atque avaro
Egregii monitus Pstrokoni

Invidit orco, candidus eloqui,
Verique dives: vos, miserabili
Bellis inhorrescente regno,
Consiliis facilique rerum

Firmastis usu; ne popularibus
Fatiscat undis, neu male pendulis
Dextramque cervicemque rebus
Subtrahat. Ille meis legetur

Pars magna chartis; seu tenui lyra
Dicam Geloni foederis otia,
Majore seu plectro Lechaei
Arma virumque canam Gradivi.

ODE III.

Ad Caesarem Pausilipium.

Regnum sapientis.

Late minaces horruimus Lechi
Regnare Thracas. Latius imperat,
Qui solus exemtusque vulgo
Certa sui tenet arma voti.

Imbelle pectus parce fidelibus
Munire parmis: neu latus aspero
Lorica cinctu, neu decorum
Arcus amet pharetraeque collum.

An Cimber, an te lectus ab ultimis
Pictus Britannis ambiat, an Geta,
Nil allabores: ipse miles,
Ipse tibi pugil, ipse ductor.

Exile regnum, Pausilipi, sumus:
Sed se obsequentem qui sibi subdidit,
Hic grande fecit, si suasmet
Ipse roget peragatque leges.

Armata regem non faciet cohors,
Non tincta vulgi purpura sanguine,
Aut nobili stellatus auro
Frontis apex teretique gemma.

Rex est, profanos qui domuit metus:
Qui, cum stat unus, castra sibi facit;
Casumque fortunamque pulchro
Provocat assiduus duello.

Non ille vultum fingit ad improbi
Decreta vulgi: non popularia
Theatra, non illum tropaea,
Non volucri movet aura plausu.

Beatus, a quo non humilem gravis
Fortuna vocem, non tumidam levis
Expressit umquam, curiosis
Dum tacitus premit ora fatis.

Ad prima si quis vulnera non gemit,
Solo peregit bella silentio:
Celare qui novit sinistros,
Ille potest bene ferre casus.

Ille, et caducis se licet undique
Suspendat auris pontus, et in caput
Unius et flammas et undam, et
Vertat agens maria omnia Auster,

Rerum ruinas, mentis ab ardua
Sublimis aula, non sine gaudio
Spectabit; et late ruenti
Subjiciens sua colla coelo,

Mundum decoro vulnere fulciet;
Interque coeli fragmina, lugubre
Telluris insistet sepulcrum, ac
Incolumis morientis aevi

Haeres, ab alto prospiciet, magis
Haec magna quam sint, quae pedibus premit,
Quam quae relinquet: jam tum Olympi
Non dubius moriturus hospes.

Quo cum volentem fata reduxerint,
Nil interest, an morbus, an hosticus
Impellat ensis, quo supremum
Urget iter. Semel advehemur,

Quam navigamus semper in insulam:
Seu lata magnis stravimus aequora
Reges carinis; seu Quirites
Exigua vehimur phaselo.

Illo beatum margine me meus
Exponat asser. Cur ego sistere ae-
terno reformidem quietus
Littore, si peritura linquam?

ODE IV.

Celebris Polonorum de Osmano, Turcarum imperatore, victoria, proelio ad Chocimum Dacico, anno Domini MDCXXI. VI. Non. Septembr. commisso, parta.

Galesi, agricolae Dacici, cantus inducitur.

Dives Galesus, fertilis accola
Galesus Istri, dum sua Dacicis
Fatigat in campis aratra,
Et galeas clypeosque passim ac

Magnorum acervos eruit ossium;
Vergente serum sole sub Hesperum,
Fessus resedisse et solutos
Non solito tenuisse cantu

Fertur juvencos, Carpite, dum licet,
Dum tuta vobis otia, carpite,
Oblita jam vobis vireta
Emeriti, mea cura, tauri:

Victor Polonus dum posita super
Respirat hasta, sic etiam vigil
Saevusque. Pro! quantis, Polone,
Moldavici tegis arva campi

Thracum ruinis! quas ego Bistonum
Hic cerno strages! quanta per avios
Disjecta late scuta colles!
Quae Geticis vacua arma truncis!

Hac acer ibat Sarmata, (Thracibus
Captivus olim nam memini puer)
Hic aere squalentes et auro
Concanus explicuit catervas.

Heu, quanta vidi proelia, cum Dacis
Consertus hastis campus, et horridi
Collata tempestas Gradivi,
Ambiguis fluitaret armis!

Suspensa paullum substitit alitis
Procella ferri; donec ahenea
Hinc inde nubes sulphurato
Plurima detonuisset igni.

Tum vero signis signa, viris viri,
Dextraeque dextris, et pedibus pedes,
Et tela respondere telis,
Et clypeis clypei retundi.

Non tanta campos grandine verberat
Nivalis Arctos: non fragor Alpium
Tantus, renitentes ab imo
Cum violens agit Auster ornos,

Hinc quantus atque hinc impetus aereo
Defusus imbri. Miscet opus frequens
   Furorque virtusque, et perenni
      Immoritur brevis ira famae.

Diu supremam nutat in aleam
Fortuna belli. Stat numerosior
   Hinc Bessus, hinc contra Polonus
      Exiguis metuendus alis.

Sed quid Cydones, aut pavidi Dahae,
Mollesque campo cedere Concani,
   Quid Seres aversoque pugnax
      Parthus equo Cilicumque turmae,

Contra sequacis pectora Sarmatae
Possent fugaces? Hinc ruit impiger
   Polonus, hinc Lithuanus; atro
      Quale duplex ruit axe fulmen:

Aut qualis alto se geminus jugo
Devolvit amnis, raptaque cum suis
   Armenta silvis, atque aperto
      Praecipitat nemora alta campo.

Heu, quale saevus fulminat aeneo
Borussus igni! Non ego Livonum
   Pugnas et incosulta vitae
      Transierim tua, Russe, signa.

Vobis fugaces vidi ego Bistonum
Errare lunas, signaque barbaris
   Derepta vexillis, et actam
      Retro equitum peditumque nubem.

Virtute pugnant, non numero, viri:
Et una silvam saepius eruit
   Bipennis, et paucae sequuntur
      Innumeras aquilae columbas.

Heu, quae jacentum strata cadaverum!
Qualemque vobis Aedonii fuga
Campum retexere! Hic Polonam
Mordet adhuc Othomannus hastam:

Hic fusus Aemon: hic Arabum manus
Confixa telis: hic Caracas jacet
Conopeis subter Lechorum,
Non bene pollicitus minaci

Coenam tyranno. Spes nimias Deus
Plerumque foedos ducit ad exitus,
Ridetque, gaudentem superbum
Immodicis dare vela votis.

Quo me canentem digna trahunt equis,
Non arma tauris? Sistite, barbarae,
Non haec inurbana, Camoenae,
Bella decet memorare buxo,

Majore quondam quae recinent tuba
Seri nepotes; et mea jam suis
Aratra cum bubus reverti
Praecipiti monet axe Vesper.

ODE V.

Parodia

ex Joannis Kochanovii *poëtarum Polonorum principis, Libri II. Ode XXIV.*

Cum Scythae citeriorem Podoliam inopinato invasissent, populariter decantata.

Aeterna labes, nec reparabile,
Polone, damnum, Podoliam Getas
Impune vastare, et dolendas
Pone Tyram numerare praedas.

Eheu, pudendum! Threicii canes
Egere prae se non popularium
   Armenta damarum, paternis
      Non iterum reditura lustris.

Pars impudicis vendita Thracibus:
Pars Tauricanos jussa sequi Scythas,
   Eheu! Gelonorum Polonis
      Strata canum caluere nuptis!

Manus latronum ruris et oppidi
Ignara, nostras irruit (heu pudor!)
   Urbes, quibus pellita raptas
      Plaustra vehunt revehuntque gazas.

Neglecta quondam sic pecorum lupi
Armenta vastant; quae neque pervigil
   Servat magister, nec fideli
      Cura canum comitata gressu.

Quantum Gelono pectoris addimus,
Si versa turpi terga damus Scythae,
   Jam paene laturo probrosas
      Civibus imperioque leges!

Heu, rumpe somnos, et vigiles age,
Polone, curas, nec revocabili
   Diffide fortunae, aut fugaci
      Anteveni tua fata tergo.

Tibi refuso, nunc age, sanguine
Pulchri Gelonus nominis eluat
   Labem, et colonorum cruentis
      Damna riget lacrymosa rivis.

Surgemus? An nos distinet aurea
Mensae supellex? quos manet (heu, dolor!)
   Haec mensa convivas? in auro
      Nempe bibat, cui dulce ferrum est.

Nervum recusis in pretium scyphis
Bello paremus. Quae male per vias
Sparsit platearum, tuendis
Haec eadem neget arca muris?

Haec munerati nos potioribus
Servemus ausis. Pectora non prius
Quam vulnerantur scuta: frustra
Exanimem tegit umbo dextram.

Me prisca lactat fabula, crescere
Per ipsa Lechum damna. Sed heu! recens
Ne me refellat fama, Lechum
Damna suis cumulare damnis.

ODE VI.

Palinodia

ad Parodiam Joannis Kochanovii.

Cum victoria de Turcis parta renuntiaretur, ac paulo post Stanislaus Koniecpolius, *exercituum regni Poloniarum ductor campestris, Scythas prosperis proeliis fudisset.*

Aeterna laudum, nec violabilis,
Polone, merces, sanguine Concanos
Pacem redemisse, et revictam
Uno Asiam Libyamque bello.

Extrema late qua rigido subest
Europa coelo, cornua fregimus
Lunae, cui lustrat subactas
Sol oriens moriensque terras.

Io, triumphe! Lechiadae duces
Egere prae se signa fugacium
Late Gelonorum, Polonis
Non iterum reditura campis.

Pars jussa pacis vivere legibus,
Pars foederata cedere Dacia.
Io! Corallorum Polonis
Signa ducum micuere templis.

Gens quae nivali devia Caucaso,
Undasque terrasque et dubium manu
Concussit orbem, non decoro
Anteiit sua fata tergo.

Nocturna quondam sic humili meant
Sub antra gressu degeneres lupi,
Si quando venantum tumultu
Avia personuere lustra.

Quantum cruenti pectoris et Gotho
Dememus hosti, qui modo Livonum
Terras repentinaque cinctam
Terruit obsidione Rigam!

Sed ne secundis, heu! nimium pii
Credamus armis: saepe suum levis
Fortuna victorem reliquit,
Et medios secuit triumphos

Contemptus hostis. Sic Lacedaemonum,
Sic bellicosi moenia Romuli
Crevere contemptu, et perennes
Gentibus imposuere frenos.

Dat ira vires, quae tumido dolet
Ab hoste temni: sunt et inermibus
Irae columbis, sunt echinis,
Sunt apibus sua tela parvis.

Hic ipse, qui nunc improbus aereas
Tutum fluenti Danubio Getes
Nectit catenas, cum secundis
Podoliam populatus armis

Spernet Lecheae robora dexterae.
Me vate, tinget sacrilega Lechos
Cervice mucrones. Potenti
Sic Nemesi placitumque Fatis.

ODE VII.

Ad Caesarem Pausilipium.

Davidis regis et vatis lyricae poësi Latinam non esse parem.

Jessea quisquis reddere carmina
Audet latini pectine barbiti,
Audet redordiri superbae
Turrigeras Babylonis arces.

Quantus Poloni e vertice Carpati
Ruptis inundat Vistula fontibus;
Se fert, inexhaustusque tanto
Isacius ruit ore vates.

Utcumque pastor duxit in avias
Armenta valles, aut gelido super
Jordane muscosaeque Bethles,
Aut liquidis Acaronis undis:

Dulci renarrat carmine melleis
Manasse retro saecla liquoribus,
Vinique rivos, et vetustas
Lacte novo trepidasse ripas.

Seu forte miles belligeras lyra
Transsumit hastas, et Superum pio
Scutumque loricamque Regi
Induitur, femorique magnum

Appendit ensem, qui male pallida
Urat minaci sidera fulgure,
Urbesque regesque et tremendo
Regna metat populosque ferro.

Seu Christianis grande nepotibus
Evolvit aevum, sive adamantinis
Decreta coeli fixa valvis;
Sive hominum Superumque Patrem

Stellante mundi sistit in atrio,
Cum torvus alti nube supercili
Dijudicandorum supremus
Consilio stetit in Deorum.

Illi et propinquus terror in aureo,
Et Fas, et aequi strenua Veritas,
Et Candor assedere scamno,
Et liquidae sine nube Leges.

Quis ducat aequo pectine sutilem
E luce pallam? quis sub ianthini
Tentorio coeli sedentem,
Quis rutilis diadema dicat

Crinale stellis? quis memoret Deum
Late trahentem syrma per aureum
Mundi pavimentum sequaci
Sidera conglomerare limbo?

At quantus inter Niliacas chelyn
Intendit undas, cum reducem Pharo
Mosen Erythraeisque ducit
Isacidum pia castra lymphis?

Hinc ruptus atque hinc artifici lyra
Pontus rigenti dissiluit freto, et
Circum pependerunt euntes
Marmoreis maria alta muris.

Videre stratis te, Deus, aequora
Videre tonsis, et liquido pede
  Fugere: porrectas in altum
    Ipse timor glaciavit undas,

Et stare jussit. Non humili sono
Terrasque et ictos increpuit polos
  Armatus aether: hinc rubenti
    Fulgura dissiluere rima:

Interque crebrae verbera grandinis,
Undasque flammasque et trepidantium
  Duella ventorum, superbi
    Frenigeras Pharaonis alas,

Currusque et hastas sanguineum mare
Jam non inani nomine proruit
  Late superfusum: cruentos
    Servat adhuc memor unda sulcos.

Tum vero victor quadrijugas super
Sublimis auras se Deus extulit,
  Longeque frenatis tetendit
    Sacra Notis Zephyrisque lora.

At laeta circum flumina vitreis
Plausere palmis, et velut arietes
  Succussa certatim supinis
    Culmina subsiliere silvis.

Haec nos nec olim Sarmatica rudes
Ausi Camoena, nec modo Dardanas
  Culti per artes, fortiore,
    Pausilipi, recinemus oestro:

Satis daturi, si Salomonia
Utcumque lenes tendere barbita,
  Castam Sunamitim et pudicos
    Carmine sollicitamus ignes.

ODE VIII.

Laus Dantisci.

Memoratur insignis Dantiscanorum de classe Teutonica victoria, et fides erga Poloniae regnum collaudatur.

Quae puppis, aut quis Pegasus ultimas
Tibi dicatum carmen in insulas
Portabit? o sidus Borussae
Gentis, Hyperboreique late

Regina coeli; quae vitrei super
Sedisse felix margine Vistulae,
Terrasque liquentesque circum
Oceani speculata campos,

Injecta septem fraena Trionibus,
Docta relaxas et cohibes manu,
Utrimque pollens, sive tellus
Sive tuas tremat unda leges.

Gazas tuorum non ego civium
Canam profanus: non ego turribus
Balthim coronari, et trecentas
Portubus advigilare proras:

Non, quod Britannos naviget, aut tuus
Eoa remus verberet aequora:
Non quod tuis Ormusianae
Mercibus infremuere ripae:

Non, aut propinquas digna palatia
Aequare nubes, aut Superum canam
Delubra, non imaginosis
Atria conspicienda ceris.

Olim revictos consilio dolos
Dicam Plaveni. Caetera distuli,
Nondum ausus Amphion perennes
Cantibus aedificare muros.

Humana quidquid composuit manus,
Humana rursus disjiciet: jacet
Ingens Alexandria, et altae
Moenia procubuere Romae.

Natura cassos subruit aemulae
Artis labores. Heu, male providi!
Casura mortales in altum
Exstruimus colimusque, iisdem

Mox obruendi. Troja premit Phrygas,
Grajos Mycenae: sola fides super
Turrita terrarum sepulcra
Evenit; et jacuisse gaudet,

Quidquid caduco condidit omine
Non sola virtus. Oppida civium
Virtus tuetur, non ahena
Claustra Semiramiaeve turres,

Non sulphuratis foeta tonitribus
Tormenta, non arx clausa decemplicis
Errore muri; sola diros
Urbe fides prohibebit hostes.

Hac arte lato Teutonas aequore,
Urbs magna, fundis; quam neque callidum
Perrupit aurum, nec dolosi
Munera blanditiaeque belli.

Nam fas, et aequi prisca severitas,
Simul potentum limina civium
Munivit, et dona et repulsos
Arma retro retulere gressus.

Moestum locuto jam redeuntibus
Signis magistro: Nunc ego (pro, pudor!)
Ferar per Europen celebris
Fabula, dedecorasse sacri

Leges Gradivi, et degenerem dolo
Armasse dextram. Non ego (pro, dolor!)
Ferro Borussorum nec auro
Dedecores animos probavi;

Utrimque foedus. Classis in ultimam
Disjecta Thulen, et profugae rates
Heu, turpe! vulgabunt Plaveni
Opprobrium: vice plus quaterna

Tentata nostris moenia classibus
Stetisse, et auri muneribus meas
Ferrum regessisse in carinas,
Non iterum reditura dona.

Quem foederatis nunc ego nuntium
Mittam Sicambris? quos ego Teutonum
Fastis recensebo triumphos?
Quae patriis spolia ampla fanis?

Frustra pudendis fama superstitem
Narrat ruinis. O ego naufragus
Perisse dicar, donec alter
Me melior pavido triumphus

Excuset orbi; si tamen hoc quoque
Fortuna versa jam negat orbita,
Me vera non falso probrosum
Naufragio Libitina condat.

ODE IX.

Ad Romam.

Eam bonarum artium nutricem esse.

Secunda coelo Roma, perennia
Quam jura dantem quadrijugo vehit
Hinc Africa Europeque supplex,
Inde Asia Americeque curru,

Olim cruentis non sine proeliis
Frenare terras aspera, nunc potens
Pacis sacramento quietae
Belligeras cohibere gentes.

Nec omne terram prospicit undique
Coelum, nec omnis parturit omnia
Tellus, et in magnis relucet
Discolor ingeniis venustas.

Te mite coelum, te Genius loci,
Et quae bonorum copia plurimo
Se fundit e cornu, colendis
Moribus ingenioque blandam

Fecere matrem. Non tibi nubilae
Mentes: sed, album quae generosius
Bibere solem, sunt aperto
Pectora candidiora coelo:

Verique pugnax et nivei vigil
Pubes honesti: fulgurat indoles
Vultuque, cultuque et fideli
Non dubius sedet ore candor.

Sunt et benignae quae bona pectoris
Ornant Camoenae. Non veteres ego
Vates et ignotas amico
Carmine sollicitabo manes:

Testis mearum vivida *Bencii*
Thalia laudum: testis amoenior
Argenteis *Gallutiorum*
Barbitos insonuisse nervis:

Testis, feroci qui premit impetu
Papiniani proelia pectinis
Donatus: heu testis tragoedi
Postuma Calliope *Stephoni,*

Divesque *Stradae* cultus, et integer
Guinisianus candor, et aurei
Lepos *Petruci,* aut qui Latino
Dulce fluit *Godefridus* ore.

Quamquam nec armis desit idonea
Campoque pubes: et tibi Thracium
Deproeliaturos tyrannum
Magnanimos Latium nepotes

Cultuque et almis educat artibus;
Qui regna Cypri, qui Rhodon asserant
Armis, Palaestinosque colles,
Et Solymi juga parricidae.

Vidi Latinas, vidi ego ludicro
Late phalangas fervere proelio,
Primi rudimentum Gradivi,
Dum Ligurum Allobrogumque quondam

Urbanus acres non sine numine
Componit iras, cum fera militum
Ferrara vicinum quietis
Eridanum monet esse ripis.

Heu, quanta bello robora! non mihi
Indictus olim vixeris, altius,
Torquate, fraterna sonari
Digne lyra, comitum propago,

Torquate regum. Te Latiis gravem
Bohemus armis, te validum leves
Sensere Daci: tu, perempti
Non humilis socius *Buquoi,*

Tunc Vaticano primus in agmine
Pugnam docebas; qualis adhuc rudem
Chiron Achillem, qualis alto
Aemona Protesilaus Haemo.

Dicent columnas, qui gravioribus
Dicent Camoenis edomitum mare, et
Opima Naupacti tropaea, et
Ausonio pia bella ponto.

Non et sonandus non geminus pari
Ursinus oestro? sed bene credidit
Imbelle plectrum, non pharetram,
Aut habilem mihi Phoebus arcum.

ODE X.

Ad Q. Dellium.

Non tam populari exemplo, quam potius rationis ductu, vitam esse instituendam.

Delli, si populo duce
Vitae degenerem carpimus orbitam,
Erramus; procul arduis
Virtus se nimium seposuit jugis.
Illuc quo via tritior,
Hoc est certa minus. Longus inutili
Error nectitur ordine:
Et mores populum, non ratio trahit.

Casu vivitur; et viam,
Non metam premimus, qua praeeuntium
Per vestigia civium
Insanae strepitus plebis, et improbae
Voces invidiae vocant.
Exemplis trahimur et trahimus retro:
Soli nemo sibi est malus.
Nulli vita sua est: dum vaga postero
Turbam turba premit gradu,
Sunt primi exitio saepe sequentibus.
Me Parnassus et integer
Plebejis Helicon coetibus eripit
Sublimem: unde vagantium
Errores animorum et male desidis
Vulgi damna patent. Juvat
Ex alto intrepidum colle jacentia
Despectare pericula, et
Cautum non propriis vivere casibus.

ODE XI.

Ad Sigismundum Laetum.

Gloriae inanis despicientiam et silentium commendat.

Laete, quid cassis sequimur fugacem
Gloriam telis? fugit illa Mauri
More, vel Parthi, regeritque ab ipso
Vulnera tergo.

Hospes unius negat esse tecti
Garrulus vulgi favor: hic inani
Aure rumores legit, inde veris
Falsa remiscet.

Hic velut nidum positurus haesit:
Mox ubi vano vacuum tumultu
Pectus illusit, tacitis in altum
Subsilit alis.

Vera laus sciri fugit. Ipse pulcher
Se sua Titan prohibet videri
Luce: qui totus potuit latere,
Major habetur.

Qui premit sacram taciturnitate
Pectoris gazam, bene non silenti
Tutus in vulgo, bene suspicaci
Regnat in aula.

Praeterit mutas bene cymba ripas;
Quae simul raucis strepuere saxis,
In latus cautam sapiens momento a-
vertere proram.

ODE XII.

Ad Janum Libinium

Solitudinem suam excusat.

Quid me latentem sub tenui lare
Dudum moretur, cum mihi civium
Amica certatim patescant
Atria, saepe rogas, Libini.

Me plenus, extra quid cupiam? meo
In memetipsum clausus ab ostio,
In se recedentis reviso
Scenam animi, vacuumque lustro

Vitae theatrum; sollicitus mei
Spectator, an, quae fabula prodii,
  Matura procedam, et supremo
    Numinis excipienda plausu.

Omnes recenset Numen, et approbat
Vel culpat actus: quo mea judice
  Si scena non laeve peracta est
    Sim populo sine teste felix.

Odi loquacis compita gloriae
Plebeja: quam cum Fama faventibus
  Evexit auris, saepe misso
    Invidiae stimulata telo,

Aut invidentum territa vocibus,
Parum obstinatis et male fortibus
  Dimittit alis. Illa nudam
    Plangit humum, lacerosque saxis

Affligit artus. Me melius tegat
Privata virtus, et popularia
  Numquam volaturum per ora
    Celet iners sine laude tectum.

Semota laudem si meruit, vetat
Audire virtus. Tutius invidi
  Longinqua miramur: propinquis
    Laevus amat comes ire livor.

ODE XIII.

Ad Caesarem Pausilipium.

Adversa constanti animo ferenda esse.

Si quae flent mala, lugubres
  Auferrent oculi, Sidoniis ego

Mercarer bene lacrymas
  Gemmis, aut teretum merce monilium.
At, ceu rore seges viret,
  Sic crescunt riguis tristia fletibus.
Urget lacryma lacrymam;
  Foecundusque sui se numerat dolor.
Quem fortuna semel virum
  Udo degenerem lumine viderit,
Illum saepe ferit. Mala
  Terrentur tacito fata silentio.
Ne te, ne tua fleveris,
  Quae tu, care, vocas, Pausilipi, mala.
Quam pellunt lacrymae, fovent
  Sortem: dura negant cedere mollibus.
Siccas si videat genas,
  Durae cedet hebes sors patientiae.

ODE XIV.

Ad Crispum Laevinium.

Rogatus, cur saepe per viam caneret, respondet.

Cum meam nullis humeros onustus
Sarcinis tecum patriam reviso
Laetus, et parvo mihi cumque dives
  Canto viator;

Tu siles moestum: tibi cura Musas
Demit, et multi grave pondus auri,
Quaeque te quondam, malefida rerum,
  Turba relinquet.

Dives est, qui nil habet; illa tantum,
Quae potest certa retinere dextra:
Seque fert secum, vaga quo migrare
  Jussit egestas.

Quid mihi, qui nil cupiam, deesse
Possit? Umbrosi placet una Pindi
Vallis. O sacrum nemus! o jocosae
Rura Camoenae!

Quae meos poscet via cumque gressus,
Delphici mecum, mea regna, colles,
Itis, et fessum comitante circum-
sistitis umbra.

Me Gothus saevis religet catenis,
Me Scythes captum rapiat, soluta
Mente vobiscum potero tremendos
Visere Reges.

ODE XV.

Ad Munatium.

Nihil in rebus humanis non taedio plenum esse.

Nil est, Munati, nil, iterum canam,
Mortale nil est immedicabilis
Immune taedi. Clarus olim
Sol proavis atavisque, nobis

Parum salubris; nec macula reus
Damnatur una. Quidquid in arduo im-
mortale mortales Olympo
Vidimus, invidiae caduca

Fuscamus umbra. Non placet incolis
Qui sol avitis exoritur jugis,
Aut prisca quae dudum paternam
Luna ferit radiis fenestram.

Coelo quotannis, et patriis leves
Migramus arvis: hunc tepidae vocant
Brumae Batavorum; huic aprici
Ausoniae placuere soles.

Frustra: fideles si dominum retro
Morbi sequuntur, nec tacitus dolor
Absistit, aut Vejente curru
Aut Veneta comes ire cymba.

Tandemque nobis exsulibus placent
Relicta. Certam cui posuit domum
Virtus, huic numquam paternae
Fumus erit lacrymosus aulae.

Virtus, agresti dives in otio,
Sese ipsa claudit finibus in suis
Plerumque, et insonti quietum
In palea solium reclinat.

ODE XVI.

Ad equites Polonos.

Illos quam maxime campestribus proeliis idoneos esse.

Nec Lechus, neque Lechicis
Proles ille fuit nata nepotibus,
Primus qui docuit suis
Urbes Sarmatiae fidere machinis.
Campestres bene Sarmatae
Campo bella gerunt: sub Jove libero
Natam militis indolem
Frustra belligero clauditis otio.
Arctis oppida moenibus
Virtutem cohibent, dum male fortibus

Addunt consiliis moram, et
  Crescentes hebetant Martis adoreas.
Sic non vincimus, ut diu
  Vincamur; miseri, ni vetet exteri
Campestris manus auxili
  Hostem quassa diu cingere moenia,
Aut vis vivida civium,
  Rumpentis nebulam more tonitrui,
Clauso proruat oppido,
  Et murum solido pectore suppleat.
Agrestes melius ferae,
  Quarum non vacuis jurgia sub jugis,
Sed plano generosior
  Campo pugna calet. Prodit inertibus
Antris impavidus leo,
  Hostem conspicuis sternere collibus.
Aër ingenuis patet
  In pugnas aquilis. Mollibus evolat
Nidis, cum violentior
  Visis accipiter pugnat oloribus.
Quid nos picta leonibus
  Frustra parma tegit? Cur Jovis alitem,
Aut cur accipitrem cavo
  Gestemus clypeo, si male Martiae
Respondet nota dexterac,
  Nec pulso resonat gloria pectori?
Quod si non vacuum genus
  Jactamus timidi, cur fugimus sacrum
Immiscere periculis,
  Coelo teste, caput, non sine stemmate?
Magno magna ruant loco,
  Aut vincant. Videat sol melius mori
Quod nasci bene viderat,
  Et laudis spatium mors habeat suae.

Hac virtute Chaber vagum
  Sub consanguineae jura Poloniae
Jussit ire Borysthenem,
  Captivique super marginibus Salae,
Et Silesidos Oderae,
  Metas imperio fixit aheneas,
Qua certo pede gloriam
  Stantem non stabilis praeflueret liquor.
Nos foedam Lare patrio
  Aetatem tegimus, solliciti parum,
Quam vicinus aret Gothus,
  Vel quam frugiferae rura Podoliae
Creber diripiat Scythes:
  At non et madidi sub jubar Hesperi
Inter pocula nescii
  Noctem sanguineo ducere jurgio.
Quod si prima senes hiems
  Admovit tepido cum pueris foco,
Patrum dicere proelia
  Hausto non humiles historici mero,
Foecundam scelerum pii
  Aetatem querimur, quam nova posterum
Deturpavit inertia.
  Frustra: si positis mox eadem patres
Inter pocula liberis
  Flemus, quae miseri saecula fecimus.

ODE XVII.

Ad violam.

Kalendis Maji quotannis Pueri Jesu caput coronaturus.

Aurora veris, punicei recens
Regina campi, cinge mei, precor,
Frontem Puelli. Cur sub auro
Parvulus, heu! gravibusque gemmis,

Aut sub prementis sidere purpurae
Laboret? O cui pauperies mei
Regnum dicavit, necte sertum,
Necte meo diadema Regi.

Parvo coronat munere se Deus
Plerumque, si quae paupere dat manu
Dives voluntas: dona magnis
Parva animo placuere magno.

ODE XVIII.

Ad rosam.

Quotannis Kalendis Junii D. Virginis caput coronaturus.

Siderum sacros imitata vultus,
Quid lates dudum, rosa? delicatum
Effer e terris caput, o tepentis
Filia coeli.

Jam tibi nubes fugiunt aquosae,
Quas fugant albis Zephyri quadrigis;
Jam tibi mulcet Boream jocantis
Aura Favoni.

Surge: qui natam deceant capilli,
Mitte scitari: nihil, heu, profanae
Debeas fronti, nimium severi
Stemma pudoris.

Parce plebejos redimire crines.
Te decent arae: tibi colligenda
Virginis late coma per sequaces
Fluctuat auras.

ODE XIX.

Ad Jesum Opt. Max.

Ex sacro Salomonis Epithalamio.

Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. (Cant. I. 6.)

Dicebas abiens: Sponsa vale; simul
Vicisti liquidis nubila passibus.
Longam ducis, Iesu,
In desideriis moram.

Ardet jam medio summa dies polo:
Jam parcit segeti messor, et algidas
Pastor cum grege valles,
Et pictae volucres petunt.

At te quae tacitis distinet otiis,
O Jesu, regio? quis mihi te locus
Coecis invidet umbris,
Aut spissa nemorum coma?

Scirem, quo jaceas cespite languidus!
Quis ventus gracili praeflet anhelitu!
Quis rivus tibi grato
Somnum praetereat sono!

Ah! ne te nimio murmure suscitent,
Nostrae diluerent flumina lacrymae,
Et suspiria crudis
Miscerentur Etesiis.

ODE XX.

Ad Divam Virginem.

Carmen votivum.

Regina, terris non humili Deum
Enixa partu, cui vigiles comam
Flammae coronavere, et albo
Sidera circumiere gyro:

Utcumque viles respicis aurea
E nube terras, lenior excipe,
Non ante testudo locutis
Quae mea cumque sonat Camoenis.

Me torva circum mugiat horrido
Malea ponto: me fera sorbeat
Charybdis: enantem per ipsas
Eripiet tua dextra mortes.

Importuosi seu jubar aequoris
Audire gaudes, seu pelagi Pharos,
Seu certa tu mavis vocari
Ambiguis Cynosura nautis:

Seu navis, olim credita naufragum
Servasse saeclum, cum scelerum Pater
Ultor superfuso Gigantum
Obrueret genus omne coelo.

Me pestilenti Sirius halitu
Afflet: caducum tu bene proteges
Umbra clientem; seu comanti
Dulce vires terebinthus auro,

Seu celsa gaudes cedrus in arduo
Natura Sina, seu Libano super
Cupressus, aut late Cadanis
Populus adspicienda campis.

Dicam et minoris carmine barbiti
Inter severas nobile lilium
Florere spinas, et comantem
Flore Deo tremuisse virgam.

Cingat frementum me globus hostium,
Dicere denso exercitus agmine
Alas et aequalem reductis
Cornibus explicuisse campum:

Dicere, Virgo, Turris, eburnea
Dicere Turris, quam nec aheneus
Perrumpat imber, nec ruinam
Flamma gravi meditata plumbo.

Quod si canoro carminis alite
Indis morantem Musa cubilibus
Hortetur exire, et nigrantes
Luce nova reparare terras;

Non et benignis respuis auribus
Aurora dici. Surgis et integro
Nunc Luna vultu, nunc Eoo
Cynthius inveheris triumpho.

Quocumque gaudes nomine, me tuum
Tuere, Mater, si mihi per tuas,
O Virgo, non immunis aras
Mica salit, Cilicesque nimbi.

Hic Vaticanis non sine laureis
Appendo functum carmine barbitum, et
Olim Polonorum tropaea
Sollicitam cecinisse buxum.

ODE XXI.

Ex sacro Salomonis epithalamio.

En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit: imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra: tempus putationis advenit. Vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos: vineae florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni. (Cant. II. 10. sqq.)

Fallor? an Elysii laeva de parte sereni
Me mea vita vocat?
Surge, Soror, pulchris innectito lora columbis;
Pulchrior ipsa super
Scande rotas, Libanique levem de vertice currum:
Has, age, flecte domos.
Ad tua decidui fugiunt vestigia nimbi:
Turbidus imber abit.
Ipsa sub innocuis mitescunt fulmina plantis:
Ipsa virescit hiems.
Interea sacris aperit se scena viretis,
Sub pedibusque tibi
Altera floret humus, alterque vagantia late
Sidera pascit ager.
Hic etiam trepidi pendent e rupibus hoedi
Praecipitesque caprae,

Hinnuleique suis, passim dum flumina tranant,
Luxuriantur aquis.
It leo cum pardo viridis de colle Saniri,
Mitis uterque regi,
Cumque suo passim ludunt in montibus agno
Exsuperantque juga.
Plurimus hos circum tacito pede labitur amnis,
Pumicibusque cavis
Per violas lapsae, per declives hyacinthos,
Exspatiantur aquae.
Lene fluunt rivi: muscosis lene susurrus
Murmurat e scopulis.
In vitreo pisces saliunt hilares crystallo,
Dulce queruntur aves.
Nec vero, si moesta placent solatia, coelo
Flebile murmur abest:
Nam sibi dum vestro regemunt ex orbe palumbes,
Huc sonus ille venit.
Sic dum se viduo solatur carmine turtur,
Gaudia nostra placent.
Caetera non desunt. Pronis vindemia pendet
Officiosa botris.
Hic etiam vulgo violas, albentia vulgo
Ungue ligustra leges.
Ipsa tibi, leti succos oblita priores,
Mitia poma cadent:
Ipsae matura labentur ab arbore ficus,
Percutientque sinum.
Interea falcem vindemia nescit, aratrum
Saucia nescit humus.
Ipsae sponte virent segetes: innoxius ipse
Messibus albet ager.
Praebent hospitium platani: praebet formosos
Graminis herba toros.

Caedua Panchaeos sudant opobalsama nimbos:
Et genialis odor
Adspirat, quoties nutantibus hinc atque illinc
Ingruit aura comis.
Surge: quid indignos ducis per taedia soles?
Surge, age, cara soror.
Ecce, tuis ipsae jam circum fraena columbae
Ingemuere moris.
Huc age, formosas formosior ipsa columbas
Hospita flecte soror.

ODE XXII.

Ad Virginem Matrem.

Quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. (Cant. VI. 9).

Quando te dulci sine prole solam
Miror, Eoo reducem cubili
Miror Auroram, croceo rigantem
Aethera nimbo.

Mater at Nato simul adstitisti,
Integram miror radiare Lunam,
Ora debentem radiosque et almo
Lumina Soli.

Cinge maternis Puerum lacertis:
Sol eris, vel quae vigil explicatis
Siderum turmis acies tonantem
Circumit aulam.

ODE XXIII.

Ad cicadam.

O quae, populea summa sedens coma,
Coeli roriferis ebria lacrymis,
Et te voce, cicada,
Et mutum recreas nemus.

Post longas hiemes, dum nimium brevis
Aestas se levibus praecipitat rotis,
Festinos, age, lento
Soles excipe jurgio.

Ut se quaeque dies attulit optima,
Sic se quaeque rapit: nulla fuit satis
Umquam longa voluptas;
Longus saepius est dolor.

ODE XXIV.

Ad D. Virginem Matrem.

Paean militaris Polonorum, quem Divus Adalbertus, Archiepiscopus Gnesnensis, Polonorum Apostolus conscripsit, regnoque Poloniarum testamento legavit.

Poloni, acie explicata, manum cum hoste collaturi populariter decantant. Petrus Skarga, olim Sigismundi III. Polonorum regis Theologus, in vita D. Adalberti recensuit et explicuit. Auctor ex Polonico carmine in Latinum vertit.

Diva, per latas celebrata terras
Caelibi Numen genuisse partu,
Mater et Virgo, genialis olim
Libera noxae:

Dulce ridentem populis Puellum
Prome formosis, bona Mater, ulnis:
Expiaturum populos manu de-
mitte Puellum.

Apta dum nostris venit hora votis,
Supplices audi, meliore mentes
Erudi voto! socia Puellum
Voce precamur.

Integram nobis sine labe vitam,
Prosperam nobis sine clade mortem,
Christe, stellatasque Maria Divum
Annue sedes.

Numinis natam tibi crede prolem,
Qui pius credi cupis! Ille multis
Pressus aerumnis populos ab imo
Eruit Orco.

Ille non unquam pereuntis aevi
Scripsit haeredes: et inobsequentis
Praesidem leti cohibet severae:
Lege catenae:

Ausus indignum tolerare letum,
Sontis Adami memor. Ille necdum
Praevius ductor penetrarat alti
Limina coeli,

Donec informi Deus e sepulcro
Prodiit victor: bene jam supremo
Assides, Adam, solio perennis
Hospes Olympi.

Nos tuam plebem sobolemque sanctis
Alleges campis, ubi regna Divum
Gaudii torrens et inundat almi
Flumen amoris.

Saucium nobis latus et cruentas
Ille plantarum manuumque plagas
Sustinet: nobis medicos latus de-
stillat in imbres.

Hoc fide concors animique major
Turba credamus, scelus eluisse,
Et salutarem patuisse nobis
Vulnere Christum.

Ite: jam foedam (monet hora) labem,
Ite, mortales, prohibete: magno
Carmen et totam sine fraude mentem im-
pendite Regi.

Tu tua, Virgo, Sobolemque Regemque
Aetheris, leni prece; ne malorum
Turbo per praeceps cumulosque sese
Explicet omnes.

Siderum cives, facilem precati
Siderum Regem, reserate coelum
Civibus terrae, socialis olim
Turba futuri.

Ille nos, Jesu, locus, illa tecum
Regna conjungant, ubi nos canentum
Coelitum pridem vocat in beatam ex-
ercitus aulam.

Sic erit, votis iteramus omnes:
Sic erit. Septem bona verba laeto
Profer eventu, Pater, et beatos
Pande Penates.

ODE XXV.

Dialogus Pueri Jesu et Virg. Matris.

Carmen votivum.

Ex Cantico Canticor. cap. I. IV. V. VI. et VII.

PUER.

Virgo sidereis pulchrior ignibus,
Auro fulgidior, lucidior vitro,
Rubro gratior ostro,
Alba candidior rosa.

VIRGO.

Jesu, purpureo clarior Hespero,
Luna splendidior, sole serenior,
Vernis gratior arvis,
Hibernâ nive purior.

PUER.

Sic fulges oculis, ut geminus prope,
Qui cum lusit agris fons Eseboniis,
Clausum stare quieto
Se miratur in otio.

VIRGO.

Sic luces oculis, ut geminae prope
Lucent, seu fluvio, sive liquentibus
Lotae lacte columbae
Assedere canalibus.

PUER.

Ornant ingenuae colla tibi comae,
Lydis lota velut purpura fontibus,
Summis aut Galaadi
Declines capreae jugis.

VIRGO.

Ambit pulchra tuas caesaries genas,
Qualis frondifluis palma viret comis;
Qualis corvus in ipsis
Plumarum tenebris nitet.

PUER.

Virgo, lene tuis verba fluunt labris,
Hyblaeo veluti mella fluant favo,
Aut demissa solutis
Errent flammea taeniis.

VIRGO.

Jesu, dulce tuis ora natant sonis,
Infuso veluti pocula Caecubo,
Aut humecta caducis
Gemment lilia roribus.

PUER.

Mammae sunt similes hinnuleis tuae,
Qui tondent teneris lilia morsibus,
Dum se fessus anhelo
Inclinet senio dies.

VIRGO.

Certant, Nate, tuis uberibus botri;
Botri, quos viridis parturiit Cypros,
Aut quos educat almis
Engaddus viridariis.

PUER.

Quisquis, Virgo, tuas adspiciet genas,
Poenis adspiciet mala rubentia
Ramis: caetera claudunt
Imo se bona pectore.

VIRGO.

Quisquis, Nate, tuis haeserit in genis,
Pictam dispositis artifici manu
Liliisque rosisque
Emirabitur aream.

PUER.

Qui te non amat, est barbarior feris,
Pardis asperior, tigride saevior,
Impacatior ursis,
Iracundior anguibus.

VIRGO.

Qui te non amat, est marmore durior,
Saxis horridior, surdior aequore,
Inconstantior auris,
Immansuetior ignibus.

ODE XXVI.

Ad auram.

Aura, quam veris tepor et serena
Thraciae vectant animae quadriga,
Huc ades, qua te vocat hospitali
Populus umbra.

Hic tibi liber Zephyrus comas per-
sultet et ramos: vagus hic supinas
Increpet frondes, teneroque vexet
Gramina lusu.

Dum, per apricos revoluta flores,
Vitreae somnum fuga suadet undae,
Meque suspensamque comante perfla
Barbiton alno.

Sic tibi coelum lepidoque soles
Rideant vultu: pede sic liquenti
Ros tibi manet, tacitaque se sus-
pendat in herba.

Sic tibi Seres Cilicesque campi
Sospiti centum geminent odores:
Sic adulantes violis rosarum
Pecte capillos.

Sic, meo chordas quatiente plectro,
Inter admisso digitos acutum
Sibilo ludas, lyrico comes po-
etria vati.

ODE XXVII.

Noë vaticinium.

Luxuriam praeteriti, et idololatriam futuri saeculi dequeritur.

Demersa late saecula cum Noë
Enavigaret, naufraga dicitur
E puppe prospexisse regna,
Et male jam pelago latentes

Flevisse terras: Saecula, saecula
Libido fœdis mergit amoribus:
Totoque restinguendus orbis
Oceano, simul omnis uno

Peccavit igni. Scilicet impiis
Polluta regum limina nuptiis,
Spectante frustra sole, possent
Stare diu? Pudor, heu! nefasque

Nascentis aevi, turpis amor, nihil
Intaminatum liquit: et innocens
Natura deformis nocenti
Supplicium grave pendit usu.

Incesta fœdi fecimus omnia,
Et digna perdi. Marmoreis ubi
Urbes coronatae Colossis?
Aut ubi turrigerae potentum

Arces Gigantum? Queis, modo liberi,
Festo choreas agmine plausimus,
Delphines insultant plateis,
Et vacuas spatiosa cete

Ludunt per aulas, ac thalamos pigrae
Pressere phocae: defluit illito
Aurum lacunari, et refixae
Ad pelagus rediere gemmæ.

Jam nec vetustis sculpta scientiis
Famosa moles perstat, et aureis
Inscripta majorum sepulcris
Funditus occubuere saxa.

Ingens egestas, et simul omnium
Jactura rerum, flagitium, Dei
Cultuque delubrisque et aris,
Heu, miserum male nudat orbem!

Jam jamque coget saecula proprium
Nescire Numen: nec scelerum grave
Pensare permittet nepotes
Supplicium. Simul omne ripas

Habebit aequor, rursus et inclyta
Tellus in herbam surget, et aureus
Titan inaurabit recenti
Arva die, populisque magnus

Crebrescet orbis. Non eadem fluet
Aetas, et auro deterius diem
Procudet argentum, ac sonoro
Belligerum gemet aere tempus;

Tandemque ferro saecula corruent.
Et, qui malorum summus apex, Dei
Oblita, me rerum parentem
Sacrilego colet igne tellus:

Falsumque numen (pro, pudor!) impio
Narrabor orbi, ceu veteri Chao
Hac puppe discrevisse, et omnem
Naufragio recreasse mundum:

Mox stare terras, currere flumina,
Frondere silvas, arva virescere
Jussisse paullatim, et nitentes
Frugibus explicuisse campos.

Me Bactra Coelum, me Babylon Jovem,
Me Susa Solem, me Pharii suum
Dicent Osyrim: me bifrontem
Ausoniae colet ora Janum.

At, o potenti qui regis aethera
Terresque sceptro, verte, Pater, Pater,
Undasque terrasque, et trisulcum
In caput hoc jaculare telum,

Foedusque jam nunc stragibus obruar
Labantis aevi! Barbaricis ego
Solus supervivam pudenda
Materies titulusque sacris?

ODE XXVIII.

Ad divinam Sapientiam.

Cum novi e Germania, Gallia Italiaque motus bellici nuntiarentur.

O mens, quae stabili fata regis vice,
Ut nos pulchra tui seria consili,
An te nostra vicissim
Delectent, age, ludicra?

Nam, tu cum varia spargis opes manu,
Effusas lepido non sine jurgio
Raptamus, puerorum
Sparsas turba velut nuces.

Hic, cum sceptra capit, frangit: hic, antequam
Gestet, fracta videt. Fluctuat, heu! miser,
Alternaque potentum
Mundus diripitur manu.

Punctum est, sors avidis quod secat ensibus
Inter tot populos. Hoc precor unicum
Pauper: Secum avidi dum
Pugnant, tecum ego rideam.

ODE XXIX.

Ad equites Polonos.

Anno MDCXXX.

Quos sera gignent sæcula posteros,
Narrabo vates. Stemmata patriis
Delete ne ceris, Quirites,
Egregiis geminanda factis

Olim minorum. Si quid avi rudes
Inominata gessimus alite,
Reducet in laudem nepotum,
Auspicio meliore, virtus.

Non scuta frustra, non galeas decent
Gryphesque pardique; atque leonibus
Vexilla nequidquam et chimaeris
Sarmaticae micuere parmae.

Quis ille ductor Balthida Lechicis
Incendit armis? quod juvenum recens
Examen Arctoum Polonis
Increpat oceanum sub armis?

Jamque et minaces bella fremunt Gothi:
Hinc Martis atque hinc rupta tonitruis
Immugit unda: jam propinquae
Proelia conseruere prorae.

Pro! quantus armis in media quoque
Formosus ira! quantus in arduum
Assurgit ensem! quantus hasta
Per Gothicas juvenis phalangas

Exsultat! O lux, o veterum recens
Sidus Jagellonum, o patriae pater,
Primasque bellantis per undas
Sarmatiae Cynosura, salve!

Turrita saxis se tibi Suecia
Murisque pandit: jam tibi patrii
Cultus, et heroos revinxit
Laurigerum diadema crines.

Jam Vilna late, jam veteris Craci
Festo plateae carmine personant:
Tu Tiphys alter: tu severus
Belligero dare fraena ponto.

Princeps agrestes, et nimium diu
Terrae tenaces Martis adoreas
Latum refudisti per aequor,
Ausus homo pelagoque magnum

Miscere nomen. Te niveis super
Attollet altum fama curulibus,
Qua Vesper atque Aurora sacrum
Purpureo lavit amne crinem.

Haec tum, madenti vespere, Sarmatae,
Canenda seris bella nepotibus
Bis terque sub noctem lyraque et
Nisoviis iterate nervis.

Cras aut biremem, aut rursus equum citi
Scandetis. Eheu! quae nova barbaris
Effusa tempestas ab oris
Fulminat? agricolasque late

Camposque frugesque et pecorum procul
Armenta vasto proruit impetu?
Impune, pro pudor! Polonas
Thracia depopuletur urbes?

At, o virorum quisquis amicior
Marti, citato scande ratem pede:
Qua pontus et neglecta Thracum
Claustra vocant vacuaeque turres,

Perrumpe muros, dirue moenia,
Invade portas, sterne solo domos:
Heu! sterne Byzanti pudendis
Templa diu famulata sacris.

Io, triumphe! Sarmata Bosporo
Et belluosae frena Propontidi
Injecit, Eoumque seris
Imperium reparavit armis.

At vos secunda tempora, milites,
Umbrate lauru, dum gemino super
Procedit Arctous triumpho
Victor, Agenoreumque retro

Frontis minorem, et compedibus gravem
Ducit tyrannum. Dicite consono
Utrimque plausu: Tu tuorum,
Tu patriae pater atque Caesar!

Post haec avito pax bona parieti
Suspendet enses, et patrias novae
Narrabit ad taedas maritae
Emeritus sua bella conjux.

Mox et, quod atra Mars rapuit manu,
Castae reponent prole puerperae;
Novique reptabunt per arcus,
Scuta per et galeas nepotes,

Jam nunc protervi, nunc etiam truces
Ad saeva ferri fulgura: sed diu
Neglecta pacabunt juventam
Otia Palladiique ludi.

Sua quietus quisque sub arbore
Coenam pudici cum socia tori
Gnatisque prosternet, propinquo
Pocula praetereunte rivo.

Non aut malarum jurgia litium
Emptusve judex, sed bona veritas
Componet iras, aut jocosi
Vina super epulasque amici.

Non spes honorum, non studium lucri,
Cogent potentem visere curiam,
Tractusque longinquos viarum,
Et viduos numerare menses.

Quem mane siccum prima dies domo
Dimittet, illum sera dies domum
Potum reducet, et maritae
Excipient sine lite coenae.

Mox ad paterni ruris amoenior
Surget labores: sive suas Leo
Aestivus ad messes vocabit,
Sive redux ad aratra Taurus.

Sed ipsa messis sponte fidelibus
Insurget agris: non segetem graves
Urent avenae: non feraces
Suget iners paliurus agros:

Sed alba rubris lilia cum rosis,
Canaeque nardi flantibus annuent
Hinc inde ventis: atque in omni
Alta Ceres fluitabit arvo.

Tunc ipsa labens aethere faustitas
Passim per urbes nectet et oppida
Laetas Napaearum choreas:
Quam niveus pudor et solutis

Per colla passim simplicitas comis,
Rerumque plenis copia cornibus,
Priscoque gavisae sequentur
Naïades Dryadesque cantu.

Haec vera dicar tunc ego praescius
Dixisse vates: tunc mea carmina
Discenda grandaevi parentes
Virginibus puerisque dicent.

Frustra: nam in urna surdus et immemor
Jacebo pulvis. Me tamen integrae
Lauri coronabunt jacentem, et
Circum hederae violaeque serpent.

ODE XXX.

Ad Janussium Skuminum Tyszkiewicium

Palatinum Trocensem.

Cum Barbarae Naruszewiciae, conjugi carissimae, justa persolveret.

Si tibi pollicitum Numen, si fata fuissent,
Aeternos fore conjugis annos;
Jure per assiduos, procerum fortissime, fletus
Ereptam quererere, Janussi.
Quem pietas, quem non moveat non tristibus umquam
Arx animi concussa procellis,
Et pudor, et proni niveo de pectore sensus,
Et regina modestia morum,
Aut bona sedulitas, aut non incauta futuri
Praesagae solertia mentis?
Provida sed longum magnis virtutibus aevum
Non audent promittere fata:
Nec possunt, si quae maturavere, profanis
Astra diu committere terris.
Nunc adeo parces, longis onerare querelis
Depositum repetentia magnum,
Ingentes animi gazas et robur et aureo
Incoctum bene pectus honesto.
Sic Tanaquil, sic quae cunctantem Claudia rexit
Virginea cervice Cybeben,
Quaeque maritali successit Thessala fato,
Et Latiis vaga Cloelia ripis,
Ante diem raptae vivunt post funera vatum
Perpetuos in carmine fastos.
Illa quidem non si surdos ad carmina manes
Orphea testudine vincam,

Eductas adamante fores et ahenea rumpat
    Elysii pomoeria muri,
Reddaturque tibi. Stat nulli janua voto,
    Nullis exorata poëtis.
Sunt tamen exiles insigni in limine rimae,
    Qua possint arcana videri.
Hac ego, si nullos fallunt insomnia Manes,
    Aut vidi, aut vidisse putavi
Errantem campo in magno, quem gemmea circum
    Perspicuis stant moenia portis.
Auro prata virent: arbor crinitur in aurum:
    Crispantur violaria gemmis,
Quae nec Apelleus liquor, nec pulchra trigoni
    Assimulent mendacia vitri.
Centum ibi formosis in vallibus heroinæ
    Aeternum paeana frequentant.
Stant virides campo stellæ, madidisque corusca
    Connivent sibi sidera flammis.
Illa inter medias parvo comitata nepote
    Et roseo vivacior ore,
Ibat ovans, grandemque sibi, grandemque nepoti
    Nectebat de flore coronam.
Caetera me vetuit magni caligo sereni
    Mortali percurrere visu:
Nec tu plura velis. Satis est, cui fata dederunt
    Aeternis mutasse caduca.

ODE XXXI.

Ad Philidium Marabotinum.

Vides, ut altum fluminis otium
Rerum quieta ludit imagine,
  Solemque lunamque et sereno
    Picta refert simulacra coelo.

Talem severae lege modestiae
Compone mentem: seu caput horridis
  Fortuna circumsultat undis,
    Seu placida tibi mulcet aura.

Innube semper rideat aureo
Pectus sereno: quo melius sacros
  Deique naturaeque vultus
    Non dubiis imitetur umbris.

Pulchrum est, quieta mente volatili
Instare vero, nec trepido gradu
  Urgere naturam, nec inter
    Ambiguas fluitare caussas:

Sed mente fixa ducere liquidos
Rerum colores, et capitis sacra
  Ab arce prospectare verum, et
    Fixa suis sua rebus ora.

Frustra protervis fraena damus feris,
Si nulla nostrae fraena proterviae
  Aptamus. Excussere coelo
    Non vacui Phaëthonta fraeno,

Sed lege, currus. Qui refugit, sui
Rex esse, regni nesciet exteri:
  Quicumque dat sibi, regendo
    Ille potest dare jura mundo.

Ut mentis almo cuncta premas sinu.
Ipsum severis te preme legibus:
  Sic tu probis solers minister
    Consiliis, ego fidus auctor.

ODE XXXII.

Ad Albertum Turscium.

De suis somniis et lyricis.

Tursci, seu brevior mihi,
  Seu pernox oculos composuit sopor,
Pennas somnia laevibus
  Affigunt humeris: jamque virentia
Laetus prata supervolo,
  Qua se cumque novum molle tumentibus
Campis explicuit nemus,
  Herbosaeque patet scena superbiae.
Mox et nubibus altior,
  Mixtus flumineis ales oloribus,
Vivos despicio lacus,
  Et dulci volucrem carmine mentior.
Jam tunc nubila, jam mihi
  Blandis dissiliunt fulmina cantibus:
Et, quae plurima circuit
  Collum, punicea vincior iride.
Idem jam vigil et meus,
  Non ingrata simul somnia dispuli,
Cum ter mobilibus lyram
  Percussi digitis, immemor, et ducis
Nil sectator Horatii,
  Sublimis liquidum nitor in aëra:
Et nunc littora, nunc vagas
  Siccis trajiciens passibus insulas,

Nil mortale mei gero, et
   Jam nil sollicito debeo ponderi.
Tursci, saepe tamen mones,
   Olim ne, veteri clarior Icaro,
Veris fabula casibus
   Mutem Parrhasii nomina Baltici.
Frustra: nam memor Icari,
   Addo stultitiae consilium brevi:
Nam, seu dormio, me torus;
   Seu scribo, stabili sella tenet situ.

ODE XXXIII.

Ad D. Virginem Matrem.

Cum in inclyta Vilnensi Societatis Jesu academia curriculo philosophiae finem imponeret, scholasticam praelecturus theologiam.

Et jam quietis ancora puppibus
Littus momordit. Solvite carbasa;
   Proramque malumque et virenti
      Remigium religate lauru.

O cui frequenti plurima supplicat
Stagira portu; si tibi consona
   Respondet ex omni juventus
      Turre, Palaemoniique flammis

Risere montes; si tibi pervigil
Deproeliantum exercitus ignium
   Hinc pugnat atque hinc, atque ahena
      Pulvereo tonat ore moles;

Emancipatis adde clientibus
Gratam laborum, nec vacuam tui,
   O Virgo, pubem; sive castris,
      Sive tibi famuletur aris.

ODE XXXIV.

Ad Quintum Tiberinum.

Divitem numquam, Tiberine, dices,
Cujus Eois potiora glebis
Rura, fortunae sine faece, pulcher
Rivus inaurat:

Quem per insignes geniale ceras
Stemma claravit; vaga quem per urbes,
Quem per et gentes radiante vexit
Gloria curru.

Pauper est, qui se caret; et superbe
Ipse se librans, sua rura latam
Addit in lancem, socioque fallens
Pondus in auro.

Caeteris parvus, sibi magnus uni,
Ipse se nescit, pretioque falsae
Plebis attollit, propriaque se mi-
ratur in umbra.

Splendidam vera sine luce gazam,
Turgidum plena sine laude nomen
Mitte: te solo, Tiberine, disces
Esse beatus.

ODE XXXV.

Ad Paullum Coslovium.

Jam pridem tepido veris anhelitu
Afflarunt reduces arva Favonii:
Jam se florida vernis
Pingunt prata coloribus.

Stratus frugiferis Vilia puppibus
Grato praeterabit rura silentio,
Quamvis proximus omni
Collis personet alite:

Quamvis et viridi pastor ab aggere
Dicat graminea carmina fistula,
Et qui navita debet
Plenis otia carbasis.

Aequas Palladiis, Paulle, laboribus
Interpone vices. Cras, simul aureo
Sol arriserit ore
Sommorum juga montium,

Scandemus viridis terga Luciscii,
Qua celsa tegitur plurimus ilice,
Et se praetereuntum
Audit murmura fontium.

Illinc e medio tota videbitur
Nobis Vilna jugo, tota videbitur,
Quae Vilnam sinuosis
Ambit Vilia flexibus.

Illinc picta procul quae radiantibus
Fulgent fana tholis, et geminam super
Despectabimus arcem,
Magni regna Palaemonis.

Ut longo faciles pacis in otio
Se tollunt populi! nam tria tertio
Surrexere sub anno
Priscis templa Quiritibus:

Et qua conspicuis se Gediminia
Jactant saxa jugis, et Capitolium,
Et quae tecta superbis
Intrant nubila turribus.

Auget magna quies: exiguus labor
In majus modico provenit otio.
Hinc et terga virentum
Late prospice collium.

Quae nunc mobilibus nutat Etesiis,
Segni cana stetit sub nive populus:
Qui nunc defluit, alta
Haesit sub glacie latex:

Qui nunc purpureis floret ager rosis,
Immoto sterilis delituit gelu:
Verno quae strepit ales,
Hiberno tacuit die.

Ergo rumpe moras, et solidum gravi
Curae deme diem, quem tibi candidus
Spondet vesper, et albis
Cras horae revehent equis.

ODE XXXVI.

Ad equites Polonos et Lithuanos.

Amphion, seu civitas bene ordinata.

Exteros mores prohibete pulchra
Lege, Thebani: patriasque leges
Et pios ritus, et avita natos
Sacra docete.

Templa Fas sanctum, fora lustret Aequum;
Veritas et Pax et Amor per omnes
Ambulet vicos: scelus omne casta
Exsulet urbe.

Nullus est murus sceleri. Per altas
Urbium turres triplicesque portas
Poena perrupit. Vigilant in omnes
Fulmina culpas.

Concolor vero dolus, et superba
Exsulet regni sitis, et cupido
Desidis lucri, tacitoque segnis
Copia luxu.

Publicos discat geminare census
Saeva paupertas: et in arma ferrum
Sit satis. Rapto male pugnat olim
Miles in auro.

Sive res bellis agitanda, sive
Pace, collatas sociate vires.
Alta centenis melius recumbunt
Templa columnis:

Inter errantem scopulos carinam
Certius plures docuere stellae:
Fortius proram gemino revincit
Ancora morsu.

Gliscit aeterno sociale nexu
Robur. Arcanas opulentiorum
Ira per rixas agitata magnas
Eruit urbes.

Haec ubi, dulci modulante nervo,
Dixit Amphion, ter eunte fluctu
Substitit Dirce, ter opaca movit
Terga Cythaeron.

Saxa repserunt, scopulique circum
Devio campos petiere saltu,
Et nemus pronusque silex ab alto
Monte cucurrit.

At simul vates tacuit; per omnem
Barbarae rupes coiere murum, et
Septies clausae steterunt aheno
Cardine Thebae.

ODE XXXVII.

Ad Joannem Palmium.

Ex Joannis Cochanovii, poëtarum Polonorum principis, Lib. II. Oda XX.

Cum regni Poloniarum ordines, positis ad Vistulam castris, Stephanum I. *regem Poloniae dicerent.*

Palmi, futuri regis inutiles
Omitte curas. Dudum adamantino
Cui fata subscripsere libro
Sarmatici diadema regni,

Non Auster illum, non Boreae domus,
Non limen Euri, non Zephyri dabit.
Rex est, Poloni, quem potenti
Rex Superum jubet esse voto.

Hic ipse (quamquam se propior daret
In regna princeps) miserat extero
A sole regem, qui relicta
Vela retro cito ferret aula.

Quo vana pulchrae nomina gloriae?
Quo pictus auro miles, et inclyti
Cessere Gascones? Inani
Spes tumidae crepuere vento.

Fortuna naves, et dubias agit
Fortuna pugnas. Haec popularibus
Utcumque se miscet catervis,
Ambigui regit ora vulgi.

Absiste verbis. Nos medio procul
Campo coronam figimus ardua
In rupe. Rex esto, priore
Quisquis emet sibi regna cursu.

ODE XXXVIII.

Ad Libertatem.

Cum Vladislaus IV. maximis ad Vistulam comitiis rex Poloniae renuntiaretur.

Nam quae revisas limina dulcius
Mavortiarum maxima gentium,
Regina Libertas, Polono
Orbe magis Litavisque campis?

O providentis filia consili,
O faustitatis mater, et otii
Beata nutrix, o Polonae
Primus honos columenque gentis,

Quaesita multo sanguine gloria,
Reperta multo! Regibus altior,
Ipsaque majestate major,
Et patriae melior magistra

Felicitatis! leniter attrahe
Frenos, et ima nube super levem
Suspende currum; qua refusus
Vistuleas tibi propter undas

Hinc Lechus, atque hinc Litavus aureis
Collucet armis, qua tibi civium
Tranquilla tempestas ovantes
Implet agros, prohibetque tota

Late videri. Non tibi sedimus
Servile vulgus: sed genus incliti
Mavortis, aeternus deorum
Sanguis, Hyperboreoque clari

Ab usque Lecho, legibus additum
Optare regem: fallere nescii
Quemquam, nec invidere nati,
Extera nec metuisse sceptra,

Suoque magni. Publica clarius
Virtus per omnes emicuit gradus,
Cum magna Libertatis umbra
Sceptra simul populumque texit.

Tunc non coactis nobile viribus
Omne obsoleto vitat in otio
Latere robur: tunc aperto
Ingenium volat omne campo,

Ad usque palmam: tunc faciles, neque
Duri Quirites conspicuo palam
Parere regi, per cruentum
Laudis iter sequimur volentem,

Quacumque ducit. Sic gelidum caput
Ausi nivalis scandere Carpathi:
Haemique victores nigrum cal-
cavimus Aemoniaeque collum.

Sic Thracis olim littora Bospori,
Sparsumque late terruimus Geten,
Baltimque inaudacemque Cimbrum;
Et spoliis Asiae superbos

Numquam otiosi vincere Teutonas,
Metas Poloni fiximus imperi, et
Ternam Boleslai columnam
Triplice protulimus tropaeo.

Praeter triumphis vecta Borysthenem
Volgamque pubes, belligeri super
  Aras Alexandri, et Laponi
    Caeruleas Aquilonis arces.

Scit laevus Ister, scit, vitreis ubi
Jungit Bootes aequora pontibus,
  Fractoque jam Maeotis arcu
    Sarmatici mala longa belli.

Quo rege terris pulchra parentium
Exempla nati reddimus? Annue,
  O pulchra Libertas, et orbis
    Consilio trepidisque regum

Obsessa votis, dulce supercili
Remitte pondus. Quem tibi Maximus
  Urbanus, Augustusque grata
    Congeminat vice Ferdinandus;

Pro quo perorat mundus, et ipsa quem
Gaudes rogari: regnet ab ultimo
  Primus Sigismundo, et vetusto
    Proximus a Jagelone sanguis.

Ut nulla possunt fallere praescios
Futura vates! O hominum salus,
  O cura, Ladislaë Divum,
    Lechiacae dominator orae,

Salve! secundis te Lechici patres
Et Martiorum castra Quiritium
  Regem salutavere votis:
    Jam galeis tibi nutat omnis

Hastisque pubes: jam resonabiles
Campi jocosa vocis imagine
  Collesque certatim, et profundae
    Plausibus intonuere silvae.

Ter visus omni se pater Histula
Movisse ripa: ter tibi frondeam
Flexisse cervicem, et reclini
Carpathus attremuisse pinu.

Qualem peracto saecula te retro
Debent Novembri! jam tibi gloria
Bellique maturus Cupido
Non humiles stimulavit iras:

Quamquam recentis mulcet amoenior
Caligo regni. Quantus in impium
Assurgis, absentemque vincis
Consiliis animisque Moscum!

Qualis minaci praefuris impetu!
Et quantus irae! sive acie levi
Campos inundare, et repenti
Moenia terrificare bello;

Deliberato seu calor incidat
Pugnare ferro. Sic Jagelonidae
Ab hoste laudari cruenta
Et metui peperere dextra.

Sic, dum priores aequat avos pater,
Egit timeri fortis, et improbam
Mulctavit exhausitque factis
Invidiam, sobolique tantum

Majora liquit. Tu gemino potes
Avi patrisque nomine duplicem
Miscere laudem; sive pacis,
Sive gravis per acuta belli,

Cum laeta poscent, consilii celer;
Cum moesta rerum, strenuus ingeni, et
Immotus innixusque semper
Ipse tibi, patiensque curae,

Rerum sub alto pondere rectior
Majorque stabis. Sic tibi Sarmatae,
   Sic fata juravere, toto
      Sic Superi statuere coelo.

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII

LIBER EPODON.

ODE I.

Ad Paullum Jordanum Ursinum

Bracciani ducem.

Bracciani agri amoenitatem commendat, ad quem per ferias Septembres secesserat Roma.

Huc, o quietis apta Musis otia,
  Levesque ludorum chori,
Huc, feriantum, Phoebe, Musarum pater,
  Huc, hospitales Gratiae,
Huc delicatis ite permixti jocis
  Non inverecundi sales.
Hic otiosi mite Bracciani solum
  Vago coronemus pede.
Clemens supino clivus assurgit jugo,
  Coelumque paullatim subit,
Et solida subter terga scopulorum arduo
  Securus insessu premit:
Arcisque jactat inter alta turrium
  Insigne propugnacula,
Timenda quondam Caesarum turmis ducum,
  Timenda magno Borgiae,

Cum per minantum militum aeratos globos
  Metuenda jaceret fulmina,
Ageretque profugum Caesarem et quassum metu,
  Adusque promissum Nihil.
Hic ille magnus frenat Etruscas opes
  Ursinus, heroum decus,
Haeres avitae laudis, et princeps caput
  Magnaeque laus Oenotriae.
Circum coruscis scena quercetis viret,
  Coelumque verrit frondibus,
Suosque colles vestit, et patentibus
  Sese theatris explicat.
Admota muris pone Nympharum domus
  Aprica praebet littora:
Ripamque Baccho jungit, et vallum prope
  Lentis flagellat fluctibus.
Majore nusquam stagna Neptuno sonant,
  Aut aestuantis Larii,
Aut qui severo tangit Albanus lacu
  Inenatabilem Styga:
Aut quae procellis gaudet, et magno fremit
  Superba ponto Julia:
Nec major usquam spumat, et rupes truci
  Benacus assultat salo.
Intonsa curvo monte circumstant juga,
  Mitesque despectant aquas.
Nivosus illinc terga Romanus movet,
  Coeloque diducit minas:
Illinc caducis ilicem quassat comis
  Sublime Cymini caput;
Crudumque Boream frangit impotentibus
  Deproeliaturum Notis,
Terrisque late regnat, et coeli minis
  Opponit hibernum latus.

Amica sternit interim lacum quies,
  Fluctusque fluctu nititur,
Et ipsa secum pigra luctatur Thetis,
  Aquaeque colludunt aquis:
Quas vel carina, vel citata turgido
  Findit phaselus linteo:
Pinnaque late vitreum cogens pecus
  Volente lino truditur,
Setaque piscem ducit, et raris procul
  Lacum coronat retibus.
Hinc alta lucet divitis Pollae domus,
  Hinc pinguis Anguillaria:
Trebonianas hinc amica vineas
  Vadosa plangunt aequora:
Hinc delicati fundus Aureli nitet,
  Lymphae salutaris pater:
Undaque morbos arcet, et vivacibus
  Luem fluentis eluit.
At qua superbum fontibus nomen dedit,
  Suumque Flora marginem,
Vivis perennes decidunt saxis aquae;
  Camposque decursu lavant,
Patremque longe Tibrin et regem sonant,
  Romaeque servitum fluunt.
Sincera circum regna naturae nitent,
  Et artis immunes loci:
Adhucque virgo sulcus, et montes adhuc
  Molles inexperti manus,
Meramque Bacchus Tethyn, et Bacchum Thetis,
  Et pinguis invitat Ceres.
Hinc ille laetus surgit et tenacibus
  Inserpit ulmis Evius,
Udoque cornu turget, et fluentibus
  Crinem racemis impedit.

Non Lesbos illi, non odorati magis
  Vineta rident Massici,
Aut quae Falernis educata solibus
  Sublucet uvae purpura.
Sed nec Falisci glaream malit soli,
  Nec pinguis uber Rhaetiae;
Nec flava tantum culta felicis Cypri,
  Grajamve dilexit Rhodon:
Quantum suis superbit, et sese suis
  Miratur in canalibus.
Circum beatis imperat campis Ceres,
  Lateque rura possidet:
Et arva flavo messium fluctu tument,
  Motuque culmorum natant.
Innube rarus inquinat coelum vapor,
  Aut tensa nimbis vellera:
Aut e Boreis bella ventorum plagis,
  Raucusque silvarum fragor
Auditur usquam: non protervis insonant
  Exercitati Syrtibus,
Euris et Austris contumaces Africi,
  Et perduellibus Notis.
Tantum serenus Vesper, et tenerrima
  Etesiarum flamina,
Albique soles, et serena lucidis
  Aspirat aura montibus:
Puramque coelo provehunt Horae facem,
  Et Phoebus Horarum pater
Peculiari luce colles irrigat,
  Pronaque perfundit die.
Ramis tepentes ingruunt Favonii
  Jocantis aurae sibilo,
Et temperatis provocant suspiriis,
  Lenique somnum murmure.

At non loquaces interim nidi tacent,
  Matresque nidorum vagae:
Sed aut maritis turtur in ramis gemit,
  Et saxa rumpit questibus,
Aut laeta late cantibus mulcet loca
  Famosa pellex Thraciae,
Silvisque coram plorat, et crudelibus
  Accusat agris Terea.
Quaecumque moestae vocibus dicunt aves,
  Respondet argutum nemus.
Affatur alnum quercus, ornum populus,
  Affatur ilex ilicem,
Et se vicissim collocuta redditis
  Arbusta solantur sonis.
Huc, o Quiritum ductor, huc, Oenotriae
  O magne regnator plagae,
Jordane, tandem plenus urbis et fori,
  Rerumque magnarum satur,
Sepone curis temet, et domesticis
  Furare pectus otiis.
Hic vel tuarum lene tranabis vadum
  Opacus umbris arborum,
Tuosque colles inter et tuas procul
  Perambulabis ilices:
Vel, cum Decembri campus et prima nive
  Vicina canescent juga,
Nunc impeditas mollibus plagis feras,
  Silvamque praecinges metu:
Nunc incitato capream rumpes equo,
  Teloque deprendes aprum:
Jactoque cervos collocabis spiculo,
  Furesque terrebis lupos.
Quod si Latinae laus Alexander plagae,
  Sacraeque sidus purpurae,

Tecum paterno feriabitur solo,
  Seseque curis eximet;
Tuique cives hospitesque civium
  Toto fruemur gaudio.

ODE II.

Ad fontem Sonam.

In patrio fundo, dum Roma rediisset.

Fons innocenti lucidus magis vitro,
  Puraque purior nive,
Pagi voluptas, una Nympharum sitis,
  Ocelle natalis soli,
Longis viarum languidus laboribus,
  Et mole curarum gravis
Tuscis ab usque gentibus redux, tibi
  Accline prosterno latus.
Permitte siccus, qua potes, premi; cava
  Permitte libari manu.
Sic te quietum nulla perturbet pecus,
  Ramusve lapsus arbore:
Sic, dum loquaci prata garritu secas,
  Et laetus audiri salis,
Assibilantes populetorum comae
  Ingrata ponant murmura
Tibi, lyraeque vatis. Haud frustra sacer
  Nam si quid Urbanus probat,
Olim fluenti lene Blaudusiae nihil,
  Aut Sirmioni debeas.

ODE III.

Laus otii religiosi.

Palinodia ad Horatii Epod. H.

„Beatus ille qui procul negotiis.“

Cum amoenam collegii Societatis Jesu Vilnensis Nemecinae villam per Sextiles ferias inviseret.

At ille, Flacce, nunc erit beatior,
  Qui, mole curarum procul,
Paterna liquit rura, litigantium
  Solutus omni jurgio;
Nec solis aestum frugibus timet suis,
  Nec sidus hiberni Jovis,
Rixasque vitat et scelesta curiae
  Rapacioris limina.
Ergo aut profanis hactenus negotiis
  Amissa plorat sidera;
Aut in reducta sede dispersum gregem
  Errantis animi colligit,
Postquam beatae lucra conscientiae
  Quadrante libravit suo.
Idem, propinqua nocte, stellatas vigil
  Cum vesper accendit faces,
Ut gaudet immortale mirari jubar,
  Terraque majores globos,
Et per cadentes intueri lacrimas
  Rimosa lucis atria,
Quae, Christe, tecum, Virgo, quae tecum colat
  Perennis haeres saeculi!
Volvuntur aureis interim stellae rotis,
  Pigrumque linquunt exsulem,

Per ora cujus uberes eunt aquae,
  Somnos quod avertat graves.
At quando lotum Gangis aut Indi fretis
  Jam Phoebus attollit caput,
Mentis profundus, et sui totus minor
  Irata flectit Numina.
Vel, cum sereno fulserit dies Jove,
  Aprilibusque feriis,
Assueta coelo lumina in terras vocat,
  Lateque prospectum jacit,
Camposque lustrat, et relucentem sua
  Miratur in scena Deum.
En, omnis, inquit, herba non morantibus
  In astra luctatur comis:
Semota coelo lacrimantur, et piis
  Liquuntur arva fletibus:
Ligustra canis, et rosae rubentibus
  Repunt in auras brachiis:
Astrisque panda nescio quid pallido
  Loquuntur ore lilia,
Et sero blandis ingemunt suspiriis,
  Et mane rorant lacrimis.
Egone solus, solus in terris piger
  Tenace figor pondere?
Sic et propinquas allocutus arbores,
  Et multa coram fontibus
Rivisque fatus, quaerit auctorem Deum
  Formosa per vestigia.
Quod si levandas mentis in curas vigil
  Ruris suburbani domus,
Quales Lucisci, vel Nemecini Lares,
  Udumve Besdani nemus
Rudes adornet rustica mensas dape
  Siccos sub Augusti dies;

Jam tunc sub ipsum limen, aut domestica
Lenis sub umbra populi,
Exspectat omnis hospitem suum penus,
Et concha sinceri salis,
Pressique meta lactis et purus calix,
Et hospitalis amphora,
Et fraga, raris verna quae dumis legit,
Jucunda panis praemia.
Non me sacri tunc, non Lucrinorum gravis
Sagina mullorum juvet;
Sed cereus palumbus, aut turtur niger,
Aut anser amnis accola,
Et eruditam quae fugit gulam faba,
Laetumque nec simplex olus,
Et quae suprema colligetur, ac gravi
Patella nil debet foro.
Posthaec vel inter laeta quercetis juga,
Vel inter amnes juverit
Vitare tristes post meridiem Notos
Sub aesculo vel ilice;
Nigrumve littus, aut opaca lubricis
Tranare stagna lintribus,
Jactaque fruge ludibundum ducere
Tremente piscem linea.
Remugit ingens interim tauris nemus,
Umbrosa balant flumina;
Et aut in antris garriunt acanthides,
Aut in rubis lusciniae.
Hinc per rubeta pastor errantes capras
Vocante cogit fistula:
Illinc herili messor e campo redux
Alterna plaudit carmina,
Et pressa sectos plaustra per sulcos gemunt
Ruptura ruris horrea.

At nec tacemus pone considentium
  Dulcis manus sodalium:
Nec inficeta sermo differtur mora,
  Sed innocentibus jocis,
Multoque tinctus, sed verecundo, sale
  Innoxium trahit diem.
Haec si videret foenerator Alphius,
  Olim futurus rusticus,
Quam collocarat Idibus pecuniam,
  Nollet Kalendis ponere.

ODE IV.

De Puero Jesu

In Virginis Matris sinu.

Amemus. An Massylus, aut nostris riget
  Alpinus in venis silex?
Amemus. En, ut pronus e Matris sinu
  In nostra pendet oscula:
Qualis severa vel Gelonorum puer
  Mollire posset pectora!
Ut lumen oris, ut renidentes genas,
  Ut bina frontis sidera,
Nivesque colli, quasque purus et tener
  Titan inauravit comas,
Eburneasque tendit in collum manus!
  Ut annuit totus rapi!
Ut hospitali vagit admitti sinu,
  Stringique brachiis rogat!
Amemus: aut si non amare possumus,
  Repente possimus mori.

ODE V.

Ad pedes Christi in cruce morientis auctor provolutus.

Hinc ut recedam, non trucis ferri minae
  Non nudus ensium timor,
Umquam revellent a tua, Jesu, cruce
  Hoc multa fleturum caput.
Me teque tellus inter et coelum ruat,
  Versique tempestas maris,
Mixtusque flammis nimbus, et ter igneis
  Caducus aër imbribus:
Jacebo fixum pondus, et certum mori,
  Suique non usquam ferens;
Tuosque clavos et tuas amantibus
  Ligabo plantas brachiis.
At tu sereno, nam potes, vultu tuum
  Tuere, Jesu, supplicem:
Et hoc, Patri quem reddis, haud evanido
  Me stringe paullum spiritu.

ODE VI.

Carmen saeculare

Divinae Sapientiae,

anno saeculari MDCXXV.

cum Urbanus VIII. Pont. Max. portam auream aperiret.

In gratiam Pauli Frigerii Romani, publice de philosophia disputaturi.

Diva, terrarum pelagique praeses,
Dicta sublustres habitare nubes
Inter, et late cohibere pictis
    Sidere fraenis,

Patris aeternas imitata flammas,
Pura sinceri soboles sereni,
Mentis arcanum jubar, et coruscae
Filia lucis,

Par Patri Natum sine matre Numen,
Candor adspecti sine nube Veri,
Ingeni proles, genialis almi
Pectoris ardor,

O sacer mundi lepor! o decorae
Fabra naturae facies! paternae
Mentis exemplum, liquidi serenus
Luminis imber,

Patris interpres, similisque voci
Nata foecundo Genitoris ore,
Vena virtutum, generosa pulchri
Mater honesti,

Ante formosi vaga regna coeli
Prima natales habuisse cunas,
Ante vagitus et anhela parvi
Murmura ponti;

Ante quam Phoebi celerisque Lunae
Vesper alternos revocaret ortus,
Ante quam montes et opaca staret
Montibus arbor;

Ante quam Tellus et aquosa Tethys
Regna dissepta sociaret unda,
Et cavas circum sonuere fluctu
Littora cautes;

Caelibi Patris generata partu,
Caelibi Patris generanda partu,
Lumen, et verum semel elocuti
Copia Veri;

Tu quater nexis elementa nodis
Molliter firmas, et iniqua magnae
Bella naturae premis, et quaternae
Jurgia causae.

Tu tuos causis imitata vultus
Dividis toto simulacra mundo,
Numinis formam studiosa vili ef-
fingere limo.

Cum Pater sacro redimiret igni
Siderum crines, tenerumque solem,
Et rudes lunae radios honesto
Comeret auro;

Pondus et leges faciemque rebus
Ipsa fingebas: variaeque rerum
Te penes normae numerique et ars et
Lucidus ordo.

Tu vagas zona cohibente stellas
Ausa nascentem religare Phoebum,
Ausa nascentem nebularum amictu in-
volvere terram.

Cresce, dicebas, spatiosa cresce,
Fertilis frugum pecorisque, tellus:
Hinc jugis, illinc medii dehiscant
Vallibus agri.

Cresce, dicebas: simul ipsa mersum
Erigit ponto caput, et refusis
Hinc aquis, illinc steterunt oborti
Collibus agri.

Quae simul multa tibi risit herba,
Laetior celsas reparare sedes,
Arduum molita tholum volantis
Nube columnae,

Diceris vastos equitasse supra
Nerei campos celer, et curules
Africi pennas super, et jugalis
Terga Favoni:

Rursus obliquo redeunte gyro
Isse per fluctus, tibi navis ipsa;
Isse per campos, tibi currus, aptis
Ipsa quadrigis:

Docta sublimes peragrare tractus,
Docta terrestres reserare vectes,
Orbis obscoenum chaos, et latentis
Ultima mundi.

Clara te lunae stupuere templa
Sospitem flammis iterare plantam,
Inter et nimbos et acuta sicci
Regna Promethei.

Ad tuos lenis venit aura frenos:
Hinc et hinc ignes, patiensque lori
Pontus, et tractas sine fraude tellus
Audit habenas.

Te dies et nox et hiems et aestas,
Ver et autumnus, properique menses,
Et leves horae, rapidoque cingunt
Saecula passu.

Te vehit claro Cynosura plaustro,
Te nec irata mare sistit unda, aut
Pertinax Euri furor, aut inelu-
ctabilis Austri:

Nec minax Cauri Zephyrique frater,
Cum truces iram struit inter imbres,
Aut freto pulsum Boream vadosa op-
pugnat arena.

Te renascentis videt ora Phoebi,
Quae vel excusso glomerata fluctu
Lora, vel currum pelago cadentem
Audit Ibero;

Quaeque devexo tegit astra nimbo,
Quaeque sublimis speculatur Ursae
Hispidas arces, et inhospitalis
Frigora brumae.

Jamque mortales simulata cultus
Inter humanas manifesta turmas,
Barbaram gaudes lepido catervam
Ducere ludo:

Inter et coetus solidamque plebem
Libero gestis volitare gressu, et
Ire per vicos, populique densas
Ire per urbes:

Utilis morum, placideque fortis
Certa permissi dare jura Recti, et
Siderum solers, patrioque mentem
Dedita coelo.

Qualis umbrosa Libanitis aura
Cedrus, aut laeto cyparissus amni,
Qualis attollit caput e Cadanis
Silva viretis;

Qualis Eois rosa regnat hortis,
Aut Idumaeis opulenta baccis
Palma, quam praeterfugientis humor
Educat undae:

Vere tu vincis veniente flores:
Vincis autumno remeante vites:
Vincis et succos et odora Medi
Vulnera trunci:

Myrrheas vincis lacrimas, et udos
Balsami rores, et inevolutos
Cinnami libros, volucremque sicci
Corticis auram.

Pampinus multa tibi cedit uva:
Cedit effusis terebinthus umbris,
Ver et autumnus simul os decoris
Extulit arvis.

Sceptra te circum trabeaeque et altae
Turba fortunae, famulique retro
Nimbus argenti fluit et frementum
Vulgus honorum.

Prona te longe coluere regna,
Et per insignes gradientem et imos,
Et minas regum super, ac tyrannorum
Ardua collo, et

Pauperum coetus humerosque vulgi
Ire sublimem. Tibi laetus Afer,
Et pedum Maurus minor, et supinis
Sarmata palmis

Scuta deponunt. Tibi China nuper,
China non notae dominator actae,
Et ferox Japon, et Arabs Latinis
Accidit aris.

Commodet raucus tibi sistra Nilus:
Te sonet pulsis Arimaspus armis:
Te Lyci potor, vitreique dicat
Civis Enipei.

Prodigus laudes tibi fundat Ister
Ostiis septem; tibi manet ingens
Tibris, immensaque vehat sonorum
Mole tributum.

Tuque neglectas miserata gentes,
Nuper, heu! foedis male pulsa rixis,
Cassa bellorum refer, heu! pudendis
Otia terris:

Si tuam votis veneramur urbem
Omnis Europe, Latiumque supplex
Prona certatim tulimus quaternis
Oscula portis.

Pelle vesanas, Dea, pelle caedes,
Quaeque vicinis agitata pugnis
Bella duravere sonora crudo
Saecula ferro.

Neu nimis nostris inimica culpis
Oderis cerni: dominamque Romam
Nubium curru super et nivosis
Vise quadrigis.

ODE VII.

Aquilae Radiviliae

Nuptialis Pompa.

Ad Praesulem Vilnensem

Dithyrambus.

Surge, Musa, nuptiales
Aemulata voce plausus,
Per feracis arva Vilnae
Quaere flores, carpe frondes:
Carminumque mille foeta
Vere pulchro cinge, pulchro rore sparge tempora.

Parce nunc Horatiano
Alligare verba nodo:
Parce. Molliora blandi
Quaere plectra Claudiani:
Mitte bella, differ arma,
Hospitisque dithyrambi voce Vilnam persona.

Radivilae stemma cerae,
Alitem Jovis ministrum,
Qui per auras, qui per ignes,
Mille gyros, mille tractus
Remiges fatigat alas,
Barbitique carminumque voce, coelo devoca.

Ales armiger Tonantis,
Blande fulminum satelles,
Mitis ignium tyranne,
Nubiumque turbinumque
Linque serus officinas,
Carpe frondes, et paterno sterne nidum stemmati.

Carpe flores, quos maritis
Parturivit Alba campis:
Carpe frondes, quas paterni
Educavit unda Chroni:
Quae vel adbibere Vilnam,
Vel propinqui lene murmur audiere Viliae.

It volantis aura prati,
Nexilis florum procella
Pingit Euros, et remixti
Liliis pluunt acanthi:
Ludibundi veris imber
Spargit arva, spargit urbes, tecta spargit urbium.

Ille nubium viator
Pulcher ales, ut virentem
Nube dividit pruinam!
Proque grandinum molesto
Dejicit ligustra nimbo,
Et roseta pro rubenti rubra jactat fulmine.

Jactat herbas, quas jocantis
Ludit inter ira venti,
Quas adhuc severiore
Ore bruma non momordit,
Sed Favonius tepenti
Fovit ore, fovit udis Aeolus suspiriis.

Ite, bella, quae cruentis
Ira colligat catenis,
Perque viva regna Florae
Nuptialis insolenti
Vere frondeat November,
Qua maritus alba calcat, qua marita lilia.

Aestuantis arva ponti
Vexet innocenter Eurus:
Ad fugacis agmen undae
Ter quater reverberatis
Aura rideat cachinnis,
Ludicri fluenta perflent sibilis Etesiae.

Magne Praesul, quae profano
Ominamur ore vates
Auspicata verba, sacro
Omineris ore Praesul,
Littavae sidus coronae,
Littavi lumen senatus, sol Wollowiciadum.

Sit perennis ille torrens
Illa vena jugis auri,
Eloquentis ille linguae
Amnis irriget senatum:
Architecta gratiarum
Illa longum verba pronis imperent Quiritibus.

ODE VIII.

Publicae Europae calamitates.

Nec satis est, nos posse mori, cum fata reposcunt,
Aguntque morbi lucis et vitae reos.
Ipsi etiam exiguum bellis commisimus aevum,
Omnesque ferro rupimus leti moras:
Ipsi ultro in strictos adversi incurrimus enses,
Et mutuum cadendo laudamus nefas.
Jamque adeo pulchrae populos rapit ambitus irae,
Urbesque longa pace defungi pudet.
Regna placet gentesque suae miscere ruinae,
Fractique subter orbis occasu mori.
Jam Rhodanusque Padusque atque ingens Albis, et ingens
Rhenus cruenta decolor ripa fluit.
Jam tria lustra metunt rubras de sanguine fruges;
Nec dira avaram terruit falcem Ceres.
Nec minus incertos metimus sine finibus agros,
Et muta stricto jura sub ferro silent.
Interea miserum gladiis divisimus orbem;
Et cum triumphis caussa vel praedae deest.
Barbara longinquum post aequora quaerimus hostem,
Mundusque reges inter incertos labat.
Scimus et occulto pacem praetexere bello,
Dum victa fessis arma respirant minis:
Ingeniumque jocis, risu corrumpimus iram,
Felixque tractat arma virtutis dolus.

Hoc etiam placuit, stricto satis esse negare
  Perire ferro, ni parum crudelibus
Addimus ingenium fatis, habilique veneno
  In nos cruentam mortis armamus manum.
Ergo iterum (pro, triste nefas! pro, dedecus, et jam
  In se cadentis ultimum mundi scelus!)
Fraude mala parvi spatium contraximus aevi,
  Per heu! tacenda pulverum contagia.
At melius (si tanta brevis fastidia vitae
  Et una leti cura mortales habet)
Omnia terrarum, Superi, convellite claustra,
  Omnesque dissipate littorum moras.
In nos rupta ruant fundo maria omnia ab imo:
  Trisulcus in nos ignea missus manu,
Qua scelerum duxere viae, ruat ignis: et una
  Hinc se Sicano Balthis impingat mari;
Inde Caledonium sese committat Ibero,
  Euxinus illinc Adriae jungat latus.
Haemus et ignotae lateant sub fluctibus Alpes;
  Maeotis altum mergat Atlantis caput.
Omnia sint unus magnarum campus aquarum,
  Nullique latam limites signent humum.
Et maria et magni perdant sua nomina montes,
  Dum mergat omne Thetys humanum genus.
At, Superi, (nam vos et tunc mortalia tangent,
  Perire nostrum saepe non passos genus)
Tunc aliqua de gente pium servate nepotem,
  (Sed ille gentis nesciat mores suae,)
Deucalioneis iterum qui credulus undis
  Ingens in una saeculum servet trabe.
Nam simul agglomerans sese super Amphitrite
  Humana terris eluet vestigia,
Jam parcente Deo, jam subsidentibus Euris,
  Jam se refuso temperante Nereo,

Incipient summi paullatim emergere montes,
  Rarosque primum margines aequor pati:
Ilicet ex omni rupes assurgere ponto,
  Terrasque circum curva lunari freta:
Tunc, vagus oblitos ubi sol respexerit agros,
  Novis aprica floribus pingi juga:
Tunc rarae circum campis nutare cupressi,
  Tunc omne laeta fronde vestiri nemus:
Jamque suas inter decurrere flumina valles,
  Et arva puris murmurare fontibus.
Protinus ex una redeuntia saecula puppi
  Late patentes orbis implebunt plagas;
Et virides ripas ac molle sedentia late
  Ramalibus vireta distinguent casis.
Sed tellus communis erit: sed nullus avaris
  Stabit colonis arbiter fundi lapis.
In commune fluent sancti sine nomine fontes,
  Nascentur omni liberae fruges agro.
Tunc bona prospicient purgatas sidera terras,
  Tunc aegra nullo sole pallebit Ceres.
Non Aquilo graciles, non eruet Eurus aristas;
  Sed innocentes et calore languidi
Mulcebunt violas, mulcebunt lilia soles;
  Omnique lenis annuet vento seges.
Vina fluent vulgo rivis, felicia vulgo
  Per rura current lacteo fontes pede.
Sponte sua dulces salient in pocula lymphe,
  Sincerus et saevire nescius liquor.
Ergo sua quivis luxum non noscere mensa,
  Suoque dives esse nec magno sciet.
Nam neque marmoreas ingentia tecta columnas,
  Nec aereas delubra lassabunt trabes.
Frondibus implicitae texent palatia silvae,
  Aramque Divis cespes aut saxum dabit.

Sed pietas tunc major erit, cum testibus astris
  Insons sub alto turba degemus Jove.
Aurea tunc vestis, sanctum texisse pudorem,
  Tunc mollis ostro mensa muscosus lapis.
Nectar erunt haustae puris ex amnibus undae,
  Lectaeque ramis aut humo dapes erunt.
Potus erit, vicisse sitim; spectacula, coram
  Miscere sanctos simplici risu sales;
Mox choreae, mox jucundi per gramina ludi,
  Et laetus ac securus in turba pudor.
Apta dabunt fessis virides umbracula rami,
  Herbosa molles ripa praebebit toros.
Non impendebunt placidis laquearia somnis,
  Sed alta mundi signa labentur super.
Et vaga praebebunt pictae spectacula noctes,
  Velox euntis scena dum transit poli.
Interea tacitam non rumpent arma quietem,
  Raucique pulsus aeris, aut murmur tubae.
Non dubias navale nemus descendet in undas:
  Non ulla puppes bella trans pontum vehent.
Omnia pacis erunt: totum venatio ferrum,
  Et innocens telluris insumet labor.
Et ne belligeris iterum grave caedibus aurum
  Laboriosus eruat lucri furor;
Ipsa sibi incumbens concussi pondere mundi
  Condet profanas altior tellus opes.
Quo me dulcis agit longo dementia cantu?
  An et poëtas sæculi rapit furor?
Et nihil, aut tantum everso promittere saeclo
  Acerba fati vis et irarum sinit?
An lacrimas longo flendi corrupimus usu,
  Et stultus ipsis ridet in malis dolor?
Quidquid id est, tamen arma pii deponite reges:
  Nudate primi publicum ferro latus.

Primi animos, primi socias conjugite dextras;
  Et vester omnes alliget gentes amor.
Pugna sit haec tantum, junctos concordibus aris
  Quis sanctiore Coelites voto colat;
Quis melius priscas componat legibus urbes,
  Quis aequiore temperet sceptrum manu:
Cujus pulsa prius populos Astraea revisat,
  Tutoque pulset veritas aulam pede.
Non placeat virtus pretio, non curia censu,
  Non infideli septa majestas metu.
Jura voluptati sanctum praescribat Honestum,
  Piasque leges utili Justum ferat.
Sic, olim quod Musa gravis promisit Horati,
  Praestabit aevum certior regum fides.

ODE IX.

Ad Janussium Skumin Tyszkiewicz

Palatinum Trocensem. Capitaneum Turborgensem,

Novonolensem, Braslaviensem, etc.

QUATUOR LEUCAE VIRGINIS MATRIS

seu publica ac solemnis ad aedem Divae Virginis Matris

Trocensem processio.

Prima leuca seu Ponari.

Imus? an frustra fugiente bruma
Omnis Aprili via risit herba,
Et cavae valles viridique lucent
    Arva sereno?

Imus. Inscriptae sinuosa Divae
Signa jam lenes rapuere venti;
Ni vetent rumpi, revocentque tensi
    Serica funes.

Interim pictis taciturna nusquam
Pompa sub signis fluat. Illa magni
Te maris Stellam, dubiisque, Virgo,
Sidus in undis,

Illa nil sancti dubiam pudoris
Te canat Matrem, facilemque clausi
Aetheris portam. Tibi praepes alti
Civis Olympi

Hinc et hinc pressis reverenter alis
Attulit pacem. Tibi magna pacem
Debeat tellus, melior reversi
Nominis Eva.

Tu graves demes populo catenas:
Tu diem pulsis revocabis umbris:
Tu bonis pelles mala, laeta moestis
Fata reduces.

Esse te magni populus sciemus
Numinis matrem, modo missa per te
Vota non umquam Deus obstinata
Respuat aure.

Mitis, et blanda prece singularis
Virgo placari, scelerum solutos
Et bonos flecti, vacuosque noxae
Suggere sensus.

Integram nobis sine labe vitam,
Prosperam nobis sine clade mortem,
Et sacros Nati Genitrix tueri
Annue vultus.

Haec ter alterno modulata cantu
Turba, carpemus viridis Ponari
Roscidas valles, et amoena praeter
Arva vehemur.

ODE X.

Secunda leuca seu Vaca.

Protinus, Virgo, tibi longa laudum
Pompa ducetur, ubi se recurvo
Collium flexu viridis reducit
Scena theatri.

Audient magnae titulos Parentis
Pinei montes, Viliamque circum
Ter repercussae recinet Mariam
Vocis imago.

Audient colles, et opaca longe
Colla submittent, trepidaeque circum
Attrement pinus, humilique supplex
Populus umbra.

Sed prius magnum triplici Tonantem
Voce placamus: placidumque Christi
Pectus, et nostris vacuam querelis
Flectimus aurem.

Inde ter, sancto redeunte cantu,
Sancta clamaris: nemorumque rursus
Murmur et fractae referet Mariam
Vocis imago.

Te sua gestit Genitrice Numen,
Virginum Virgo: genitrice gestit,
Quisquis optata tibi cumque carus
Vescitur aura.

Casta tu pulchri Genitrix amoris,
Tu spei Mater: tibi pictus almi
Campus Edeni, facilisque vitae
Germinat arbor.

Tu domus Veri: tibi certus uni
Aureas aether reserare valvas
Gaudet: aeterni geminant tibi su-
spiria colles.

O potens olim profugos tueri
Civitas sontes! decus o Sionis!
O Dei praesens domus! o reposti
Foederis arca!

Sive tu purum sine fraude vitrum
Consulis formae, reficisque vultus;
Blanda seu tristes imitaris inter
Lilia spinas;

Sive praesago Gedeonis arvo
Vellus haud ullo temeraris imbri,
Uda cum circum madido laboret
Area coelo:

Seu negas circum crepitante flamma
Pulcher exuri rubes, et peventes
Increpas ramos, foliisque laeto
Ludis in igni.

Inde Jessaei solium nepotis,
Virgo, se toto tibi sternit auro:
Hinc tibi surgit superas eburna
Turris ad auras.

Te suas, Virgo, simulant refusa
Mella per cellas; et amoena serum
Rura, quae muris gelidique claudunt
Fontibus horti.

Hic tibi surdas fuga lenis Euri
Excitat frondes, ubi purus undae
Humor occulta nemorum volutus
Murmurat umbra.

Hic cadens laevi tibi lympha lapsu
Praefluit valles, et aperta prata
Inter, impellit violas perenni
Aura cachinno.

Tot tibi, Virgo, bona liberali
Defluunt coelo: tibi tanta terris
Labitur semper renuente sisti
Gratia rivo.

Tu polo missas pia cymba fruges
Acta longinquo vehis institori:
Tu diem ducis, placidoque mane
Lumine rides;

Qualis Eoos ubi tollit undis
Lucifer currus, roseisque loris
Undat, errantes per aquosa ludunt
Caerula flammae:

Qualis aut Phoebe radiante plenum
Lucet argento; mare qualis intrat,
Aut mari surgit rutilus diurno
Phoebus in auro;

Quale, dum puro taciturna coelo
Siderum se fert acies, per omnes
Ignium rimas nitidi renident
Atria coeli.

Quod tibi nomen, pia Virgo, summa
Voce dicemus? solium superni
Audies Regis radiare magno
Majus Olympo.

Quidquid es, quidquid bona Mater esse
Et cani gaudes, manibus remulce,
Quem manu gestas, Puerumque nobis
Flecte Tonantem.

Nos tua tutos prece servet Infans,
Si tibi primae geniale noxae
Crimen exemit, placidoque jussit
Sidere nasci:

Si tulit vero puer ales ore,
Te nurum coeli fore: si pudici
Nil minor floris genitrix severa
Lege piaris:

Si nihil terris gelidive debes
Legibus leti, choreasque Divum
Inter et plausus repetis sequaci
Astra triumpho.

Ille, qui leni pede pulsat altos
Siderum campos, viridesque stellas,
Lucis intensum jubar inter, inter
Lilia ludit,

Agnus; heu, nostris onerata culpis
Colla reflectat, leviterque moto
Ad preces cornu, misero quietem
Annuat orbi.

Haec ter effati, pia signa campis
State, dicemus: pia signa campis
Protinus stabunt, gelidi secundum
Flumina Vacae.

Signa clementi rapit aura flatu,
Nos labor curtae dapis. Ille mensam
Textili lino super, hic virenti
Cespite ponit.

Promitur simplex penus, et supino
Concha sinceri salis e canistro:
Faginus juxta scyphus, innocentis
Arma Lyaei.

Sunt et, antiquo quibus herba circum-
Fulget argento, positosque Vaca
Pone crateras fugiente praeter
Frigerat unda.

Hinc dapes, illinc cyathos coronant
Sutiles herbae: mihi solis aestum
Eximet parce cichorea sparso
Mitis olivo.

ODE XI.

Tertia leuca seu Vicus Galli.

Jam vetat lentas properata mensas
Hora. Surgamus: rupido ruit de-
clivis e coelo, geminatque pronus,
Surgite, vesper.

Surgimus. Rursum tibi, Virgo, campis
Signa velluntur: tremebunda limbis
Aura colludit, gracilisque tensas
Diripit Auster.

Tum quibus parca dape non dolendae
Vocis accessit bona pars: O alma
Numinis, salve, Genitrix, fidelis
Turba canemus.

Dum suas debet lapidosa Vace
Viliae lymphas; tibi, magna, laudes,
Mater, et plausus, et utraque debet
Carmina ripa.

Illa quae circum geminis Getarum
Rura sederunt opulenta clivis,
Sunt tibi bello monumenta parti,
Diva, triumphi.

Qua lyra, vel quo satis ore dicam
Isse captivos Litalis Gelonos,
Inclitum praedae decus, et tropaeum
Nobilis irae?

Cum ferox belli, duce te, Vitoldus
Bis ter exegit gladium per omnem
Victor Auroram, tumidique fregit
Cornua ponti.

Quantus ingentem clypei sub umbra
Texit Europen, Asiaeque qua se-
cumque tempestas daret, atque ab omni ef-
funderet Istro!

Rectus Eoam stetit in procellam,
Qualis armatas hiemes et omnem
Sustinet Calpe Thetin, atque inexpu-
gnabilis obstat.

Quantus hinc lato metuendus atque hinc
Limitem ferro secat, et decora
Caede formosus, mediaque laudum
Pulcher in ira

Ardet! hibernos velut inter imbres
Ardet Orion, ubi traxit omni
Astra vagina, rutilusque stricto
Fulminat igni.

Ille seu pictis equitata Bessis
Arva permensus, gelidumque Volgam;
Sive Pellaeas bibit insolentem
Phasin ad aras:

Barbaros templis tibi victor arcus,
Virgo, supendit; Scythicosque cinctus,
Et tibi sacro clypeorum acervos
Ussit in igni.

Alta scit Taphri domus, et potentis
Sarbaci versae meminere turres,
Rupta cum Thracum quateret tremendo
Castra tumultu.

Ille dum denso jaculorum in imbri
Hinc Dabas, illinc agere Gelonos,
Ipsa nimborum cuneis et omni ac-
cincta tonitru,

Turbido late manifesta coelo, et
Ter quater tortas jaculata flammas,
Ignium curru super et rubenti
Nube tonabas.

Sensit Euxini tremuitque laevum
Littus, et motae crepuere rupes,
Ter quater nigram retegente saeva
Luce Maeotim.

Sensit, atque ipsos Tanais pavens re-
fugit in fontes: dubitante ripa
Substitit paullum, trepidoque Phasis
Palluit auro.

Sic ames nostris, bona Virgo, saepe
Hostibus nosci: tibi sic per omnes
Viliae ripas Litali reponant
Signa nepotes.

Sic ab extremo tibi victor Occa
Arma de victis referat Suanis,
Et novas solvat nova vota Ladis-
laus ad aras.

Haec et alternis geminata votis
Plura dum sicco canimus sub aestu,
Obvium fessos nemus hospitali
Excipit umbra.

Ludor? an mollem foliorum ad auram
Lene vocales modulantur alni,
Et leves lymphae trepidique grato
Murmure rivi?

Ipsa te, Virgo, sonat alnus: ipsa
In tuas vivax salit unda laudes:
Audit et longe tua discit ipse
Nomina lucus.

ODE XII.

Quarta leuca seu Troci.

Ultimus restat labor, altiores
Ire per lucos, et aprica circum
Stagna lunari, tumulosque lento
Vincere cantu.

Hic tibi, casto Salomonis ore
Dictus ad sanctas hymenaeus olim
Nuptias, mutum nemus et silentes
Perstrepet alnos.

Quod tuis, Virgo, bene dormit ulnis,
Sola sopitum potes osculari
Numen, et flammas animaeque sanctum
Sugere florem.

Sola fragranti melius Falerno
Uber adstringis, quoties ab imo
Corde spiravit genialis intimae
Halitus aurae.

Mille Phaeacum, Cilicumque mille,
Nympha, te circum volitant odores:
Blandus hic costi liquor, inde pinguis
Sudat amomi.

Sola te mulcet tamen aura, si quae
Dulce spirantis venit ore Nati,
Cujus illimi tibi lene nomen
Manat olivo.

Sive Bacchei tibi forte succi
Regis arcanae patuere cellae,
Regis arcano meliora ducis
Ubera vino.

Sive diffusis oluere nardis
Regis instructae tibi, Nympha, mensae;
Regis optatos tibi nardus una
Spirat odores.

Si Palaestino metis in vireto
Myrrheos flores: tua solus ille
Nexilis myrrhae religatur inter
Ubera nodus.

Si tibi dulces amor est racemos
Pingue gemmanti resecare Cypro;
Unus e multis tibi ridet ille,
Virgo, racemus.

Solis aestivos licet inter ignes
Hinc et hinc latis spatiosa ramis
Pinus, et prona tibi se reclinet
Frondibus ilex;

Sola te mulcet tamen aestuantem,
Si qua frondosa cadit umbra malo,
Cujus, ah, dura tibi Natus olim
Fronde pependit.

Plura dicturis procul e Trocanis
Arcibus turres placitusque dudum
Virgini collis, mediaque templum ap-
paret in urbe.

Protinus votis genibusque supplex
Sternimur vulgus, quater, alma, salve,
Virgo, dicturi: quater illa motis
Annuet aris.

Virgines jam tum puerique Divae
Supplici frontem redimite cera, et
Virginem grata Puerumque laudis
Dicite rixa.

VIRGINES.

Caeteris ornant moritura frontem
Serta: te, Virgo, moriente numquam
Flore Carmelus tegit et perenni
Fronde coronat.

PUERI.

Caeteri frontem metuente demi
Implicant auro: tibi concolori
Luce nativum capitis, Iesu,
Fulgurat aurum.

VIRGINES.

Qui tibi, Virgo, per eburna vidit
Colla diffusos sine lege crines,
Regiam tingi trabeam rubenti
Vidit aheno.

PUERI.

Qui tibi vidit niveis, Iesu,
Hinc et hinc sparsos humeris capillos,
Vidit elatas tumulis Idumes
Surgere palmas.

VIRGINES.

Quale ridenti radiant sereno
Semper illimes Hesebonis undae,
Tale connives oculis jocanti,
Diva, Puello.

PUERI.

Lacte perfusae veluti columbae
Vitreas semper speculantur undas,
Sic in intacta retines, Iesu,
Lumina Matre.

VIRGINES.

Cui genas, vel cui similes canemus
Virginis vultus? Similes canemus
Punico, cum per sua lucet ultro
Fragmina, malo.

PUERI.

Cui genas, vel cui similes canemus
Parvuli vultus? Similes canemus
Areis, quas sol variaeque scribunt
Floribus Horae.

VIRGINES.

Atticos longe redolere succos
Dicimus, Virgo, quoties diserta
Lene ridenti tibi mella manant,
Lene loquenti.

PUERI.

Lilium, Jesu, niveis hiare
Dicimus labris, quoties odora
Dulce ridenti tibi myrrha spirat,
Dulce loquenti.

VIRGINES.

Mille quod telis clypeisque tecta
Turris adverso micat icta soli,
Matris adverso micuere longe
Colla Puello.

PUERI.

Quod Therapnaei breve ver Hymetti,
Quod Palaestini sapiunt liquores,
Matris e collo sapiunt reclinis
Colla Puelli.

VIRGINES.

Quo tibi, Virgo, maduere succo
Virgines palmae? maduere succo,
Qualis in siccas lacrimante myrrha
Liquitur herbas.

PUERI.

Quis tuis fulgens hyacinthus ardet,
O Puer, palmis? hyacinthus ardet,
Qualis aut sceptri sedet, aut coruscae
Arce coronae.

VIRGINES.

Quae jugis Cretae viridisve Cypri
Tanta Lesbois fluit e racemis,
Quanta maternis tibi, Virgo, manat
Copia mammis?

PUERI.

Quis vel Hyblaeas odor inter herbas
Tantus aspirat, Ciliciumve rura,
Quantus aspirat tua dulcis inter
Ubera, Jesu?

VIRGINES.

Zona, quae fluxam vetat ire pallam,
Flavet intexta tibi, Virgo, fruge,
Quam pudor circum niveoque stipant
Lilia vallo.

PUERI.

Quae tibi cinctus revocat rejectae
Vestis, arcanis vigil est eburna
Zona sapphiris, tacitoquo pectus
Circuit igni.

VIRGINES.

Cum, levi plantas cohibente socco,
Virgo stellantem graditur per aulam,
Aeream credas aciem canoro
Ire triumpho.

PUERI.

Crura cum picto religavit ostro,
Et stetit celso Puer ore, credas
Pone suffixo geminas in auro
Stare columnas.

ODE XIII.

Ad Divam Virginem Claromontanam.

Pro illustrissimo Stanislao Łubieński, Episcopo Plocensi, votum.

O Diva, clari gloria verticis,
Cui dedicatis effigies nitet
Circum tabellis, et superba
Thure calent precibusque templa;

Paullum reducto Masoviam, bona,
Dignare vultu, qua vehit inclitis
Electra ripis, et refuso
Narvia luxuriatur amni.

Late potentem Lubieni diu
Serva tiaram, seu tibi Plociis
Affusus aris mille sacros
Asserit indigetatque mystas;

Seu literato plurimus otio
Musisque pallet: seu petit avii
Amoena Viscovi vireta, aut
Plutopolin viridemque Brocum.

Serves egenti Nestora Lechiae, et
Inter togatas canitiem sine
Virere curas. Non tepentis
Non gelidi grave tempus anni,

Non siccus illum Sirius aut madens
Orion afflet; dumque tuo pius
Se ponit in vultu, salubrem,
Virgo, tui trahat oris auram.

Sic ille, sacris pulcher in infulis,
Te saepe placet: sic ego te novis
Redorsus exornem Camoenis,
Dum celeris redit orbis anni.

ODE XIV.

Inclitae Lubieniorum nobilitati sacrum.

Quondam revinctus Palladia caput
Sacrum corona, carus Iasoni
Vates, inexperto chelydri
Mortiferi periturus ore,

Inter Pelasgos Ampycides stetit:
Tiphynque, nondum gurgitis arbitrum,
Jussit per obstantes procellas
Fatidicam celerare pinum.

In transtra fratres Tyndaridae ruunt,
Fluctusque verrit grandior Hercules,
Et Mercuri proles Echion
Thessalicos glomerat rudentes:

Fratres tenaces Eurytus ancoras
Proramque servat, nec Boreae genus
Alas reformidans paternas
Vela manu revoluta pandit.

Omnes parentum nobilium decor,
Omnes deorum progenie sati,
Incognitam Nymphis carinam
Tandem avido posuere coelo.

Sic vos, aviti laurea verticis
Quos fronde prisca cingit imaginum,
Lubinidae magni nepotes,
Pieriam subiisse mecum

Gaudete cymbam: protinus aviis
Sulcanda remis nubila; protinus
Lunaeque stellarumque et altis
Littora sunt subeunda velis.

Nam qualis Orpheus Argolicam polo
Fixit carinam: non aliter mea
Vos inferet coelo Thalia,
Pectine non facili canendos:

Seu bellicosam Martius indolem
Accendit ardor, signaque gentibus
Erepta vicinis reportans
Arma animis gerit, arma dextris:

Seu blanda tutis otia civibus
Conclusa Jani limina nuntiant,
   Fascesque victores clientum
      Grex olea viridante cingit.

Quod si recessus Pierii placent
Et non profanis cognita vatibus
   Cortina, felices labores
      Pegaseae venerantur undae,

Intaminatae quos sapientiae
De fonte promunt signa Lubiniis
   Notata ceris, omne dextro
      Surgit opus genio peractum.

Salvete, clarae sidera patriae,
Nostroque vecti per mare barbito,
   Cursu fatigatam carinam
      Stellifero sociate mundo.

ODE XV.

Laus Bugi.

In gratiam illustrissimi Stanislai Łubieński, Episcopi Plocensis.

Non me doloso Salmacis alveo,
Non mixta divis flumina Persicis,
   Non mersus Aetoli Thoantis
      Letiferis Achelous undis

Vocat canoro pectine Thracios
Laxare nervos: ponite murmura,
   Cydnique Pactolique, et alta
      Tibri pater metuende ripa.

Cantabo Bugum, qui neque Sirium
Latrare circum Viscovium sinit,
   Laevosque defendit vapores,
      Quos pluvio vehit Auster anno.

O Buge, sacris edite fontibus!
Quae me dearum Pieridum tuis
   Haurire de conchis liquorem
      Innocuae patiatur undae?

Quis pressa longo cornua me sinat
Levare musco? quis fluidos sinus
   Rivosque de mento cadentes
      Supposita retinere dextra?

O Buge, terso lucidior vitro!
Te nullus alta lapsus ab ilice
   Ramus, neque armenti petulci
      Ad niveas properantis undas

Perturbet error: non calido Notus
Te siccet aestu, non Borealibus
   Demissa tempestas ab oris,
      Sed tepidae leve murmur aurae

Perflet volentem: dum Cererem tamen
Domas rotarum mole volubili,
   Messesque Viscovi feracis
      Vorticibus teris aestuosis,

Jucundiori Pierias sono
Mulcebis aures. Nunc, age, Narviae
   Concorde lapsurus fluento et
      Masoviis refer ista Nymphis:

Si vera praesens vaticinantibus
Latous edit, credite, posteri!
   Non longa saeclorum catena
      Attonito dabit ore vatem,

Qui plena nostrae flumina gloriae
Feret per urbes: non humili lyra
Cantuque vos olim sonabit,
Et cithara generosiore.

ODE XVI.

Joanni Carolo Chodkiewicz

Palatino Vilnensi, et Magni Ducatus Lithuaniae exercituum duci contra Turcas, Dei O. M. et B. Virginis Mariae auxilium spondet.

O qui labantis fata Poloniae
Rerumque frenos flectis, inhospitos
Regni tumultus, et protervum
Per populos equitare Martem,

Deliberato funere civium,
Gaudes tueri, nec lacrymantia
Per templa, per Divum penates
Perpetua prece supplicantem,

Ingurgitatam sanguine patriam,
Civesque belli pulvere sordidos
Paci redonas: quin, vocantis
Justitiae scelerumque vindex,

Qua clusa surdis bella repagulis,
Coecisque vinctum carceribus metum
Servas, inexpertamque sontes
In populos meditare poenam,

Eliminato cardine funera
Dimittis in nos! Hinc fragor hostium,
Hinc detonabundae cohortes
Threiciis furiantur armis.

At o precantis magna Poloniae
Tutela, Virgo, pelle ruentium
  Turbam malorum: tu Tonantis
    Justitiae moderaris ignes;

Et saepe crudum fulmen ab ignea
Furare dextra, cui virides tamen
  Palmas triumphalesque laurus
    Pro rabido subjicis tonitru.

Sic te recenti Carolus hospitam
Invitat aula: dum procul insonat
  Emasculatorum refusa
    Diluvies Othomanidarum,

Atque in reclinis colla Poloniae
Ferruminatum stringit acinacem
  Acer Gelonus, praeses adsis
    Sarmaticis, pia Virgo, castris.

Dum mens honesti laeta periculi
Diffibulatum pectus aheneis
  Obvertet hastis, et patentes
    Missilibus jugulos sagittis,

Deproelianti robur, et hostica
Exulceratis caede phalangibus
  Vires ministra: quo secundis
    Carolus auspiciis cruentum

Perrumpat hostem, more tricuspidis
Flammae citatus, quem patriae celer
  Per fulminatrices catervas
    Mittet amor, per acuta mittet

Desaevientis spicula Concani.
Sed dimicantem, Virgo, ducem tua
  Obvallet aegis, et supremae
    Praesidium tueatur aulae.

ODE XVII.

Ad B. Stanislaum Kostkam

Pro incolumi Vladislai IV., Poloniae regis, e Badenis reditu anno MDCXXXIX. votum.

Claris Olympi civibus additum,
O Kostka, sidus, marmoreas tibi
Sacramus, et cera piisque
Floribus accumulamus aras.

Te magna rerum Praeses et aurei
Regina mundi, militiam sui
Hortata non horrerre Gnati
Nec socias trepidare pugnas;

Pronaque Romam cum peteres fuga,
Texit labantem, praepetibus retro
Quamvis adurgeret quadrigis
Sollicitus revocare frater.

Haec, dum trifauci Cerberus allatrat
Terretque rictu, te domina fovet
Firmatque dextra! Ter minaces
Tartareus canis egit iras,

Ter ora retro vertit, et irritos
Damnavit ausus. Quid memorem pia
A Matre porrectum, et recline
Sidereis tibi Numen ulnis?

Quali volentem, magne puer, Deum
Ludo moraris! qualis amabili
Blandiris arridesque vultu!
Quo pariter tibi blandus ore

Respondet Infans! non equidem tibi
Non credo laetum virgineo diu
Collo pependisse, et frequenti
Oscula congeminasse risu.

Non semper igni nubis in alite
Invisit orbem Numinis horrido
Succincta Majestas tonitru,
Aut triplici metuenda telo.

Scit et minores saepe Puer Deus
Mutare formas, cum meruit pius
Simplexque candor, cum pudoris
Lilia, virgineique mores:

Quales et olim Bethlemia casa
Fecere nasci, mox et ovilia
Implere vagitu, et jacere
Pauperibus docuere cunis.

Quis ille vero se Superum globus
Valvis aperti fundit ab aetheris?
Quae clara tempestas repente,
Et liquidi pluit imber auri?

Ridente coelo, pone minas, Theti:
Et tota prono suppliciter genu
Procumbe, Tellus; sub minutae,
Ecce Deus, Deus ecce, frugis

Descendit umbra, nil dubio cibus
Numenque Kostkae. Qualis, io! sacras
Dapes adorantum reducto
Coelituum stetit aula gyro!

An et frequenti te mediam choro,
Claris videndam, Barbara, turribus
Agnosco? victricemque supplex
Cerno procul venerorque palmam?

Sic est: ab ipso virginitas rapit
Cives Olympo: visitur undique
Spectandus, ingentemque praebet
Kostka Deo Superisque scenam.

Quandoque purum raptus in aethera,
Et ipse Divum coetibus interest,
Et pulcher immensumque aperto
Ore bibens animoque coelum,

Fontique rerum immersus, et intimo
Divinitatis naufragus in mari,
Visus repercusso sereni
Numinis irradiare vultu.

Quid mirum? ubi illis visceribus pius
Insedit ardor, quem nec anhelitus
Lenis refrigeraret aurae,
Nec gelidus cohiberet humor,

Flammata circum pectora roscido
Fumante lino: sic amor igneus
Dum pugnat adversis, ab ipsa
Sumit opes animosque lympha.

Haec canto terris: caetera conscio
Arcana virtus intulit aetheri;
Quamvis nec aspernata posthac
Saepe Lechos Litavosque noto

Spectare vultu, quem bona faustitas
Et laeta flavis copia frugibus
Praeiret, et siccis amicam
Temperiem revocaret agris;

Invisceratae ut diffugerent febres,
Et pallor, et qui jam morientibus
Instabat, urgentisque leti
Frigidus antevolabat horror.

Quantas patroni tegmine pallii
Servavit urbes, cum male pertinax
Vulcanus undantesque celsis
Turribus absiluere flammae!

Quis fando pulsos enumeret Getas
Cæsumque Thracem? quis memoret retro
Actas Gelonorum phalangas?
Quis subitam placuisse pacem,

Cum jam reflarent classica classicis,
Turmaeque turmis, et manibus manus,
Et scuta scutis, tela telis,
Ensibus objicerentur enses?

Tui sub umbra nominis inclitum
Tutumque serva Sarmatiae diu
Regem Ladislaum, labanti
Praesidium columenque mundo.

Quacunque cœli parte tuos procul
Spectas Triones, seu volucer tui
Te currus excepit Bootae,
Seu tepidi tenet ora Phoebi:

Non imber a te, non nebulae gravi
Obstent procella: respice patriam
Serenus Arcton; sic coronet
Sola piam tibi Roma frontem,

Interque Divum numina grandibus
Inscribat astris, et statuat sacras
Urbanus aras: tunc Latini
Tota dies, tibi totus aether

Pompam triumphi trans geminos vehet
Et figet Indos. Caetera nil moror:
Hanc oro seponant, neque olim
Invideant mihi fata lucem.

ODE XVIII.

Ad illustrissimum D. J. Zadzik

Episcopum Culmensem, supremum regni Cancellarium.

Cum, pace inter Polonos et Moschos ad Polanoviam confecta, in Poloniam rediret.

Scribere magnis, maxime, vatibus,
Orator alti pondere consili
Momenta bellorum et labantes
Eloquio populos in aequam

Librasse pacem: nos humili lyra,
Zadziciani nominis et sonum
Et culmen infra, nec togatas
Carminibus tenuare curas,

Nec fracta Moschi fulmina proelii
Parum canora dicere tibia
Audemus, aut regum tropaea et
Laurigeram memorare pacem,

Quam luctuosae culta Severiae,
Omnisque late ripa Borysthenis,
Et Moschus et nuper Borussus
Compositis tibi debet armis.

Haec et pedestres historiae dabunt
Grandis Lubini, nec venientibus
Facundus invidebit annis
Lipscius, aut facilis Gebicus.

Mos leniori dicere barbito
Jussere Musae, quae Polanoviae
Colonus orae, per Viasmae
Culta Borystheniosque saltus,

Nixus recurvo carmina vomeri
Bis terque cantet. Jam video cavas
Florere valles, et natantem
Fruge nova fluitare campum:

Jam laeta rursus rura nitescere,
Ridere colles, celsa meti juga,
Ipsosque messores agresti
Zadzicium geminare cantu;

Tum vero dulci fervere nomine
Valles et amnes. Quis deus otium
Mutavit e tanto tumultu?
Quis gladiis jaculisque falces?

Non solus olim jurgia conficit,
Pugnatque Mavors. Sunt et idonea
Bellis, et opportuna paci,
Palladi Mercurioque tela.

Rarum cruentis desinit ensibus
Et caede bellum: saepius ardua
Regum secundavere coepta
Flexanimae placida arma linguae.

Regnisque fines, quos male noxius
Describit ensis, certius innocens
Metatur in charta volantis
Penna stili tenuisque mucro:

Quem fas honesti dicere limites
Et inter aequi: quem ratio potens,
Quem norma pernicis gubernat
Consilii tacitumque pondus.

Hæc tela nunquam ponimus: hos Deus
Mortalitati mentis et ingeni
Affixit enses; nos ab alta
Eruimus alia arma terra.

Ferro vicissim caedimus et manu:
Tauris et ursis scilicet invidi
Ungues cruentare, et minace
Vulnera congeminare cornu.

Haud parva laus est corpore languidum
Stravisse corpus; sed potioribus
Triumphat armis, quisquis hostem
Parte sui meliore vicit.

ODE XIX.

Ad R. P. Sylvestrum Petrasanctam S. J.

Cum eruditum suum de symbolis, annulis, numismatibus, sigillis et emblematibus opus in lucem dedisset.

Si non per arcus et Capitolia
Se pompa docti nominis explicet,
Quacumque se fert, ipsa currus,
Ipsa sibi populus sub alto

Coelo triumphat. Non tua se minus
Attollit astris, nec minus inclita
Mosaeque spectatur Sabique
Dardania procul urbe virtus.

Non tota vitae, tota tamen tuae est
Immensa tellus patria gloriae,
Quocunque, Petrasancta, vectus
Sollicito tulit axe rumor,

Te militaris stemmata gloriae,
Et Romulorum fata Quiritium,
Gemmasque natalesque ceras
Exiguis cohibere chartis.

Ut sensa docti pectoris, et notas
Mire loquaci pingis imagine!
Ipsumque conspirare pulchri
Corpus amas animumque veri!

Planeque ludens inde coloribus,
Et inde verbis, mentibus affluis,
Ceramque partiris videndam
Ingeniis, oculisque mentem.

Non solus album sol aperit diem
Rerumque vultus: scilicet ut Deus
Res temperavit, rebus una
Alterius color esse coepit;

Unoque gaudent protinus adspici
Et esse nexu. Quis caneret tui
Cum pace delabentis agmen
Eloquii placidosque lusus?

Si non Galesi lene sonantibus
Aequata ripis flumina currerent;
Nec se per et valles et arva
Praecipiti pede ferret Almo.

Mentis quis illud fulgur, et ingeni
Citata dicat fulmina? si neque
Percussus Altas, nec rubenti
Icta Jovis tonet Aetna telo,

Nec ruptus aether, nec tonitru procul
Rauco triumphum murmure mugiat,
Nec rubra diffisisque nimbis
Crebra cito micet igne rima.

Pars illa mentis, quae strepitus suo
Curasque regum ridet ab angulo,
Puroque, nec minus sereno,
Quam Superum Pater ipse, vultu

Humana spectat, quo faciem satis
Colore ducet? Pinge Ligustico
Regnare sublimem profundo,
Nec facilem trepidare Petram,

Quam pone fracti exercitus Aeoli, et
In se repulsas unda resorbeat
Retrorsus iras; at superne
Lilia purpureique flores,

Et multa veris copia rideat,
Lenique labens lympha volumine,
Et mollis atque occultus udis
Murmuret e violis susurrus.

ODE XX.

Ad R. P. Joannem Rywocium S. J.

Judicium de aetatibus prioribus et posterioribus.

Quae nos, Rywoci, tot rea cladium
Damnamus olim saecula, posteri
Elapsa laudabunt, et aureis
Moribus ac meliore coelo

Fluxisse dicent. Plebis in auribus
Absentis est vis debilior mali:
Quantumque paullatim sinistris
Detrahit invidiae vetustas,

Tantum secundis addit adoreae.
Plerumque reges, quos procul aemulo
Subducit e rerum theatro,
Consecrat indigetatque virtus.

Sic et minoris nomen Achillei
Sacris adorat non sine lacrimis,
Toto triumphaturus orbe,
Rex Macedum: Macedumque regi

Major triumphos et genus invidet
Et Caesar aras. Splendidius micant
Longinqua, mentitumque ducunt
Temporis a spatio colorem.

At qui per omne providus ac memor
Respexit aevum, jam melioribus
Praeire, jam post ferre, jam se
Jungere deteriora vidit;

Magnaque qua se mundus agit rota,
Humana verti. Cur ego livida
Cum plebe, praeclaro nepote,
Semper avos atavosque laudem?

Quinto Secundus cur Carolo minor
Sit Ferdinandus? cur Decimo parem
Non mirer Urbanum Leoni
Dardaniae dare jura Romae?

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII

POESIS POSTHUMA.

SILVILUDIA ET MISCELLANEA.

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII

SILVILUDIA POËTICA.

SILVILUDIUM I.

Cum serenissimus Vladislaus IV., Poloniae rex, Berstos ad silvas venatum veniret.

Luci virentes, et horrore sacro
Umbrae silentes, animum regalium
Longo curarum aestu fluctuantem,
  Vos blandientes aurae,
Sereniores spiritus, venite;
Vestro benigne vultu tranquillate,
  Silvae.
Quidquid hic vides, certat
In tuum, rex, obsequium.
Toltanae Nymphae, quae crystallinis
Uberibus tenellos alunt flosculos,
Argenteis occurrunt tibi pedibus.
  Alitum canora
Examina te musicis
Excipiunt concentibus:
Tremulis arbor foliorum pinnulis
Gestitque nititurque,
Ad te, si queat, obviis
Advolitare frondibus.

Te flexa pinus supplici
Longe salutat vertice:
Offusa florum agmina,
En, aurae ministerio
Tuos demissa pedes
Furtivis libant osculis.

SILVILUDIUM II.

Ad rorem.

Saltus pastorum, cum Vladislaus Solecznikis mane venatum prodiret.

I.

Placidi rores matutini,
Qui sereno lapsi coelo
    Mollia florum
    Versicolorum
Ocellatis folia:
Qui florentibus in conchis
    Late viretis
Aequore prati gemmulatis;

II.

Vigiles hortis ab Eois,
Florae rores olitores,
    Arida pratis
    Ora rigatis
Urnulis argenteis.
Vos Aurorae fulgurantis
    Tacitus imber,
Guttulae coeli desudantis.

III.

Nitidum flavae lac Matutae,
Cum luteolas papillas
Tenero florum
Inserit ori,
Odoratis populi
Coloratis cum labellis
Rosae circum
Ubera matris nutriuntur.

IV.

Stellulae noctis decedentis,
Stillae rorum, coeli rores,
Sidera ruris,
Sidera rores,
Flosculorum lacrimae,
Cum madenti liquent ore,
Diraque lugent
Funera noctis occidentis.

V.

Antra petentum vos ferarum
Pressa vago signa pede,
Limite fido
Prodite, rores.
Certa per vestigia
Ad latentem venatores
Ducite praedam,
Placidi rores matutini.

SILVILUDIUM III.

Dum Vladislaus Kotrae venatur,

Poëtae et Aulici sub umbra considentium

Dialogus.

POETA.

Tacita silvis rupe latentem
  Fallacis nulla populi,
  Sed Zephyri, populeo
Blanda susurro, recreat aura.

AULICUS.

O vita nullis vitiata curis
  Rura colentum!

POETA.

Placido labens murmure lympha,
  Smaragdinis argentea
  Riparum clausa pateris
Pocula praebet nescia fraudis.

AULICUS.

Heu nimis duris lacerata spinis
  Purpura Regum!

POETA.

Perambulanti prata poëtae,
  Virente Flora dextera,
  Officiosa suggerit
Stragula, verno picta colore.

AULICUS.

O vita nullis vitiata curis
  Rura colentum!

POETA.

Saepe virentis frondis in umbra,
Garritu captus avium,
Fallacis aulae umbraticos
Ore sereno ridet honores.

AULICUS.

Heu nimis duris lacerata spinis
Purpura Regum!
O vita nullis vitiata curis
Rura colentum!

SILVILUDIUM IV.

Ad auram.

Ut labores et aestum temperet Vladislao

in campis Merecensibus sub meridiem venanti.

I.

Medium torquens Cynthius axem,
Gravis arcu jaculatur
Tela lucis aureo;
Rutilo latrat
Sirius astro,
Nec venatus regi
Cedit labor: tantus amor,
Tanta repertae gloria praedae.

II.

Igneus acres
Fert Molossos impetus.
Crebra volant tela manu,
Ora tepenti sparsa liquore,

Corda calenti laudis amore,
Face fervent geminata:
Creber artus halitus
Quatit anhelos.

III.

Aurae molles, lenes aurae,
Zephyri, formosa natio,
Administra Chloridis,
Et supremum jam diei
Exspirantis halitus,
Cum nox, lucis filia coeca,
Saeva claudit
Lumina dextra:

IV.

Mobiles aurae,
Vernulae tubicinae,
Odorata quae miscetis
Pratigenarum proelia florum,
Languida victae lacrima noctis,
Matutino quae proflatu
Gelidae restinguitis
Volucres aurae.

V.

Deliam vestro flamine flammam
Temperate venatrices.
Vos algente dextra,
Rore madentes
Tergite frontes.
Telis alas addite:
Catulorum venatorum
Cursui vestras indite pennas.

VI.

Forte virenti
Si locarint gramine
Fessa longo membra cursu,
Undique lectos ruris odores
Spiritus illis florifer afflet.
Vos ridentes ora circum
In amica pellite
Oscula flores.

VII.

Sic per amoenas aequoris oras
Curru vos argenteo
Caerula vectet hospita Tethys:
Sic per arva volitantes
Vos tenelli lusitantes
Osculentur flosculi.

SILVILUDIUM V.

Poëta prata ac silvas perambulat, dum Aulici venatui vacant,

seu

Coelestis amoris amoenitas.

I.

Floriparentes herbae,
Pratorum astra, flores,
Vallesque nemorosae,
Gemmaeque florum rosae,
Vos mea circum dio
Alata mens amore,
Lectura campis volitet
Divini mel amoris.

II.

Impressa magni Numinis vestigia,
Et divinae simulacra formae
Vos, vos mihi ostenditis.
Vos ora, vos vultum Dei,
Quem ludibunda pinxit
Pennati dextra amoris;
Et vos, qua licet, aemulamini
Auctoris ora Verbi,
Sed ore non simillimo.
Ades tu, Numen, ades:
Tu tibi pax: tu cordis
Tranquilla mei saties.
An erit illa dies,
Cum tui lumen oris
Licebit intueri?

III.

An erit, ut aetherea
Correpta face pectora
In cineres labascant?
Tum rogo de vitali
Ad te mens ales advolet,
In teque niduletur?

IV.

En, flosculi pulcherrimi,
Prae Numinis amore,
Expansas foliorum
Ad coelum alas explicant,
Odoris flant suspiriis,
Fletuque madent roscido.
Flammato, viden'? ore
Ut rosa purpurascens

Prodit amoris ignes.
En, hederae virentibus
Ad astra reptant brachiis,
Expressaque pallentibus
Expandunt corda foliis.

V.

An solus ego, me miserum!
Tot inter ignes algeo?
An solus ego ad terras
Devexo feror pondere?
  Ah! tui tot amores,
  Mi Deus, inde excita,
Quot viret arbor foliis,
Quot arva rident floribus,
Quot astra sudant roribus.

VI.

  En pictis foliorum
  Multicolor labellis
  Flos tacitus divinos
  Eloquitur honores.
En, coelo laudes accinunt,
Et aura leni sibilo
Et lympha leni murmure.

VII.

An solus ego, me miserum!
Tot voces inter sileo?
Ah! Divum Pater, ingere
Os laudibus facundum,
Linguas et tot canoras,
Quot mella legunt apes,
Quot garriunt volucres,
Quot aurae et Nymphae murmurant.

SILVILUDIUM VI.

Ad lunam.

Cum Vladislaus die Lunae venaretur.

I.

Dum lunae rura cingimus
Regiis venatibus,
Lunae choreas plaudimus
Chorea, in modum lunae.
Vecta serenum, luna, per aërem,
Tremebunda flammeo
Num venaris astra cornu?
Num bellatrix igneo
Aetheris ursos impetis arcu?

II.

Nocte silenti, voce faventi
Tibi latrant catuli:
Tibi socium venanti,
Luce spumat aurea
Rabidae sidus triste Catellae.

III.

Modo recurvis edita cunis
Primo ludis lumine;
Modo pleno nites ore;
Mox incurva senio,
Moesta cadenti extingueris igne.

IV.

Orbe nigranti clausa secundum
Temet ipsa latitas.
Tibi rogus et sepulcrum,

Temet ipsa tumulas;
Mox redivivos excitas ignes.

V.

Fida diurni luminis haeres,
Occidente Delio,
Breve sideris fraterni
Reparas dispendium
Late micantis frontis honore.

VI.

Modo nitenti falce minaris:
Modo jugo cymbula,
Modo portu sinuaris,
Et mutantem simulas
Aequore coeli Prothea formas.

VII.

Quidquid liquidis innatat aquis
Foeto quidquid viscere
Terra parit, tibi paret.
Tuis nutat nutibus
Refluus humor aequoris alti.

VIII.

Annue nostro dextra venatu.
Tibi dentes camuri
Apri torva minitantis,
Tibi quercu pendeant
Ardua nostrae cornua praedae.

IX.

Dubiae viden' lucis in umbra
Tuis pares vultibus,

Tibi in orbem, tibi in arcum
　　Agitamus choreas:
Annue nostro dextra venatu.

X.

Cursibus aptas suffice vires,
Vimque odoram canibus:
　　Telo feras, tela feris,
Telis ictum dirige:
Robora fessis adde lacertis.

XI.

Aurea sed jam proditur Eos,
Et venatrix roseo
　　Astra nocturna fugat arcu.
Hebetata retrahit
Delia lucem, luce renata.

SILVILUDIUM VII.

Ad umbras.

Ut venante Merecii Vladislao ab aestu venatores defendant.

I.

　　Sat decori jam sudoris:
　　Sat et, pubes regia,
Strenua finxit proelia virtus,
　　Molliter excipiat
Blanda fessos quies artus.

II.

Lucis umbrae jam cadentis
　　Giganteae senio,

Dum moritur, funera Phoebo
Parentantes apparant,
Sternunt pulla rura veste.

III.

Fugitivae lucis hostes,
Vos a sole transfugas,
In sua tutos castra receptos,
Gelidis tentoriis
Umbrae tegent hospitales.

IV.

Longo orbis ex projectu
Sese ferunt obviae,
Arvaque nullo lumine pingunt,
Simulacra objiciunt
Nemorumque colliumque.

V.

Hic, per gelidi prata Merecii
Pastoritia pubes
Agitabimus choreas
Tu modo, magni principis aula,
E vicino margine spectes.

SILVILUDIUM VIII.

Ad lacum Motelansem.

Piscatorum saltus et cantus.

CANTUS.

Tibi grates, tibi laudes,
Caerula Tethy!
Tuo lapsus munere,
Opportune regia

Munera, piscis,
Nostra captus vincula sensit.

SALTUS.

Eoa parens Memnonis
Ut prodiit e specula,
Aureolosque crines
Luteolosque vultus
Ad oris tui speculum
Tergit comitque, Tethy.

CANTUS.

Dum nitenti munda fuco
Illinit ora,
Laetam frons purpuram
Surripit e conchulis:
Colla coralliis,
Tuis ornat ora baccis.

SALTUS.

Dum spargit ab aethereis
Rosarum nimbos hortulis,
Dum tua matutino
Rubescit unda vento,
Et pensilis in mediis
Florescit hortus undis.

CANTUS.

Te spumosis exspuentem
Oribus iras,
Teque proeliantibus
Campum ventis Martium,
Fluctibus Euros
Canet alter equitantes.

SALTUS.

Tranquillo vultus lumine
Te blandientem canimus,
Et aureis arenae
Pulvillis acclinatam:
Sic usque nostro faveas
Piscatui serena.

CANTUS.

Tu terrarum vastos orbes,
Sedula mater,
Ulnis circum liquidis
Fusca cingis, vitreo
Ubere lactas,
Sinu geris aestuoso.

SALTUS.

Ex tuo Phoebus nitidum
Attollit caput gurgite,
Et igneo tranquillum
Dum globo radit aequor,
Apparet in argentea
Aurata gemma concha.

CANTUS.

Mane primo tu nascenti,
Vespere sero
Tu cadenti Delio,
Ceu Phoenici aethereo,
Liquido praebes
Toro cunas
Et sepulcrum.

SALTUS.

In te sol, pictor aureus,
Dum lumen nobis temperat,
Serena ludens pingis
Ridentis ora coeli:
Sic usque nostro faveas
Piscatui secunda.

CANTUS.

Tu grande Ladislai,
Vicina dum venatico
Exercet arva cursu,
Nomen sonoro fluctuum
Late tumultu persones,
Et usque nostro faveas
Piscatui secunda.

SILVILUDIUM IX.

Cantus et saltus messorum, venante paullo ante regias nuptias Vladislao.

CANTUS.

Fictane crebri fama susurri?
An regalis jubar oris
Lux recludet proxima?
Hiccine pandet tam sereni
Jubar oris? hiccine nostrae
Solem umbrae protegent?

SALTUS.

Felix ades: et secunda
Astra tuis, o rex magne,
Hymenaeis annuant,
Inextincta foveant
Corda face, rura pace,

CANTUS.

Placido semper sidere nostras
Tecum, rex, revisat oras
Blanda Doris: aureis cubet arenis
Et pacato coelum terras
Foedere lambat: mitia pangat
Coelum terris oscula.

SALTUS.

Martia passim pila virenti
Fronde Palladis nitescant.
Sponte falcem belliger
Induat ensis:
In abjectis niduletur
Clypeis ales: hostica fundat
Nectar apis galea.

SILVILUDIUM X.

Cantus Zephyri.

Vladislao sub vesperum Leypunos venienti.

Sidereos jam moritura condit
Lux oculos: jam flammeo
Cremanda rogo Aurora
Mea reposcit flamina:
In nidulum ceu Phoenix
Vertenda dies meas optat alas.
Surgamus, et assueta
Feretro noctis et diei cunis
Afflemus ministeria.
Age, mihi madidantes
Depluant rore plumae matutino:
Stellentur imbre gramina.
Venatum petenti
Se prata Ladislao

Lepunensia comant.
Hyblaeo silva discolor nitore,
Sabaeo spiret halitu,
Panchaeo gemmet fletu.
Actoris instar regii
Meis efflata pennis
Innubilam serenet aura lucem.
In regis ministerium
Conspiret unda nitens,
Tranquillus aër, vere
Compta tellus.
Tu modo, rex, adesto:
Hic omnia nitescent
Clementi frontis fulgure.
Hic musicis, me ventilante frondes,
Vireta canunt sibilis,
Hic tellus per me verno
Crinita flore comitur.
Hic virides blanditur
Fucata genas, colorata vultus;
Hic ubi pellucenti
Fontium fletu rident valles,
Et ripa liquidum volvit gaudium.
Loquace tuum nomen
Fronde susurrent, Ladislae, silvae;
Magnique ducant nominis suspiria.
Qui silvis tecum ludibundus erro,
Cruentis olim Martius
Afflabo bellis comes.
Tuis, Phoebe, classicis
Argenteos inspirans
Tubae canales, qua sol facem rotat,
Victorias cantabo,
Tuique alarum flamine mearum
Portabo famam nominis.

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII

MISCELLANEA.

I.

Illustr. D. Joan. Carolo Chodkiewicz, Crosensis gymnasii fundatori, gratiarum actio.

Ut ver perpetuo campos vestivit amictu,
Mitis Apollineos repetebat Gratia Crosos.
Hic, ut forte cava fessus convalle sedebat,
Vocalique rudes hilarabat carmine silvas,
Alloquitur Phoebum: Nunquam tibi Martia virtus
Chodkiewiciadae, nunquam pugnata canentur
Proelia? num potius falsas Pandionis arces,
Enceladique canes pugnas fictosque Gigantas,
Hylaeumque trucem, trifidoque Typhoëa telo,
Pro! ingrate nimis? Sic jam fabricanda Lycei
Culmina, sic larga nuper data munera dextra
Effluxere tibi? Sic fatur, et insilit Eurum,
Praecipitique fugax subit avia nubila gressu.
Territus obstupuit Phoebus, digitisque remissis,
Ad terram tacito defluxit fistula lapsu:
Acre micant oculi, teneras suffuderat illi
Purpura nixque genas; subitique per ora pudoris
Illuxere faces. Dubia tum mente revolvit,
Quas Chodkiewicio digne persolvere laudes
Posset et exstructi meritum pensare Lycei.

Gryps media tum forte specu, vacuoque sub antro
Montis, ubi dubios struxit natura penates,
Indulgente jugo, circum gentile tenebat
Concilium, solioque effultus terga decenti
Quadrupedum volucrumque greges secretus habebat
Arbiter: innumero possessa sedilia coetu
Diversus partitur honos, geminique senatus
Imperii geminae sedere cubilibus aulae.
  Hinc picturatis late comitata catervis
Alituum regina sedet, cui plumea collo
Crista tumet, fulvusque latet diademate vertex.
  Montivagos contra proceres, turbamque ferocem
Cornibus, extremoque accitos cardine fratres,
Marmaricus ductor primae locat agmina turmae.
  Nec confusa domus: pernicibus ordine sedes
Prima datur: tractum lenti tenuere secundum
Quadrupedes. Gryps ipse gravi caelata metallo
Fulcra premit, stratoque vagum supereminet ostro
Vulgus, et horrendum rigidis quatit unguibus ensem.
  Tunc varias avium lites questusque ferarum
Audit, et illicitas aliena per arva rapinas,
Direptam sobolem desolatosque penates,
Vastatumque nemus vacuique silentia nidi
Judicat: accusant infesto murmure picae,
Promptaque mobilibus jaciunt convicia linguis;
Facundo sontes defendit psittacus ore.
Ense ruit, quemcunque ducis sententia damnat:
Ense cadit latroque lupus, pirataque phoca:
Ense reae plectuntur aves. Jam curia solvi
Debuerat, totumque foro discedere vulgus
Optabat; medio cum pulcher in agmine Phoebus
Constitit, et docili praeludens pectine carmen,
Bruta salutavit placidis animantia nervis.
  Tum cunctis cecidere jubae, colloque minaces

Detumuere tori: prono Gryps annuit ense,
Intrepidumque, forent si quae dicenda, profari
Imperat, et plausis jubet alta silentia pennis.
Tum sic, laxata testudine, fatur Apollo:
Maxime pennigerum dux regnatorque ferarum,
Immortale decus Caroli, cui stemmata clarae
Gentis et illustres radiant in imagine cerae;
Cui licet insignis nutare cacumine coni,
Et clypeo radiare ducis geleaque, superba
Arce salutantes circumspectare catervas,
Et post bella minor dominum cum cassis adornat,
Immotis haerere comis: si gratia menti
Fixa, nec aeternae migrarunt pectore laudes
Chodkiewiciadae; felix ingentibus ausis
Auctor ades, meritumque mihi largire laborem.
Scis, reor, Aoniis quae tecta sororibus ille
Condiderit, castos ubi nobilis unda Crosentae
Exonerat fontes, raucoque volubilis auro
Obloquitur, nostrique addiscit murmura plectri,
Et doctos flores viventibus educat undis.
Huic ego nec Clarios amnes fontesque pudicos
Castaliae, neque Pegaseis Heliconia ripis
Flumina praetulerim: tanti sed gratia facti
Egregias laudes insuetaque praemia poscit.
Atque adeo aeternae monumenta attollere laudis
Jam dudum, memorique ducem sacrare colosso
Aggredior; sed parca manum remoratur egestas,
Et tangi queritur gracili levis aere crumena.
Tu, cui Sarmatici tractus gelidique Trionis
Arctoae famulantur opes, da divite luxu
In domini laudes dignam consurgere molem,
Et trifidum medio succedere culmen Olympo.
Materiem celeresque feras famulasque volucres
Ferre jube: sat, quaeque suae si finibus orae

Apportet, variis quae terra vel unda metallis
Progenerat. Tibi Phoenices avis incola lucos
Pervolat, et teneros per mollia serica nidos
Sternit: Achaemeniis tibi livida marmora venis
Caucaseae tigres habitant, madidique sub axe
Cardinis, aurata pardi stabulantur arena;
Ignotusque procul gemmantibus innatat undis
Monoceros, vivoque jubas adspergitur auro.
Armenio crystalla ferunt tibi vertice lynces:
Gryphes Hyperborei tibi circumfusa metalli
Pondera scrutantur penitus, gemmasque recurvis
Unguibus effodiunt, et hiantis viscera terrae
Denudant, solidisque legunt magnetas in arvis:
Et quoties Pygmaea grues post bella revisunt
Thessaliam, plauduntque Notos victricibus alis,
Nudaque vocali cingunt Pangaea triumpho,
Tunc ingens tibi praeda redit: non gemmea desunt
Dona, nec hostili direptae vertice conchae,
Et Palamedeo captiva monilia collo.
Non magnae Junonis avem, doctaeque Minervae
Vectigal numerare pudet: nec Colchica censum
Ferre recusat avis, nec dedignantur olores
Heliadum lacrimas, et odoris flebile truncis
Electrum, viridis prope littora carpere Padi,
Claraque submisso diademata solvere collo.
Ipse coloratis phoenix peregrinus ab Indis,
Quidquid Gange suo, quidquid piscatur Hydaspe,
Portat, et Assyria portat tibi merce tributum.
Quid memorem, quae dona ferat facunda voluptas
Silvarum, viridis Noti regnator et Austri
Psittacus, Oceano cui funditur Antarctoo
Littus, et Hispanis indelibata carinis
Divitias alio defendit frigore tellus.
Quare age, dimissum mundi super avia sparge

Vulgus, et innumeris veniant ingentia terris
Munera, sublimes exornatura colossos.
Nam mihi caelatis assurgent terna tropaeis
Culmina, pulcher ubi vitreis Saltinnius undis
Lambit agros, et aprica loquax per gramina garrit.
Hic mihi barbarico celsus de marmore surget
Chodkiewiciades, immortalemque colossum
Suecorum strages, et barbara proelia pingent.
Ipse trucis frenator equi, clypeique coruscus
Fulgure, sanguineum per aperta pericula late
Sternet iter, Sueconumque gravi metet agmina ferro.
Praecipue pugnam ex auro solidoque elephanto
Moscorum, versasque sui super arva Smolensci
Effundam turres, et Mosco in sanguine ovantem
Chodkiewiciadem media inter millia figam.
Quod si tanta tuo surgent spectacula sumptu,
Haud, reor, ingratum domino te, maxime ductor,
Praestiteris, nec vos posthac, volucresque feraeque,
Immemores nostri per Thracia jugera cantus
Arguerim: meministis enim solatia docti
Pectinis et liquidae quondam testudinis artem.
Tunc me, per Lyciae campos, Patarea canoris
Mulcentem dumeta modis, Achelous et asper
Eurotas, primasque nives exutus Acarnan,
Et versis Permessus aquis, refugoque Lycormas
Fonte sequebatur: tunc stagna lacusque tacebant,
Blandaque placatis intumuit unda procellis.
At variae circum volucres, portantibus Euris,
Pendebant, alias plenis sua silva vehebat
Frondibus, eque suis armenta cubilibus ibant.
Tempus erit, quando propter formosa Crosentae
Flumina, vocales decurrens pectine nervos,
Vos, vestro cum Gryphe, ferae, cum Gryphe volucres
Deducam, Carolumque suis super aethera tollam

Laudibus, atque acres referam testudine pugnas.
Tunc mea festivae salient ad carmina quercus:
Tunc inclusa suis venient armenta cavernis,
Ipsaque mirantes portabunt pascua cervos,
Et comitata leves gestabunt pabula damae.
Ipse suus cygnum nidus vehet, ipsa columbos
Turris, et ascenso taurus properabit aratro.
Tunc scopuli, tunc ipsa scient vastissima magnum
Antra loqui Carolum; tunc inter littora nota
Discentes repetent iterata vocabula silvae.
Saxa mihi dicent Carolum, Carolumque sonabunt
Convalles: Carolum liquentia flumina dicent,
Fortem saxa, gravem convalles, flumina largum.
Interea doctae decima cum Pallade Musae
Saltineos circum fontes viridemque Rimantum
Errabunt, floresque novos et olentia thymbrae
Munera, caelatisque acquirent serta columnis.
Pyramides ipsas circum delecta juventus
Stabit, et incisas mirabitur aere catervas,
Et falsos ostendet equos, translataque paene
Bella leget, totoque ducem laudabit in auro;
Alternoque dabit certantia carmina plausu.
At vos, o lecti proceres, decernite tanto
Impensas operi, vestrosque aptate labores.
Tu, volucrum imprimis ductor, cui creditur uni
Magnarum digestus opum coecaeque per omnes
Divitiae terras, clausique impendia mundi,
Aërium dimitte gregem: mea vestiet aera,
Quidquid inauratis despumat Iberia ripis,
Alpino quod monte nitet, quod lucida ditat
Aequora, quae Boreas mollive Favonius aura
Educat, Eois quae parturit Eurus arenis.
Dixerat: ille feras picturatasque volucres
Evocat. Arctoas illis acquirere gazas,

His Serum spoliare nemus, Massylaque rura
Imperat: his recto gelidas demonstrat in Alpes
Ense viam. Libycos aliis peragrare penates
Suadet, et obliquo Meroën transmittere lapsu:
Pygmalioneas alios partitur in oras,
Auroraeque domos et inhospita regna Niphatae,
Quaeque ferunt medio caput Acroceraunia cœlo.
Ledaeas aliae passim populantur Amyclas,
Arabicosque sinus Atlantaeosque recessus.
Decrescunt aliis Thomeses saxeta, Thasosque
Orchomenique sinus, et Dodonaea canoro
Aere loquax, patrioque sonantia Bactra metallo.
  Septimus Eoae Titana cubilibus undae
Lucifer extulerat: promissi certus Apollo
Exsuperat celeri Medocalna cacumina gressu.
  Apparent humiles campi viridisque Crosentae
Littus, et umbrosis hilares convallibus undae,
Et circum positis viridissima pascua juncis.
Tum vero nubes oculis explorat, et omnem
Prospectum late cœlo jacit: ilicet ingens
Alituum turma latuit polus, altaque circum
Caligant volucrum denso convexa volatu.
Antevolant aliae Zephyros, segnesque per auras
Avia caeruleo ludunt examina cœlo:
Invadunt aliae nubes, penitusque latentes
Aëreis merguntur aquis, gaudentque superbae
Humentes innare Notos. Gryps ipse supremum
Radit iter, dubiumque vagis suspendit in auris
Pondus, et adducta castigat nubila penna.
Fulmineum radiant oculi jubar, armat aduncus
Rostra timor, ter lingua vibrat: funduntur opima
Dispersa cervice tori; surrectaque cristis
Colla tument: ingens tacitis adnavigat auris
Remigium, reliquo Leo corpore territat Euros

Unguibus, et rigida pavidum ligat aëra cauda.
Nec levior micat ante metus, mucrone timentes
Designat Zephyros, et tantum vulnera differt.
  Innumerae comitantur aves, plausuque secundo
Consequitur dominum famulis exercitus alis.
Nec quisquam tantis e millibus obvius audet
Ire duci; sed prima sacris dant nubila pennis,
Claraque purpurei vestigia regis adornant.
Tum laetum paeana canunt, et supplice cantu
Gaudentem celebrant: quis praepetis impetus alae
In medias acies properum ferat, agmina quantus
Rumpat, inaurato quantus circumtonet ense,
Vel quantus clypeo radiet ducis; aurea quantus
Possideat vexilla, quibus micet inclitus armis,
Quam fidos domina pro casside fulminet ignes.
  Tum demum, cum templa procul ripamque Cro-
Et muros (veteris secreta palatia quondam [sentae
Rekutii) medioque sonantia stagna fluento
Conspexere, Crosos hilari clangore salutant.
Vocales avibus procul assensere cavernae;
Saxa Crosos, dumeta Crosos, et flumina longe
Respondere Crosos: laetis percussa reclamant
Vocibus, et laesa resonant aviaria silva.
  Aonia tandem juvenum cingente corona,
Obvius hospitibus procurrit Apollo catervis.
Hic avium ductor pariter rectorque ferarum,
Collectas omni terrarum limite gazas
Explicat et plenis magni compendia mundi
Agglomerat cumulis: hic fulvi dona talenti,
Illic argentum nitet, indigestaque moles
Aeris et incocto squalent orichalca metallo.
Praeterea vario radiantia marmora ritu
Donat, et a bimari venientia saxa Corintho,
Et pictos silices et versicolore superbas

In macula rupes, duris ubi floribus hortus
Texitur, et fictas mendax lapis exprimit herbas,
Falsaque nativis interviret area sulcis.
Addit et arcano florentes lumine gemmas,
Quidquid et Hesperiae ramis flevere sorores,
Et Thetidis lacrimam, et cumulos admiscet Eoae
Grandinis, et siccos adspergit iaspidis imbres.
Mirantur Charites, tantas miratur Apollo
Divitias, tantisque super laetatus acervis
Gaudet in obtutu, visusque per omnia ducit,
Et sanctas attrectat opes: juvat aurea dona,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.
Tum vocat Historiam, placido simul incipit ore:
Nata, cui veterum custodia credita rerum,
Magnanimique duces, et decertata vetustis
Bella viris; quae, quidquid iners sub nocte vetustas
Occulit, et coecis oblivia nubibus umbrant,
Optanti retegis mundo, pariterque senectam
Orbis, et ingentis reseras elementa juventae,
Hunc mihi da proprium, Parnassia virgo, laborem,
Hanc operam. Solido consurgant aere colossi
Ingentes, queis fama mei, memorataque bellis
Gloria condatur Caroli. Jacet omnis in artem
Materies, tanto certe miscenda labori.
Pieridum venit apta manus, nec tarda sequentur
Marmora; Threicii siquidem dulcedine plectri
Ipse morans hortabor opus, placataque cantu
Insolitas ultro concedent saxa figuras;
Effingique volent, et miti corpore vultus
Accipient moresque ferae. Tu sedula tantum
Incipe, et insuetis fidens hortatibus aude.
Segnius audito steterint Amphione Thebae,
Aut accita meis quondam Priameïa nervis
Moenia, cum montes, cithara duce, sponte per agros

Reptarent, junctusque suae descenderet Idae
Dindymos, et totae scanderent Pergama silvae.
Sic ait, et niveum, flexa testudine, collum
In laevam transfert: tenuit manus altera plectrum,
Et liquidum tremulis intercipit aëra nervis,
Inque sonum Zephyros animat. Tum flamina justae
Enumerant voces, digitisque monentibus ictum
Assentitur ebur: respondent omnia silvae.
Ipsi laetitia saliunt ad sidera montes,
Intonsi montes: ipsae jam carmina valles,
Ipsa sonant arbusta: vago canit unda recursu
Bella ducis, meritosque sonat post bella triumphos.
Interea laetae domino cum Gryphe catervae
Per campos laetisque virentia pascua scenis
Insultant passim tumulis, dubioque volatu
Per sudum liquidis volucres plausere choreis.
Nec minus Historiam labor excitat: ipsa sequentes
Adducit scopulos: locat ipsa volentia fundo
Marmora: surgentes ultro juvat ipsa colossos.
Assistunt dominae comites: et Gloria juxta,
Et Decus, et laeti circumstipantur Honores,
Bellaque, purpureisque frequens Victoria pennis
Adstat, et ingenuo florentes crine Triumphi,
Hortanturque monentque simul: Mavortia Virtus
Edocet, et lauro redimitae tempora Laudes.
Nec satis Historiae tantos spectare labores;
Sed propera juvisse manu. Strepit ardua saxis
Machina continuo nemorosa per avia pulsu:
It fragor, et terris ingens redit aetheris Echo.
Nec segnes traxere morae: vix prona supino
Axe Dies niveos detorsit in aequora cursus,
Aurea cum grandes subeunt convexa colossi.
Vix oculis operique fides, stupet ipse labores
Vesper, et exactae bis senis passibus Horae

Mirantur natas uno sub sole columnas.
  Certatim Clariae vocalia plectra sorores
Exercent, variantque sonos, ut pollet ovanti
Quæque lyra: virides aliae de gramine nexus,
Et brevis exuvias apii spoliumque ligustri,
Aptaque purpureis appendunt lilia saxis.
  Tunc felix hilarem compellat Gloria Phoebum.
Cernis, ait, quantis se terna sub aethera moles
Attollat scopulis? Hic vivo marmore laudes
Chodkiewiciadae, similique cruenta metallo
Bella micant. Si nosse rei spectacula tantae
Est amor, huc mentem paucis adverte, docebo.
  Prima quater gemino quae pulsat nubila ductu
Pyramis, impubes Caroli complectitur annos.
Nonne vides, primos infans ut reptat ad enses?
Ingentemque manu galeam conoque fluentes
Attrectat cristas, clypeique decemplicis orbem
Nequidquam tenera nixus sustollere dextra
Velle videtur, et in mediis conatibus aeger
Deficit? admotis libat tamen oscula telis.
Hic multo quod, Phoebe, magis mirabere, cerne,
Stratus ut immani jaceat thorace, gravique
Commendet clypeo somnos, tenerumque fatiget
Corpus, et in medias cunabula transferat hastas.
Hic rursus torvum post aspera proelia patrem
Primus in amplexu fovet, et fulgentia poscit
Cingula, captivosque ferox efflagitat arcus.
Ipse coruscanti genitor super aere volentem
Excipit, et rutili ridentem ad fulgura coni,
Mulcentemque jubas, et ahenea scuta terentem
Laudat, et avulsi donat nutamina coni.
Hic etiam nostri divina sacraria montis
Intrat, et Aoniis dignus venit incola lucis.
Nec Phoebo mens indocilis, nec inhospita Marti

Castalias exhaurit opes: Laurentia bella,
Hannibalis fraudes, et Iapygis arma tyranni,
Ausoniosque duces memori sub corde revolvit.
 Altera, quae gracili sublimis in astra colosso
Nascitur, audacis moles elementa juventae
Conspicienda dabit: vis vivida, Martius ardor
Irrepsere genis, galeaeque comata serenis
Vultibus umbra cadit. Non marcescentia luxu
Otia flexerunt animum; sed totus honestae
Bellator menti deus incidit. Adspicis, hasta
Quantus ovet! quantusque novis consurgat in armis
Thrace superbus equo! positae certamine metae
Quam propere certam teres anulus induat hastam.
Hic etiam juvenes pugnas primique Gradivi
Clara rudimenta, et teneros pugnata per annos
Bella micant. Carolus magni ducis attonat armis:
Huic pectus circum radiante refulgurat auro
Multifidus thorax, clypeique incenditur orbe
Campus, et opposita trepidus timor errat in hasta.
Adspicis, ut toto fumant praecordia Marte,
Instantemque deum primo sudore fatentur!
Sanguineas rigat ora genas, et aheneus auris
Funditur, ignivomumque malus nitor asperat ensem.
Hic rursus quanta laetus caligine belli
Pascitur: et thorax, et turpe cruoribus aurum
Erubuit. Medio dux clarus in agmine laudum
Non hostes, non tela videt: sed pronus et ardens
Hic plenas campo galeas metit; occupat illic
In cursu trepidos: latam secat inde plateam
Per medios, refugasque truci ruit ense catervas:
Donec jam victis, fuso Michaële, maniplis
Constitit, et vacua respexit in aethera dextra.
 Tertia dat Carolique fugam stragemque Gothorum
Pyramis. Haec rursus bellantis imagine gaudet

Chodkiewiciadae: medias secat ipse cohortes
Horridus armorum tonitru, nudosque per enses,
Tela per et galeas et equos cumulosque frementum,
Foedaque congerie sola semianimumque cruorem
Fulmineus ruit: innumeros teres induit hostes
Lancea purpureo cruor imbre refrigerat ensem.
Primus ad Oceanum trepido vocat agmine turmas
Praecipitique fugax Carolus secat alta carina:
Concita vela pudor, celeres timor addidit auras.
Hic strages Albi lapidis bellique procellam,
Et late Gothico torrentes sanguine campos
Adspice Revaliae, Kokenhausemque Gradivum.
Hae vero, pictas scopulo quas suspicis, arces
Ad patrias sedes cognataque Livonis arva
Chodkiewiciadae multis rediere triumphis.
Moscovius summo Mavors in culmine fulget
Pyramidis: fulgent longe captiva Smolensci
Moenia, disjectaeque suis cum turribus arces,
Multaque de caesis radiat victoria Moschis.
Dixerat. Ambrosio tum Cynthius ore profatur:
Nunc mea felicem tandem sortita Lycea
Fortunam, cum facta viri memoranda ducisque
Immortale decus vicina sede tueri
Concessum. Non hoc humentis nubila Cori,
Non hoc imbriferas hiemes opus actaque coelo
Fulmina, Thessalici non agmina carceris horret,
Non rerum seriem: stabit, dum sidera current.

II.

Iter Romanum.

Ibis Hyperboreos non segnis, epistola, campos,
  Qua riguus patriam Vistula lambit humum.
Ne pudeat, quod firma parum vestigia figas,
  Alternoque cadant saucia crura pede.
Quae procul audaci conantur in aëra saltu
  Tesqua pruinosum ferre sub astra caput,
Nubiferas Alpes, supposta Ceraunia coelo,
  Et Pyrenaeis aemula saxa jugis:
Saepe per obstantes dum te remorantur hiatus,
  Succiduos dices detinuisse pedes.
Forsan ubi planos, Aquilonia regna, Triones,
  Et patrios felix acceleraris agros:
Incipient virides passim subsidere campi,
  Celsa videbuntur detumuisse juga,
Et, quae Vistuleis late perfunditur undis,
  Praebebit faciles mollior ora vias.
Hic, ubi Sarmaticas cursu superaveris arces,
  Qua vagus irriguis Narvia serpit agris:
Pieriis repetes regnata palatia Musis,
  Pultopolitano sacra Lycea deo.
Hic sociis referes, ut idonea vitibus arva,
  Et Latios tandem transierimus agros.
Et Patribus primum missam largire salutem
  A me, et Nicoleo ter mea verba meo.
Hinc nostrae mala dira viae, mala dura laboris,
  Castaliis referes officiosa modis.
Prima profecturos Posnania vidit alumnos
  Extremum sociis ingeminare Vale.
Vidit in amplexu caros se fundere fratres,
  Laetaque confusis dicere vota sonis.

Inde per extremas, qua Marchia flectitur, oras,
  Et niger illimes Odera vertit aquas,
Saxoniae tractus infidaque regna subimus:
  Apta peregrinis Lipsia tecta dedit.
Tota Lutheranis sed inhospita Lipsia sacris
  In permutata relligione furit.
Hic tamen antiquas, immania marmora, sedes,
  Structaque non parca saxea templa manu
Miramur taciti, pollutaque sacra dolemus,
  Atque profanatas commiseramur opes.
Postera cum primos Aurora reduceret ignes,
  Ad currum bijuges associantur equi:
Erigimur stratis, et perfida linquimus arva.
  Totus erat pluvio nubilus imbre dies.
Heu mihi! sol aliam postquam tulit aequore lucem,
  Totus erat nimio torridus igne dies.
Hic mihi flammantes incandescebat ad aestus,
  Et subito totum languit igne caput.
Prae foribus malesana febris jam stabat, et ingens
  Indeplorati corporis ardor erat.
Causa mali montes, quos flamma reciproca torret,
  Sole repercussas ejaculante faces.
Nam, si vera rudes enarravere coloni,
  Hic magis aestivo Virgo Leone furit;
Pandaque mortiferos diffundit Libra vapores,
  Aestatisque vices imperiumque tenet.
Causa latet, serosne petat vindemia soles,
  An vitio sicci candeat aura soli;
Pronior an celsas ubi sol adspexerit Alpes,
  Rectior obliquis torreat arva rotis.
Forte supercilio riguive crepidine saxi
  Imperturbatae vena fluebat aquae.
Ergo susurrantum moror ad breve frigus aquarum,
  Atque cava lympham sorbeo saepe manu.

Ilicet irriguus paulatim cedere languor,
  Et coepere graves fortius ire pedes.
Ire graves coepere pedes: nam sarcina currus
  Stare fatigatos saepe coëgit equos;
Obscoenaque rotae dum cunctarentur in ulva,
  Aut vada torrentum trajicienda forent,
Mille revertentes exploravere recessus,
  Mille paludosas circuiere vias.
Praevehimur celsas, habitata cacumina, ripas,
  Praevehimur summis pendula tecta jugis.
Hic alias fortuna vices, aliosque labores
  Opposuit nostris insidiosa viis.
Silva fuit, multos incidua silva per annos,
  Quercubus annosis ilicibusque vetus.
Paene supinatae verrebant sidera frondes;
  Ipsa videbantur Tartara paene peti.
Praeterea tumulis et hiantibus aspera clivis
  Petra ruinosum praepediebat iter.
Ingenium spelunca doli caramque nocendi
  Indeclinatus trames habebat opem.
Pergimus intrepidi tamen immemoresque latronum,
  Cum nos admissis insequerentur equis.
Nam levis extemplo claris equitatus in armis
  Umbrosum denso milite sepit iter.
Respicio; creberque manu jam fulgurat ensis,
  Nudus et exserta cuspide mucro sitit.
Crebra repentini praenuntia machina leti,
  Atque volaturis fistula foeta globis,
Adducto silicis flammas irritat hiatu,
  Ut vomerent clausae plumbea tela faces.
At mihi consurgit surrecto crine galerus,
  Quassaque non dubio corda timore tremunt.
Interea pernix equitum manus advolat, et se
  Prodit inauditis barbara lingua minis.

Intentant jugulis faciles ad vulnera sicas,
  Et fodiunt gravidis ora latusque sclopis.
Ipse meas exploro manus, manus ense carebat:
  Respicio currum, currus inermis erat.
At mihi Nicoleus certos signatur in ictus,
  Afflictumque solo barbara dextra ferit.
Illius gemitus et singultantia longe,
  Mista velut riguo sanguine, verba bibo.
Dumque reor vocem veluti morientis amici,
  Quae vox percussi, non morientis erat:
Qua data porta, ruo, dubiaeque pericula vitae
  Evitaturam non moror ipse fugam:
Et celeres propero per aperta, per invia plantas,
  Deflua frondosum qua tegit umbra nemus.
Interea, fossae pretiosa pericula terrae,
  Unum, quod tanti causa doloris erat,
Argentum, modici mala vectigalia census,
  Depraedatrices diripuere manus.
Adstabant moesti, levius sed ademta sodales
  Omnia, quam longas indoluere vias.
Vos ego tunc, quercus, vos, frigida marmora, testes,
  Vos imploro meae conscia saxa fugae.
Vos etiam (nam vos, memini, miserebat euntis)
  Indesolatis hospita lustra feris:
Quin etiam misero respondebatis ab antris,
  Dum ciet alternos vocis imago sonos.
Quos ego tunc, (audistis enim, moestaeque querelae
  Vocibus impulsas attonuere petras)
Quos ego tunc gemitus, aut quae suspiria fudi!
  Dum velut occiso solus Achate vagor.
Et queror, et dubio rursus sub corde revolvo,
  Viveret, an tantum saucius ille foret.
Occisum rursum reor, ac pernicior Euro
  Plana repentino praevehor arva gradu.

Stramineas prope forte domos, stipulisque colebat
Non bene protectas rustica turba casas.
Accelero, lacrimisque peto miserabile caedis
Effugium, taciti nuntius ipse mali.
Conveniunt, lapsumque fuga solantur agrestes,
Dum mihi fumosus vertice sudor abit.
Genua labant, totos quatit aeger anhelitus artus,
Et negat expressos languida lingua sonos.
Sic, magis ut miserum lamentarentur, in ipsos
Illorum fletus ingeniosus eram.
Atque meos tandem casus interprete nutu,
(Nam fuit ad suetos hospita lingua modos,)
Undique me turba circumstipante, renarro,
Et queror, indignas illacrimante vices.
Ilicet ex oculis prius omnibus excidit imber,
Et lacrimis grandes intepuere genae.
Inde ferunt Cererem, pressique coagula lactis,
Et, quae vicino fonte fluebat, aquam.
Accedo mensis, et dulcia cymbia lymphae
Haurio, de salso plus tamen imbre bibo.
Demissae sed enim miscebant fercula guttae,
Condibatque rudes flebilis unda cibos.
Ut cessere dapes, viridem foenilia turrim
Nocturni repeto mollia fulcra tori.
Longa sed invisam removet dum cura quietem,
Lassa recusabant membra sopore frui.
Heu mihi! quam picti tum segnis inertia mundi,
Visaque quam tardo sidera nare polo!
Ipsa videbantur glacialis plaustra Bootae
Prensa Lycaonio diriguisse gelu.
Expergiscentis vix tandem cornua lunae
Prospicio summis evigilare jugis.
Suspiro, roseoque pigram Tritonida lecto,
Et queror immites stertere Solis equos:

Invitata meis cum mox Aurora querelis,
  Eoo roseum protulit amne caput.
Consurgo, faustumque precor mihi surgere solem,
  Et Superos supplex in mea vota voco.
Audivere preces: sociae nam nuntia vitae,
  Fraterna venit littera missa manu.
Et brevis illius fuerat sententia scripti:
  Nil mihi rescribas, attamen ipse veni.
Continuo castigo moras, silvamque remensus
  Affero sollicitis Patribus hospes Ave.
Et simul apposita curamus corpora coena,
  Membraque frondoso sternimus apta toro.
Mane petebatur propero Bamberga meatu:
  Naufragii statio portus et illa fuit.
Hic habitat Clariis devota sacraria Musis
  Cultorum Jesu docta caterva Patrum.
Hospita tecta patent, consternatique labore
  Solamur longa perdita membra fame.
Inde Ratisbonam, quam turbidus alluit Ister,
  Et circumfusis luxuriatur agris:
Quasque colit sedes Ingolstadiana juventus,
  Et Monaci celsas, regia tecta, domos;
Mox Hallam petimus, vicinaque moenibus Hallae
  Oppida, quae ruptis alluis, Oene, vadis.
Hinc inter canos, hiberna cacumina, montes,
  Et quae Sol torvis adspicit arva genis,
Brixina Bolsanique procul vineta petuntur,
  Atque Tridentini pinguia rura soli.
Septa latrocinii coecis via rursus ab autris
  Flumineum cautos ire coëgit iter:
Arboreaque super liquidas strue currimus undas,
  Et Latiae tandem radimus arva plagae.
Postera cum roseas lux emersisset in auras,
  Et jam sole recens erubuisset humus,

Pulchra coronatas attollit Mantua turres;
  Altius assurgunt aurea tecta ducis.
Ingredimur: densis glomerantur compita turbis,
  Et populi toto fluctuat unda foro.
Hinc picturatis laqueata palatia saxis,
  Templaque divitibus conspicienda tholis:
Hinc fora mirantum venantur lumina patrum,
  Et foribus celsas porticibusque domos.
Nec minus attonitas opulenta Bononia mentes,
  Nec minus antiquae detinuere Senae.
Una tamen Latias inter Florentia sedes
  Visa mihi nitidos disposuisse lares:
Qualia pubentes variant violaria sulcos,
  Scitaque dispositis floribus arva placent.
Vitiferos illinc, non sobria culmina, montes
  Scandimus, Hetruscos praevehimurque lacus:
Et tandem pluvium coelo revehente Novembrem,
  Flaminiae terimus pulverulenta viae.
Apparent centum pendentia tecta columnis,
  Apparent Latio pegmata celsa foro:
Ipsaque Roma patet. Salve, pulcherrima mundi
  Roma, Palatinis ardua Roma jugis.
Pulchraque tergemini salve domus hospita mundi:
  Divinae salve religionis honos,
Quae mare, quae terras et utroque rubentia sole
  De Capitolino vertice regna vides.
Hinc Quirinales, rerum fastigia, clivi,
  Hinc Vaticanae regia tecta domus.
His Pater attonitum speculatus ab arcibus orbem,
  Regna cui flexo procubuere genu,
Cui polus, et late liquidi patet aetheris aula,
  Et reserat famulas ad pia jussa fores:
O quanta rerum se majestate coronat!
  Quantaque vicinis invidet aula polis!

Ille tamen, qui se mirantibus invehit astris,
  Et cava non humilis nubila tranat apex;
O quantum spatiis indulget, et aëra quantum
  Occupat, et brutam vertice spernit humum!
Scilicet ampla patet Laurentis regia Petri,
  Constantine, tua regia coepta manu.
Hanc circum tot jam lassantur saecula molem,
  Et senium mundi grande fatigat opus.
Interitus abiisse suo tot vidit in ortu,
  Regnaque dum pereunt, nascitur una domus.
Ipsa suo segni miratur machina nisu
  Inconsummata tecta stupere mora.
Dumque vetat tantos operum dormire labores,
  Artificum lentas increpat ipsa manus.
Sic mecum tacitus miror dum moenia, subter
  Densa suburbanum vinea monstrat iter.
Interea pronas Sol detorquebat habenas,
  Et niger adversos Vesper agebat equos.
Farnesiana patet nostrae domus hospita coenae;
  Quae tamen a Jesu nomine nomen habet.
Mane venit. Latiis petimus sacra tecta Camoenis,
  Gregorii sanctae quae posuistis opes.
Hic in Apollineos aliam Parnassida ludos
  Hippocreneae constituere deae.
Haec domus, haec requies nobis, haec meta laborum,
  Non eventuri meta doloris erat.
Nicoleon ipso tecti de limine coepit
  Febris inassuetis sollicitare modis.
Dumque repentino corpus depascitur igne,
  Ante bis ad quartum sueta redire diem:
(Insperata meo quid nuntia demorer ore?)
  Intempestivo funere frater obit.
Non Corcyraeis illum Podalirius herbis,
  Non data Paeonia pharmaca saepe manu:

Non illum fatis, medicis sata gramina campis,
  Non instillatae praeripuistis aquae.
Vidimus attonitos fraterna morte sodales,
  Pallida dejectis flere per ora genis:
Ast ego quas illi lacrimas, quae carmina fundam,
  Singultu medios impediente sonos?
Quaelibet humentes irroret lacrima vultus,
  Est pro materia parva futura sua.
An faciles deflebo suo cum pondere mores,
  Eloquiique sacras et pietatis opes?
An festinati praereptas crimine leti
  Ingenii dotes divitiasque sui?
Caetera quid memorem? Vacuat sua lumina moeror,
  Et lacrimae steriles destituere genas.
Amnis, adulanti quicunque rosaria lympha
  Lambis, et externa vergis in arva fuga;
Et vos, caerulea rivi de plebe minores,
  Qui vehitis domino parva tributa mari:
Et tu, Tibri, tuam qui circumlaberis urbem,
  Et famulas praeter moenia volvis aquas:
Si licet et ripas oculis mutare licebit:
  Per mea flumineas lumina flecte vias.
Flectit, et undosis gemitum singultibus arcet:
  Vix sinit extremum dicere voce Vale.

III.

In nuptiis

Petri Triznae cum Sophia Wollowicia.

Anno 1621.

Est locus, aeterno quem praetereuntia motu
Astra terunt; infra vivis obsessa favillis

Ardet et impastos late domus aggerat ignes.
Huic intertextis superimminet aurea stellis
Regia sidereos curva testudine coetus
Agglomerans: subter rosei laquearia coeli
Didita finitimam terrent incendia Lunam.
  In medio sacris praeses Concordia tectis
Emicat, et gemino ponit discrimina mundo.
Intus inauratis repetita cubilibus ardent
Lumina: nunc fixi per eburnea crusta pyropi
Effundunt splendore diem: nunc colligit atro
Caeruleus livore chalybs: nunc verna smaragdus
Lumina mentitur: vitreo nunc corpore densam
Angustant crystalla diem: sed plurimus auro
Spargitur et late per tecta refulgurat ignis.
  Ipsa domum placida Concordia fronte serenat
Illustri suffulta toro: rubet ebria fuco
Vestis et aurato dimissi carcere crines.
Illam multifido circumnitet Iris amictu,
Et picturata praegnantia nubila zona
Subligat, ingentesque negat crebrescere nimbos.
Pone Semiramio flagrans Hymenaeus in ostro
Concordes thalamis taedas ignemque maritum
Praetendit dextra: circum Choreaeque Decorque
Ingenuique Sales et amœno Gratia vultu
Caesariem per colla vagam flavumque decori
Suggestum crispant capitis: studet ipse pudicis
Floribus et casto contexere vimina vere.
Nam modo virginibus nardis, modo caelibe thymbra
Lilia substringit, modo versicoloris anethi
Exuvias raptumque rosae miscebat honorem.
Illum sutilibus dum necteret aurea nodis
Lilia, Trizniacae florentia Lilia gentis,
Imperat acciri placidis Concordia dictis.
At puer impexis circumstipata ligustris

Serta rapit, celerans gressum, pictoque superbam
Murice verrit humum: tenero placidissima vultu
Alloquitur mater venientem, et talia mandat:
Nate, meae vires, cui connubialia curae
Foedera, scis credo quae nostra per omne potestas
Imperium pateat; seu qua ferus explicat ignes
Mulciber, et trepidae tangit confinia Phoebes,
Seu qua pellustres liber domat Aeolus auras.
Quid memorem late domino populata tridenti
Aequora? perspicuas hiemes, sortita secundum
Regna Jovem? gelidis quid promptos fontibus amnes,
Quaeque procellosas acies et roscida volvunt
Agmina foecundis affines nubibus undae?
Quid segnes Cybeles oras imoque tenacem
Orbe plagam, duplici quam sol circumspicit ortu
Avius et mediam bipolus transverberat axis?
Hic varias dispenso vices: nunc albet in omni
Canities hiberna solo, mutatque jacentes
Pallor agros: nunc Sarmaticis animosa pruinis
Bruma vagos vitreis insternit pontibus amnes:
Nunc teneram ver crinit humum, nunc induit aestas
Messibus, autumnus nunc mitibus aggravat uvis.
Quin etiam miti dum laevigat aequora curru,
Et per inaequales vehitur temone procellas,
Me longe veniente, Thetis demandat iniquis
Exilium ventis: placidis irrepere tonsis
Ipse sopor, lenesque volunt dormire procellae,
Nostra procellosis quoties manus imperat undis.
Praeterea toto pugnantia semina mundo
Tempero. Submittunt proprios elementa furores,
Et conjuratas in mutua proelia vires
Imperiis fregere meis. Humentia siccis
Astrinxere fidem, jurarunt frigora flammis.
Quin etiam populos et debellata tyrannis

Moenia, captivas urbes populataque late
Regna sacrosancto socialia foedere servo.
Gentibus hinc leges veniunt variosque secuta
Plebs diversa status; his coelitis otia vitae
Et secura placent vanarum oblivia rerum.
Illis sub galea longo canescere Marte
Sedit et aequaevam thorace effundere barbam.
Immotae leges alios aeternaque poscunt
Conjugii sancita et ineluctabile vinclum.
Et nunc illustri ducens ab origine nomen
Triznius, et magna sata Vollovicias aula
Casta volunt testes in foedera jungere dextras.
Ergo age, junge citos volucri temone jugales
Et faustas invise domos, sacroque favore
Arcta maritales in vincula stringe favillas.
Quin etiam cultus et connubialia laetus
Festa para, mensasque pio largire paratu.
Sic mater. Matri roseo sic filius ore:
Excelsam genitrix sobolem submittit amico
Illustris Fortuna jugo: qua voce recentis
Enumerem laudes nativaque dona mariti?
Talis in Argivas Hector mucrone cohortes
Emicuit: talem fugiebant Troica Pyrrhum
Agmina, cum denso volitantis fulmine teli
Laomedonteae repulit convitia Trojae.
Huic et Echionius sua supposuisset Arion
Terga sagittiferas super assilientia turmas.
Quique repentinos praevertitur aliger Euros,
Bellerephonteae sonipes auditor habenae
Hortantis plausus ac imperiosa tulisset
Verbera. Nam quis eo fraenorum lege superbos
Agglomerare gradus segnesque relinquere ventos
Ocior? Immotam veluti fera tergora sedem
Occupat, et portantis equi decrescit in artus.

Talem illum genitrix nuper gaudentia propter
Flumina, mirantis vidi super aggere ripae,
Dum volucres propere super arva patentia cursus
Explicat, innumeroque premit spatiosa rotatu
Jugera: ter periere viae, ter adorta reversum
Ungula stravit iter redeunte per ardua gyro
Culmina; spectabant hilares de monte Napeae
Et Litavae Driades, et vilia numina Fauni
Festivis equitem circum sonuere choreis.
Quis reliquas juvenis laudes generisque vetustam
Enumeret retro sobolem? Dimissus ab illa
Stirpe tamen fuerat, cujus Novogroda sub armis
Bistonias acies effraenatamque Scytharum
Elusit rabiem, et victricia rettulit arma.
Hujus ego serum per plurima lustra nepotem
Ingenuis dono thalamis et sorte beatae
Conjugis. O quantos nova nupta meretur honores!
Quos aditus illi laudum? Quo detonet orsu,
Nutat et ambiguo facundia fluctuat ore,
Verbaque cunctantes acuunt sub pectore curas.
Hinc me collectae rapit alta modestia frontis,
Inde verecundo certus sub sanguine candor
Et pudor et niveos distinguens purpura vultus.
Virgineis quae forma comis! quae vertice regnat
Majestas! quoties bifidum religantur in orbem
Ingenui crines et castigata magistro
Pectine caesaries. Sic summa cacumina nodis
Lilia substringunt, cum pubescentia primo
Flore coronantur, quae mane tenerrimus Auster
Et matutinis aluere vaporibus aurae.
Quid vigiles nuptae curas docilisque labores
Enumerem dextrae? studiis operata Minervae
Stamina Sidoniisque vagas erroribus artes?
Saepe quidem, mater, referentia texta videbam

Pene locuturas adjecto flamine formas,
Ipsa sua quas scripsit acu: sed nobile nuper
Stamen et artifici deductas pollice fraudes
Obstupui, quas ipsa sacras appendit ad aras,
Divorumque pios jussit obnubere vultus.
Illa nec egregii generis stirpisque decora
Luce caret. Memorat longe demista propago
Et decus et saevis Mavortia signa trophaeis.
Hinc aequum fœdus proavitaque fama maritis
Tollitur arce pari, similique supervolat ala
Mirantes terras. Quantum premit ille potentes
Heroas, tantum conjux heroidas exstat.
Ergo verecundo conjungere pectora nexu
Amborum sors æqua cupit mensisque superbas
Instaurare dapes. Nostris adlabere tantum,
O genitrix, votis, sacrosque ordire labores.
  Dixerat, ingenuumque fovens super ora tumorem,
Risit et insuetis accendit lumina flammis.
Olli purpureos submisit ad oscula vultus
Mater, et hærentem blandis circumdedit ulnis.
Tum pictas humeris vestes capitique coronam
Ipsa locat pinguique comam deducit amomo.
Et motus gressumque docet jussosque frequentat
In puero laudans mores, mulcetque scientem.
At pudor in niveas effuso sanguine malas
Virgineam incendit faciem ciliique serenos
Adcomit nutus, et apertæ frontis honorem
Explicat; inde suo translata monilia collo
Appendit. Dulci lassatur pondere cervix,
Et picturatos torques adverberat artus.
Nec minus et Choreæ, laxæ modo tegmina pallæ
Substringunt zonis, teretis modo dente pyropi
Vela Cythereasque vetant descendere vestes.
Laetitiæ retro circumplaudentibus alis

Auricomum rapiunt agmen vexantque modesto
Pectine: ceu Boreae cum debellatus amicis
Africus irrupit campis: non amplius udo
Imbre gravis pennisque sonans, adsibilat herbis
Blandius et teneros depectit flatibus agros.
Haec facilis laeto prospectans Gratia visu
Discebat sacros habitus artesque notabat:
Quo vestem laxare sinu, quas scribere rugas
Vestibus, intonsum quo derivare cacumen
Descensu, pallam quo circumflectere gyro,
Quo deceat nodo laxos revocare capillos.
Sic, ait, egregiam festivo tempore nuptam
Hac ornabo manu: sic demigrante capillo
Aequatos humeros alternaque brachia spargam:
Sic interposito plaudam devexa monili
Pectora: sic imo cingam vestigia limbo.
Interea sacra properans Hymenaeus ab arce
It notam visurus humum, qua Vilna futuræ
Lucis adornabat genialibus orgia festis.
Adsiliunt famuli niveisque tapetibus altos
Insternunt propere currus flavosque jugales
Lora subire jubent; tum ditibus aurea fraenis
Cingula lucentesque trahunt per tergora zonas.
Accurrunt comites Choreae Moresque Decorque,
Laetitiæ faciles et amœno Gaudia vultu,
Gratia facundique Sales et densa Pudorum
Agmina. Multa quidem properabat turba locorum
Sidereis haesura rotis, sed seligit omni
Ex numero paucos Hymen; reliquosque severis
Nutibus et summæ depellit verbere virgae.
Tum vero sese supremi vertice currus
Collocat et volucrum cursus moderatur equorum.
Ilicet ut Litavas nemorosa per avia valles
Conspexit laetique nitentia tecta Slonimi,

Omne deum vocale nemus circumsalit, omnes
Alituum late circumplausere catervae.
Tum vero liquidi questus aviumque canora
Proelia demulcent auras, brumaque statutum
Carmen et argutis resonant convitia silvis.
Hic desolatas affantur acanthides ornos,
Hic Pandioniae volucres nemorumque magistrae
Dauliades moestas solantur murmure pinus.
Alternisque canunt montes, freta, nubila, valles:
Hymen, o Hymenæe, Hymen ades, o Hymenæe.
Donec ad optatam Zephyris velocior aulam
Appulit. Arrisere fores, arrisit ovanti
Ipse locus madidique sacro nidore penates.
Ingreditur prior ipse domum; tum cuncta sereno
Irradiat visu tectisque potentis alumnae
Prodigus aethereum late dispensat honorem.
Amplius et tignis radiat jubar, amplior aedem
Sol habitat tenuique affligens lumina vitro
Aurea ludentem jacit in laquearia flammam.
Sublimis solio Pudor imperat; aurea juxta
Lilia, Trizniacae florentia Lilia stirpis,
Quae triplici quondam mater Concordia nodo
Nexuerat, castis demandat dona maritis.
Accurrunt Choreae celeres lateque pudico
Flore pavimentum sternunt aut agmine facto
Pulverulenta cavis everrunt nubila pennis.
Ipsa manu tenera formosos Gratia postes
Pingit et Elysiis inscribit limina succis.,
Tecta Sales obeunt et amicae cornua mensae
Compositis cinxere choris: at sana Voluptas
Facundos sedet ad cyathos et sobria vina
Temperat affusaque jubet mansuescere lympha.
Laetitiae diversa tenent: pars occupat altas
Ascensu sedes, ubi plumbeus ordo fenestras

Colligit et lucem per aperta palatia vibrat:
Pars picturatis lucentia texta trichoris
Incerta rapuere manu: pars limina servant.
Sic, ubi nectarei populatae germina floris
Artifices mellis per Hymettia rura catervae
Delatae Zephyris patrios subiere penates,
Densantur reduces; illæ natale pererrant
Hospitium pinguesque domos: hae patria fidis
Tecta fovent cuneis: illae praesepia cari
Liminis et vigili portam statione tuentur.

IV.

In nuptiis

Joannis Rakowski, filii Castellani Visnensis,
cum Catharina Eugenia Tyszkiewicia, filia Janussii
Skumin Tyszkiewicz, Notarii M. D. Lituaniae.

Anno 1622.

a) Carmen ad parentem sponsae.

O vir, avis atavisque potens, quem nescia virtus
Funeris, in mediis sublimem laudibus altum
Tyszkiewiciadum generi dedit: inclite gestis,
Inclite consilio, seu cum Mavortia bello
Castra calent, seu cum placidam Pax crispat olivam.
Te Moschus validam ducentem ad signa cohortem
Fulminea metuendum hasta ferroque potenti
Vidit et ingemuit. Te, perfida Suecia regi
Dum negat assensus haeredi obstatque furendo,
Sensit Janussum; sensit praestantibus armis
Skuminidae virtus quantas daret ignea clades.
Cum jugulum peterent civilia proelia regni,

Tristis et infaustas sereret discordia flammas,
Cognataeque acies victrici in viscera quondam
Corruerent dextra, quantum sapientia doctis
Nata scholis semperque libris nutrita legendis,
Posset sanguineis audax concurrere sicis.
Scit Sigismundus, scit magni curia regis,
Agnovit fidamque manum mentemque benignam
Ponere non timidam patriae pro nomine pectus.
Triginta testes anni, quos regia vidit,
Dura laboratae tolerantes munera vitae.
Et reor, exhaustos numerabis grata labores,
Patria, cultoremque tuum, conversa, benigno
Respicies oculo. Vel ubi fera ruperit annos
Atropos, et scindet maturae fila senectae,
Posthuma fama viri dicet per Lechica regna
Perque oras Litalas, virtutem et digna labore
Praemia. Nunc autem consuetus Apollo severas
Explodat curas, et fractos leniat annos,
Leniat, et claro veniens de sanguine natae
Eugeniae virtus, quam nunc Rakovius heros
Clarus avis, clarus Musis et nomine clarus,
Jungere et unanimi gaudet concurrere dextra.
Aspirate poli coeptis; Castorque benignis
Provehat auspiciis, et amico rideat astro.
Hoc tibi nostra domus, genitorque precatur amico
Joannes, Janusse, animo; concordia felix
Rakovio Eugeniam societ, sit dextera constans,
Certaque speratae promittat foedera pacis.

b) Poëma ad neosponsos.

Concordes animos et amicae fortia pacis
Fœdera concordi Musa cano. Dirige vocem,
Melpomene, placidoque fave, Concordia, vultu.
Est locus, aurati quem cingunt undique soles

Innubesque micant luces; hunc nulla severo
Turbat hiems flatu, discordia jurgia nullae
Thraces agunt animae; namque umbris mollibus istic
Invitata suam fixit Concordia sedem.
Florida planities Zephyro contenta colono
Fundit opes virides et amoeni gaudia campi
Provocat: indulget grati clementia veris,
Largaque dispersos mentitur Flora colores.
At nemus et laetis silvarum scena theatris
Circuit egregio defixa palatia campo.
Hic volucres cantu noctemque diemque fatigant
Inclinante umbra, qua frondibus arbor opacis
Hospitium certat sociare, tumentque virentes
Laetitia silvae, nimiumque rigescere solem
Praecipiunt, franguntque aestatem obstantque calori.
At Bellum (tetrico discors in carcere Bellum
Induit invito victricia vincula collo)
Sanguineos torquens oculos, nunc increpat hastam
Jam pigram, et nullum spirantia cornua Martem,
Jam gemit et vacua respectat in aëra dextra.
Illi torva oculos pansis Audacia dextris
Assidet, Impietasque suo satiata cruore,
Et Dolor, et Parthis Vindicta armata sagittis.
Hic variis discreta locis, discreta figuris
Signa solent rerum, levitas quibus adjacet, auras
Vertice respiciunt: gravitas quas deprimit, imae
Ima petunt: pariter junguntur et humida siccis
Mixtaque simplicibus. Tali sedet aurea tecto
Laetaque florentes Concordia temperat annos.
At domus interior fervet coëuntibus extra
Agminibus, strictumque deas vix explicat aequor.
Hic laetae Charites et Oreades, albaque vultum
Gratia praetendit dextra felicis olivae
Pignora, dilectae signum laetabile Pacis.

At circum Plausus et honesta fronte Choreae
Laetitiaeque leves et mulcens Musica silvas
Cantibus, et solitae nescire silentia chordae,
Garrula plectra sonant, citharaeque per arva loquaces
Crispato carmen nemori silvisque loquuntur.
Et Lusus castique Sales, immixta locisque
Gaudia (flat Zephyris invecta faventibus aestas)
Consociant hilares per amoena palatia gressus.
Omnibus ex oculis spirat pudor, omnibus alma
Laetitia frons alta tumet, sertisque pudicis
Sidereoque virent enodes vere capilli.
Hic hilares luces et nullo turbida limo
Gaudia prorumpunt: maculari casta nigranti
Nescit faece dies: dominos Concordia nutus
Temperat et niveas decurrere praecipit horas.
Exultant comites et vita Nestora serum
Praecurrunt casumque premunt sortemque malignam.
Nunc choreis, nunc illa jocis plebs mollis amorum
Indulget querulosque procul jubet ire dolores.
Hic ut forte suum cursu praeverterat agmen
Laetitia, auratis credebat murmura silvis,
Et teneras avium prona bibit aure querelas.
Interea Rumor Litavis dilapsus ab oris
Pictus acu chlamydem, vigilantia lumina torquens
Mentitusque Argum, celeri juga florida cursu
Praevolat, et resonum dispensat in aëra murmur
Laetitiam aere vocans et honesti Gaudia vultus.
Illa volat succincta togam, dispersa capillos;
Constitit, observat voces, juga corripit, auras
Explorat, quis Misenus, quis mulceat auras?
Ecce iterum Rumor sponsalia laeta canebat
Eugeniae Tyszkiewiciae clarique Joannis
Rakowski, laetus sponsalia laeta canebat.
Excipiunt saltus et silva remurmurat ingens

Voce lacessita et valido clamore vocata.
Reddidit extemplo mutilis se vocibus Echo,
Echo, quae resonis ducit sub vallibus aevum
Gramineo dotata toro, fingitque per auras
Responsa et voces fallax imitatur heriles,
Trunca labris, confusa oculos et vertice trunca.
Ergo dum Rumor sponsalia laeta canebat,
Eugeniae Tyszkiewiciae sponsalia, reddit
Haec: *alia,* et certat magis importuna scelesto
Murmure; sic illam vulgum docuisse ferebant,
Invidiamque trucem, laetis quae tabida rebus
Corde suo saturata iubet. Sponsalia Rumor
Reppetit. Echo *aliam* magis importuna canebat.
Ecce autem vallesque inter silvamque profundam,
Arboream et plebem Crux se regina ferebat,
Insignem crispata comam, crispata coronam
Sideream, te, Echo, quaerens, te pulvere toto
Vociferans. Fugit, ex oculis fugit, avolat Echo.
Avolat et vinctis equitat per caerula Cauris.
Parte alia dum forte feras turbamque coërcet
Villosam, et praedas astris scrutatur amicis,
Audiit et mutilas mirata est Luna querelas.
Cervabus volat ergo suis invecta per umbras
Arboreas, te, Echo, quaerens, nec repperit ullum
Auctorem vocis. Postquam tamen illa vocata,
(Nescia fraenatam religare in vincula vocem)
Prodidit, insidiasque loci vox aegra retexit;
Sic indignanti Crux Lunaque detonat ore:
Quis te tam falsas silvis dispergere voces
Invida, coeca Echo, dirum quis fingere murmur
Discipulam docuit? Sponsalia laeta Rakowski
Eugeniae Tyszkiewiciae Cruce et auspice Luna
Jam securus obit, jam parta virgine gaudet.
Tune paras turbare animos, turbare petitum

Foedus et optatae confinia rumpere pacis
Niteris? et falsa sic ludis imagine vocis?
Credo tibi sopitus amor suppressaque flamma?
Narcissi tibi vivit amor, nec flamma quievit!
Cede ferox silvis, vocem preme, visito ventos.
Hoc nemorum praefecta tibi reginaque saltus,
Lunaque Cruxque jubent et certas nuntiat iras.
Dixerat. Illa leves perterrita cessit in auras.
Jam minor atque minor, dominisque exterrita verbis,
Alba genas, antrum Nihili crudele petivit.
Et jam nox piceis invecta per aëra pennis
(Urget enim senium lassi sub fine diei)
Nigra comam, pullata togam, stellataque vultum,
Multivagas picto disjecerat aethere stellas.
Stabat, et in viridi demerserat aequore plantam
(Tantus amor spectare polum pictumque decoris
Sideribus campum) cupido Concordia vultu
Sidereas visura faces ignesque minores.
Stant circum natae volucres et Gratia triplex
Cincta comam lauro Tyrioque corusca sub ostro,
Et Jocus, et tenero florentia Gaudia vultu,
Atque hic quod certo Rumor disperserat ore,
Laetitia auditum repetebat in agmine murmur,
Disjectamque Echo, silvisque valere relictis
Extorrem Nihili trepidantia tecta subisse.
Haeret in aspectu cunctis polus, omnibus astra
Abripiunt oculos. Concordia at ipsa canebat
Ut crudele chaos, formidatisque tenebris
Armatum Nihilum valido Sapientia motu
Dispulit: ut mediis Ordo processit ab undis,
Impiger ad nutus: ut pulchro sidera gyro
Ingentesque poli steterunt sermone vocati,
Primaque nascentis fota est infantia mundi.
Et simul illimem per gemmea jugera Pontum

Qui vitreis lascivit aquis et in aethere ludit
Eridanum, digito monstrat sociabus amico.
En Tyszkiewicii decus immortale coruscat
Sanguinis (alloquitur) nunquam bonus ille sitire
Ardet, ut aestivi latrator Sirius astri
Edidicit: reprimit solem, fecundus amoeno
Gurgite solatur campos, sanatque perusta
Gramina, et innumero gemmarum pondere gaudet.
Quin etiam tacito rutilantia Lilia campo
Prospicit Elisii. Salvete! (exclamat) amico
Lilia digna polo, superis bene Lilia digna,
Paciadum gentis: cedunt nunc illa Rakowski.
Non Paesti foetus, nec vos brevis educat hortus
Hesperidum; vos prata poli, vos candida comunt
Gaudia, digna polo, coelo bene Lilia digna.
Interea claro figunt dum lumina coelo
Et vaga purpureis scintillant sidera signis,
(Mira cano) totus laetis concentibus aether
Miscetur, plaudit polus, et stellantia ovanti
Agmina vertuntur gyro plaususque frequentant.
Ipsaque jam festas meditatur Luna choreas,
Nunc quassans cornu auratum, se reprimit, atque
Cunctantem vetat ire pedem, modo gaudia rursus
Abripiunt, volat ergo celer diffusaque plausu,
Lumen agit late, totoque extenditur ingens
Aëre, formosumque rotat per sidera cornu.
Evigilant campi, surgit nemus, altaque divam
Aequora mirantur dominam quae gaudia noctis
Praecipitent? quae causa vocet geminare choreas?
Ast alia de parte Cruces per sidera ternae
Discurrunt ducibus stellis placidoque triumphant
Agmine, et innubem nox provocat aemula solem.
Exspectant comites divae, cupidaeque requirunt
Eventum, nequeuntque expleri tanta tuendo.

Sic ubi praecipiti dubium certamine campum
Corripuere acies et ahenis bellica signis
Tempestas, dubiusque volas, Gradive, per aequor,
Quae spectatores oculos, quae gaudia pascunt!
Arrectae pendent spes, exsultantiaque haurit
Corda labor; sic Lunam illae videre volantem.
Ecce autem stellae concordes lucida jungunt
Agmina, convisitque suas tres una sorores:
Excipiunt sese faciles tacitoque salutant
Murmure. Tum mediis circumnitet annulus astris
(Agnovit pressitque piam Concordia fraudem)
Sidereis nitidus radiis, ingensque superbit
Aethere majestas: rata Luna nitescere fratrem
Advolat, et cornu summa de parte pependit.
Huc etiam coiere Cruces, coiere quaterna
Sidera et ingentem sensit polus omnis honorem
Diffundi, mediumque actis Phaëtonta tenebris
Fulgere, tum tenera plausit Concordia palma
Et roseas diffusa genas, sic astra lacessit:
  Estis, io, superi! quando concordia cerno
Sidera, concordem Lunamque Crucesque benigno
Ire polo! Unde Cruces? coëunt quo sidera motu?
(Excipiunt comites) quid pulchro Cynthia vultu,
Quid notat? O mater, cupidas ne ludito mentes.
Annuit, et placidis retegit Concordia dictis:
Crux haec terna (notat digito), quae luce serena
Purpurat, haec clari clarissima stemmata gestat
Rakovii generis, cujus de stirpe Joannes;
Quantus! quantus adhuc primo vel flore juventae!
Quas non ille plagas, quas non penetravit ad oras
Igneus, ut magno dispersam prendere mundo,
Aurea, te canis posset, sapientia, curis.
Parisiae videre deae, Germania vidit
Ingenium juvenis felix, altaeque benignam

Temperiem mentis: tuque, inclite, gloria magni,
Wladislaë, patris, (cujus memorabile robur
Moschus et attoniti vidit domus alta Smolensci,
Quantus equis, quantusque armis, quantusque per arva
Magnanimo validum spirares robore Martem)
Spectasti, Princeps, quantas natura Joanni
Ingenii concessit opes, et quantus Apollo
Mente sedet, qualis decurrit lactea linguae
Copia permulcens, bellatoremque tumultum
Excutiens, frangensque minas pro Principe caro,
Explicitum mediis pectus sacrare periclis,
Herculeum pectus, doctum calcare timores.
Regius hunc dignatus amor, dignatus honorque,
Lechiacos inter proceres ad magna vocatum
Munera, sublimi consistere jussit in aula.
Ecquid Adalbertum tento memorare parentem?
Plocia scit, pangentque suas per saecula laudes
Plociades Nymphae, qua Vistula limpidus agros
Perlavat; his clarus vivit Capitaneus oris
Nescius in mortem; scit Visna gemitque parentem
Abreptum, (quantum tetricae violentia Clothus
Saeva potest) gemit abreptum, sed nulla praeesse
Saecla tuae poterunt, pie Castellanee, famae:
O quantum regi charus, tibi, patria, quantum!
    Quid Sophiae matris retegam genus, altaque gentis
Lumina Paciadum? percurrit gloria terras
Nicolei, et superos rimatur adire Penates,
Illum Italae gentes, illum Polonia dicet.
Pastoremque suum dives Samogitia dicet.
Et Petrum sua laus ornat, grataeque Camoenae
Ingeniumque viri clamant et Martia bello
Dextera, Kircholmi tumuli, plaga Livonis armis
Territa, Relligioque pios experta favores;
Candida quae Divi surgit de nomine Marci,

Haud ingrata polo, tali Rakovius heros
Majorum virtute nitet semperque nitebit.
  Atque hic plura loqui Concordia laeta parabat;
Gratia sed rupit: dic, inquit, origine, mater,
A prima, quid Luna notat, quid praevia stella?
Excipit illa: cavum quae Cynthia sustinet orbem
Sanguinis est Tyszkievicii decus, inclita terrae
Gloria Littalicae, virgo quo sanguine surgit
Nobilis, Eugeniam sic illam nomine signant.
Illam forma decens et honesti purpura vultus
Pingit, et ipse pudor collum praecingit eburnum.
Virginitas oculis et toto prodita lucet
Corpore, virgineusque metus, solitusque timere
Cuncta pudor, sic jussa humilem proba palpebra [terram
Designat, mater prospectat plurima vultu;
Quod stupeas (rarum hoc) formae concordia magna,
Magna pudicitiae, nativam credo Dianam
Aemula consequitur. Fausto sed prodidit ortu
Eugeniam Litalis clarus Janussius oris.
  Virgo, parente tuo gaude, quem regia triplex
Tergemini regis sensit coluitque fidelem.
Ille repentino, tuba seu Mavortia, cantu
Provocet in campos, et ahenus proelia ductor
Dissipet, aeratum doctus volitare per agmen,
Arma per, ancipites gladios et hianta tela,
Sanguineasque neces et aperta cadavera, fidum
Sternere equum, manibusque manum, pedibusque pe-[demque
Figere, et eversa decedere victor arena.
Palladium seu prendat opus, sacretque Camoenis
Otia, prudentes nocturna silentia curas
Advertere libros domino niveamque papyrum
Atque habiles calamos gressu celerante ferentes.
Divitias fandi scrutatur, et ore diserto
Ingenii dispensat opes tacitasque per umbras

Ventilat exortas mitis Prudentia causas.
Hic nunc Littalica cum laude Notarius ora,
Quam bene victuris commendat nomina chartis
Et calcaturus cineres, et praepete Famae
Remigio, meritus superas naturus ad arces.
 Euge beate senex, saeclis victure futuris,
Invidia major, nec fato subditus ulli,
Littalico clarus coelo, clarusque Polono,
Exige Nestoreos fatis ridentibus annos,
Cum Narusevicio, quem nunc respublica claro
(Maternum unde genus natae) praefecit honori.
Atque ubi depinxit seriem turbaeque retexit,
Unde Cruces veniant, quo praeside Cynthia constet
Respiciens coelum sic alta voce precatur:
Vivite concordes animae, domus utraque sorte
Consociata pari virides ad sidera laudes
Efferat, egregii patriaeque Deoque labores
Festinent famam aeternam memoresque triumphos
Magnanimo generi atque pio. Ilicet Echo
Reddit: *Io;* polus addit: *Io;* nemus assonat: *Io.*
Haec super increpuit laetis Concordia signis,
Suscitat et resides ad carmina Musica chordas.

V.

In nuptiis

Alberti, Ducis Radivilii, cum Anna Zenovicia.

Anno 1628.

Idyllion

At non ignavae sopitis cantibus ultra
Otia ament chordae, neque inertia fila canorae
Mutescant citharae; festo sed pollice paean
Ducat ebur, placido resides et pectine nervos

Ad nova plaudentis moduletur gaudia Vilnae.
Jamque redux ab agris et fertilis ubere glebae
Autumnus Litavas dives descendit in urbes
Munera laetitiamque gerens: hunc grandibus ales
Armiger ipse levat pennis, et laeva corymbis
Lora ciet. Liquidas volucri quocumque per auras
Volvuntur super axe rotae, fremit ebria toto
Terra procul vino, ripasque egressus Iäcchus
Ad sua mirantes invitat pocula Nymphas.
Jam pater, herbosae recubat qui margine ripae,
Vilia cyaneum summa caput extulit unda,
Caeruleamque vocat plebem. Ruit undique glaucus
Ad patris mandata chorus; pars dulcia dicunt
Carmina, pars liquidos ad saxa sonantia fluctus
Allidunt gnari miscentque sonoribus auras;
Pars hilares ducunt gyros pronisque caducas
Verticibus rapiunt lymphas plauduntque choreas.
O merito! quis enim tacito non pectora sensu
Mulceat et tristes animi non eluat aestus,
Cum nova se totis facies indulget ab oris
Laetitiae, multusque ruit per tecta, per urbem
Splendor, et hospitiis sese dignantur Honores,
Ingentesque atavis et celsi nomine fasces
Littalidum late Jagelonia limina densant.
Quis globus, o Musae, tanta se mole per urbem
Magnanimum heroum diffundit et hospita magnis
Tecta oculis metitur? an haec sunt illa virorum
Concilia, Eleo cum victrix pulvere ludos
Buccina personuit, solitosque induxit Achivis
Certatus? quorum nondum piger alligat artus
Sanguis, et ingenuo regnant sub pectore vires:
Quosque ciet magnorum operum sibi conscia virtus,
Conveniunt pulchraque audent pro laude periclis
Dignari sese. At non hic pugnacia cano

Pulvere pressa ardent vestigia: nulla futuris
Cursibus optatas attollit gloria palmas,
Nullaque sollicitas exspectat meta quadrigas.
Ast aliis Radivillus Hymen certatibus ultro
Instituit metas, alias nunc ducere pompas
Apparat, atque alio metam contingere plausu.
Ite, pares animae, pactis incurrite metis
Unanimes, pulchroque avidi indulgete labori.
Addite vos lata in spatia et super excita campi
Aequora, quo clamatus Hymen, quo pactus adurget
Ardor, et ambitam dextris invadite palmam.
Omnia fausta ferunt Superi, favet hospita vobis
Heroum cavea, et studiis pia vota secundis
Affremit, externis hilares funduntur ab oris
Magnanimique Duces, et purpura sanguine florens.
Ite, alacres sponsi; patriae vos lumina visu
Observant animisque favent plausuque sequuntur.
Hic melior vobis Eleo pulvere campus,
Pulchrior hic fessos sudor decurrit in artus,
Et magis adducunt trepidum suspiria pectus.
Hic et anhelantis laus est producere cordis
Ardentes gemitus lassasque labore medullas
Excoquere, et caras nativo murice malas
Pingere. Felices animae, felicia certe
Bella fatigatis; sed ad haec quis Olympia plectro
Aonio fretus citharaque effultus eburna
Pindarus accedet? tantos qui carmine ludos
Invideat morti meritoque attollat honore
Saecla per, et cani non emorientia mundi
Tempora; nam sacro quos hic cantaverat ore
Aetherea sublatus olor Cadmeius aura,
Non illos ingrata dies memori eximet aevo.
Vivent, ac clarum solvi metuentibus alis
Gloria nomen aget. Quantam o nunc ille canendi

Spectaret segetem, quando Radivillius inde,
Inde suo staret praelustris sanguine virgo
Zenovias? quanto nunc ille Ismenius ales
Dedignatus humum superasque ablatus in auras,
Dux Radiville, tuas memoraret carmine laudes,
Atque retro praelustre genus famamque caduco
Tempore majorem. Qualis pulcherrimus astris
Lucifer, auratas cum praevius ante choreas
Stellarum, roseo crines circumlitus ostro
Fulgurat, et longe flammarum prodigus ardet;
Continuo cedunt humiles ex ordine stellae,
Atque verecundas submittunt sidera flammas;
Ille micat, largoque humectat lumine coelum:
Purpureos vultus tacitus miratur Olympus.
Sic ubi Sarmatico diffudit lumina coelo
Par superis sanguis Radivillus, et avia longe
Heroi lucem generis per regna refudit,
Omnis adorantes submittit gloria vultus,
Atque graves rerum titulos momentaque honorum
E Radivillorum metitur provida fatis.
  Haec domus est, qua nixa salus nutantis ab imo
Surrexit patriae, viridesque evenit in annos
Pulchrior; hinc senii tristes exuta tenebras
Littalia occiduum revocat jubar, altior aspris
Casibus, invidiaque nigri sublimior Orci.
  Ac veluti roseus quoties super aethera Titan
Molitur reduces currus, cum languida sentit
Alipedum solitis viduari pectora flammis,
Castalios repetit fontes, aut dulcia glaucae
Doridos antra subit notisque immergitur undis,
Unde novo cupidis terris revirescat in igni:
Sic ubi jam tristes lugens Lithuania noctes
Occasusque suos pallenti saepe videbat
Lumine, mox Radivillorum confugit ad amnes

Sanguineos: hoc se quoties demersit in alveo,
Densa licet Scythicis tempestas surgeret Euris,
Atque cruentatae incestarent aethera lunae
Threiciis saevae furiis, licet horrida toto
Frigore barbaricis rabies bacchetur ab oris,
Altius evexit caput, et crudelia Martis
Imperturbato risit discrimina vultu.
 Hoc Litavi Alcidae venerunt sanguine fessis
Jam patriae rebus, qui non Symplegadas arcu,
Ingenio quondam fabricata pericula vatum,
Dejicerent, variis neque torta volumina gyris,
Sibilaque ora levi dextra pressere, vel hydram
Mortibus armatam centum per pigra paludis
Extendere vada et notas mersere sub umbras.
Ast alias reperit virtus Radivillia pestes,
Immanesque Erebi volucres, quas tristis Erinnys
Educat in fraudesque animat; queis torvus in ore
Horrescit terror, vivunt pro sanguine flammæ,
Mens coecis obtorta dolis jurataque magnae
Lechiae in exitium; ni se Radivillia, tantas
Fatalis virtus dextra subvertere pestes,
Opponat, patriisque procul de finibus ausus
Arceat infames; quoties immanis ab Arcto
Tempestas ierat Moschi, terrasque colonosque
Et viduas factura urbes solosque Penates:
Ni vigil ad tantas Ales Radivillia clades
Ingentis non parca animae gentilibus armis
Surgeret et sese numeroso opponeret hosti.
 Atque adeo jam nunc volucri labentia coelo
Saecula, perpetuique Anni, quos educat Aevum
Obscura in rerum specula, tortoque Draconis
Immensi supraque infraque volumine gyrat,
Huc vigiles oculos atque indeflexa sopore
Lumina ferte, precor, quidquid videre per orbem

Virtutis transacta retro jam saecula, quidquid
Postera venturo cernetis tempora mundo,
Jam Radivillorum perfectum sanguine abunde est.
Hoc Decios sibi Roma suos e sanguine vellet:
Curtius hinc genitus pallentes fortius isset
In foveas funesta sacer discrimina moestae
Italiae asportans: Fabias hac stirpe cohortes
Censeret Romana salus felicius olim,
Ni melior fatis sibi demeruisset Olympum
Lechia, Romulaeque decus praeverteret urbis.
  Quis decora alta virum numerosa per atria mente
Perlegat et quanti fulgentia tempora tollant
Palladiis cincti foliis, queis ipsa perennem
Indulsit natura undam sermonis et alti
Consilii robur, quoties defecta vocaret
Patria praesidium: quot sunt, quibus aurea prono
Laurea de coelo munus pietatis avitae
Descendit, sacroque comas deduxit in ostro?
Quot galeis armata gerunt cava tempora Martis
Armipotens sanguis, belloque haud frigida proles?
Sed mihi jam radiis oculos praestringit acutis
Nescio quis Tyrio totus flammatus in ostro
Egregius forma juvenis cristisque decorus,
Lux Radivillorum, generis sublime trophaeum.
Agmine quem denso late comitantur Honores,
Atque pares geminant Mavortia classica laudes.
Aureus impavido vigilat pro pectore thorax
Artifici magnae caelatus imagine pugnae;
Sanguinis et Suisci nudo sitis ardet in ense.
Tantus erat ferro, tantum patris instar in illo est.
Hos olim valida dum fundunt millia dextra
Infidosque metunt Modocas Livonesque Gelonosque
Et refugos in bella Scythas, mirata calorem
Gloria, mansuris florentia nomina ceris

Addidit, et canos aevi transmisit in annos.
Ast ego quid tantas deduco carmine laudes
Divinasque animas angusto pectore verso,
Queis brevis est orbis, quos non capit axis utroque
Margine, quae regio Radivillæ haud conscia famæ est?
Atque adeo jam nunc tantas Lithuania taedas
Ventilat, et fausto connivent sidera nutu,
Unde pares abavis surgant in regna nepotes.
Hinc etenim nivea promittit foedera dextra
Inque manum Radivilliadae Zenovia cedit
Virgo, quas gemino ducet de sanguine vires
Posteritas! quoties hinc magni patris avita
Incendet natos virtus: hinc gloria matris,
Cui similis de Marte gradus, veterique decora
Florescit virtute domus: nec magna senatus
Lumina defuerint, et celsis stemmata ceris.
Hinc fortes sibi bella duces, hinc curia fasces
Atque Palatinas sumebat fama curules.
Nunc satis est, hunc namque diem tibi ducit Olym-
Lux Radivilliadum, vestras Lithuania taedas [pus,
Ventilat Auroramque probat, quae clara nepotum
Astra Palaemoniis infundat finibus olim.
Nunc igitur fausti aspectant dum foedera Divi
Pronaque clementi conspirant sidera nutu,
Perpetuos servate toros, quos aemula proles
Illustret, longumque ferat rediviva per aevum
Nomen avis atavisque potens, quae Martia jussis
Castra regat, sciat et leges imponere paci:
Quam repetat supplex in avitos purpura fasces,
Quae Radivilliadas animosa mente Leones
Imperioque Lechisque ferat, quae grandibus orsis
Te quoquo viventem memores extendat in annos.
Sic ruat heroae Radivilla licentia linguae,
Quae regat et dictis populos et voce senatum.

Tu quoque Littalidum longe pulcherrima virgo,
Lux Zenoviciadum, tanto possessa marito,
Aeterna videas celebrari laude nepotes,
Utque verecundo consurgit Cynthia vultu
Nocturnas praevecta faces vulgusque serenum
Stellarum gaudens denso percenset Olympo:
Sic Radivilliacas diffunde per aethera stellas
Et patriae effundas numeroso examine lucem.
Perseus ultrices hinc stringat acinacis iras
In patriae pestes; hoc sanguine cretus Orion
Altius attollat capulum. Sic sidera spondent.

VI.

Fragmentum

Libri undecimi Lechiados.

Aurea jam rutili tacito rota murmure solis
Virgineo delapsa sinu, pendentia Librae
Brachia librabat volucris pulchrumque bilancem
Incurvabat onus. Taciturnae munere pacis
Gaudet uterque Ducum: Lechus propria agmina cam-
Exercet medio rigidique per otia Martis [po
Instruit haud segnes animos, ruit undique ab urbe
Certatim, campumque tenet clypeata juventus.
Sole novo juvenes, bellorum fulmina, late
Exercentur equis: pars acres tendere nervos
Ardet et exilem telis deprendere metam:
Caetera, praefixus qua convocat annulus, hastas
Dirigit, et medio studet incurvare lacertos
Pulvere, quadrupedis celeri pede concita pubes.
Talibus illustres animi dum regia factis
Jussa probant, crudo interea sub pectore Biston
Ingemit et tristis medica delusus ab arte

Incusat tardos soles, lunasque remisso
Ire gradu et magno segnes incedere coelo,
Auxilioque viam, fieret quae proxima, poscit.
Aut secet ensis (ait) stricto mea pectora ferro,
Aut liceat laceras renovare in proelia vires.
Audiit hosce Ducis gemitus, medicamque dolori
Spondet opem magicae vocis cantator Iazyx.
Nox erat et niveae splendentia cornua Lunae
Tristia nocturno turbabant nubila coelo,
Donec sacrilego visa est favisse labori
Atque retorsit equos coeloque immobilis haesit.
At magus irriguum cupide exspectantia rorem
Gramina perlustrat; rapit hinc atque inde virentes
Et fulvo et niveo vestitos vellere flores.
Et, quas nulla manus tetigit, radicitus herbas
Eruit immiscetque aliis et carmine totum
Obducens calathum magicis immurmurat herbis.
Aureus ut primo Phoebus surrexit Eoo,
Promissam fert laetus opem: tum regia dulci
Post gemitus resonant rediviva palatia cantu.
At genitor Marsusque simul Bistonque vocato
Dona viro cumulant, quibus ille: Silentibus armis
Ne vos, magnanimi proceres, certamina pubis
Lechiacae turbent, animisque in bella juventus
Prona, nec ingenti visenda hastilia campo.
Arte mea tentabo Duces studiisque juventae
Fraena dabo; facilis nudabit inertia campum.
Sic ait; at Marsus: tantum, vir maxime, nostris
Aggredere auspiciis opus, haud invita sequentur
Munera, Lechiacas ut franget inertia vires.
  Qua gracili resupina solo surrexerat altis
Turribus, irriguis et Lechica Gnesna fluentis
Umbriferum dabat intus iter, lacus hispidus udo
Cespite et assiduo late conterminus amni,

Cinxerat immotis turritam fluctibus urbem.
Hic locus insidiis datus est, ubi Cynthia curru
Impigra jam dudum magicis accita pruinis
Adfuit, et pulchro factis dedit omina vultu.
Ergo ubi Lechiacae structum magus adstitit urbi
Insidias, oculis longe spatia omnia mensus,
Principio graciles resupinum murmur in undas
Impulit; hic primum proprio (mirabile visu)
Dissilit unda loco, circumstant fluctibus altis
Aequora, tum medias viridis discriminat undas
Insula, et in liquido solidus stetit aequore campus.
Imbellis campus; non hic horrentia Martis
Proelia, non rauco sonuerunt cornua cantu;
Blanda sed in molli, facilis vel inertia ludo
Mulcebat tenui pendentia nubila voce.
Hic tandem agnovit Veneris connubia Mavors.
  Ecce autem in viridi lasciva palatia campo
Assurgunt vitreis animata coloribus, unum
Surgit opus, nitido nunquam superabile caelo.
Crystallo tabulata nitent, crystallina lucent
Moenia, crystalli prima sub fronte columnae
Succedunt tecto, summo vix vertice fulvum
Lambere fulgenti pellucida moenia tactu,
Aut inferre diem radiis permittitur aurum.
At minus argenti pretium est; argentea serpunt
Limina, perspicui pedibus calcata metalli.
Caetera candenti vestit crystallus amictu,
Mentiturque mare irriguum; stupet arduus aether
Lunaque et attonitae compressis fluctibus undae
Perspicuum mirantur opus; crystallina late
Regia stat complexa solum, radiosque nitentes
(Blanda quibus virides pingebat Cynthia campos
Caeruleo provecta jugo) spectabilis urbi
Imbibit, et rutilos elata reverberat ignes,

Aequora despiciens late, propriamque teneri
Effigiem ridente lacu pictamque profundis
Gaudet aquis. Simul ipsa novos induta colores
Miratur, radiisque imitabilis unda superbit
Magnanimi ficta ludens in imagine tecti.
Circum prata virent late florumque juventa
Pullulat acclives praetexens gramine ripas.
Planitiesque soli viridis, quam poma coronant
Aurea connexis fulvo velut aggere ramis.
  Lucidus interea liquidis sol surgit ab undis
Ignipedes moderatus equos, terrasque salutat
Pronus, et adspecto plaudunt nova sidera campo.
  Lecta simul studiis repetit certamina pubes
Lechica, praecipuique Ducum Zbarasque Tecinnusque
Atque alii; generosa suo de more juventus
Excedit portis stridentibus hispida telis.
Ecce autem ante oculos ignota palatia longe
In medio resupina lacu, superare nitentem
Visa polum, croceumque procul Titana pudere
Aemula perspicuo proponere lumina vitro.
Immoti mirantur opus: stupet ipsa juventus
Jam vitreas variis ardere coloribus undas;
Splendida jam liquidum tenuisse palatia pontum.
Quidquid id est, (primus sic fatus in ordine Zbaras)
Tantisper nostro juvat indulgere labori,
O socii, liquido quae tandem prodiga campo
Regia constiterit, num veri ludat imago,
Explorare juvat; major post otia virtus.
Sic ait; accelerant alii, cum littore passis
Conspiciunt velis pictas innare carinas.
Pulchrior ante alias varioque animata colore
Puppis erat; curvo quam visus flectere nauta
Innixus clavo, nivei cui tempora crines
Lambebant circum et misto candore rubebant.

Impiger hanc magica scierat simulare figuram
Arte magus, quem prona ruens ad littora pubes
Sic affata: Tuo quae constitit insula ponto?
Quae crystalla micant? argenti aurique metallo
Quid calcata volunt? Urbem quae numina nostram
Posthabito venere polo? sociumne locarunt
Imperium Lecho? non plura est passus Iazix.
Ite (ait) egregii proceres, gens Lechica, pulchram
Scande ratem, tutor medio vos flumine ducam
Ipse ego, perspicuosque simul, quem ludere fulvo
Margine conspicitis longe, citus amne locabo.
Quaeritis, illustres animi, quae proxima ponto
Regia constiterit? subitus quis in aequore campus?
Candida Parrhasii liquidum regina Lycaei
Elegit Diana locum, Dziewonia vestra,
Surgere jussit opus tantum: sociataque Nymphis
Exercet pharetrata choros; nemus illud amoenae,
Aurea quod circum pulchro ordine tecta coronat,
Sacratum divae est, et regia sacra Dianae.
Dixerat: et pictam solvit de littore navim
Impiger; illa volat passis super aëra velis
Per liquidum tremebunda lacum, mediumque profun-
Servat iter circum frustra latrantibus undis. [do
Ut medio volucri lato super aequore cursu
Transegere viam, dulci resonantia late
Nubila concentu sonuerunt, vocibus aurae
Collusere leves citharaeque lyraeque patentem
Implevere lacum: subitis clangoribus actum
Lusis in obversis agitatum fluctibus aequor.
Ipsaque perspicuo pubes argentea vitro
Extulit ardentes oculos, accita canoris
Vocibus, et cupidas cantus arrexerat aures.
Nec minus ad fictum resonantia cymbala cantum
Visa salire ratis; nunc inclinata profundo,

Nunc emersa vadis alterno ludere cursu.
Talibus interea gaudent concentibus omnes
Lechiadae, littusque petunt puppimque fatigant
Aequore et optato properant appellere campo.
Jamque propinquabant hilares, et littus amoenum
Lambebant fluctus celeri impellente carina.
Hic prius in viridi currentis margine ponti
Errabant nivei tondentes undique primum
Gramen equi mulcentque novis hinnitibus auras.
Egressi mirantur equos plausuque lacessant,
Et procul errantes propriis contingere palmis
Tentant. Illi avidas per prata virentia cursu
Effugere manus, celerique per arva tumultu
Ingratos juvenum longe illusere labores.
At domus interior viridi circumdata campo
Vicinis circum plaudentibus acta choreis
Perstrepit, et liquidum dulci ferit aethera plausu.
Hic saliunt hilares per prata virentia Nymphae
Indulgentque choris; glomerantur Oreades uno
Ad citharam dociles per gramina currere passu,
Innexis manibus; niveis in vestibus omnes
Ingeminant plausus, campumque diemque fatigant
Plausibus, atque hilares tritum gyrantur in orbem.
At regina jocos salientis et otia turbae
Acclivis molli, Lyciasque induta sagittas,
Spectabat solio, dulci sub mole rosarum
Incurvata libens, Tyrio spectabilis ostro.
Vidit ut in viridi stantem longo ordine pubem
Lechiacam campo et fictas spectare choreas,
Instaurare dolos celer incipit. Ultro sagittis
Absolvit Diana latus, soliumque relinquit
Ardua, et in medium saliens sese intulit agmen.
Tum renovare choros celer imperat: Ite choreae,
Nunc citharae repetantur (ait), nunc cymbala plausus

Ingeminent, vario pulsentur nubila cantu.
Nec secus imperium divae data jussa sequuntur.
Hic avium dulcis concentus in aëre late
Personat, et grato frondentes murmure ramos
Obstrepit; hinc cantu resonant virgulta lacusque
Assiduus; teneras avium nec regia voces
Improbat, opposita sed rursus mole canorum
Vult iterare melos, blandasque reverberat auras.
Has inter citharas Nympharum argenteus ordo
Verberat alterno pede gramina, quae tamen ultro
Sternuntur dominis gratissima munera plantis.
In medio Diana choro, sociasque sorores
Puniceis crinita comis, supereminet alto
Vertice: ne quae hilarem turbent obstacula cursum,
Aurea prolixam subnectit fibula vestem.
Dat regina animos: feriunt cava nubila plausus:
Fit strepitus fervente choro: sonitusque melosque
Omnia pervolitat late loca; cursibus actus
Ipse fatiscit ager, natant virgulta nemusque
Aureum, et applaudunt curvato vertice frondes.
  Talia spectabant juvenes ludibria longo
Lechiadae campo; faciles simul unus habebat
Ardor ad adspectam celeri pede currere turbam,
Et tentare choros et dextris jungere dextras.
Fitque satis placito; quid non tentare cupido
Audeat effrenis? quid vana licentia? Sese
Confundunt turbae proceres: solvuntur habenis
Gaudia, posthabitis sudant crateres in armis.
Stant bellatrices aquilae, saevique leones
Otia sectantur: cessant hastilia campo:
Tibia pro lituis et pro clangore tubarum
Molle lyrae sonuere melos; sine lege vagantur
Illusi juvenes, quos non secura voluptas
Talibus implicuit studiis; taedere laboris

Incipit optati; jam vult delusa juventus
Alternare vices nimiisque absistere gyris.
Sic agitant animo: gemini cum, dulcia, fratres,
Pignora, visuntur caro cum Castore Pollux
Exertare pares humeros alternaque late
Brachia jactare, et ficta certare palaestra.
Addunt se socios proceres, renovatur arena
Fraterno nimium ficte calcata furore.
Hospitibus gaudent alacres, animosque lacessunt.
Mutua connixi protendunt pectora, et altis
Insurgunt dextris, seseque in pulvere fulvo
Ambigui jactant, certantque resistere arena.
Decessere pares, nulli concessa palaestrae
Palma fuit procerum: tarda est post otia virtus.
Ergo alios intrare dolos malesuada voluptas
Imperat, oppositi pars suspicit aurea tecti
Culmina, pars niveis distincta cubilia gemmis
Interiore domo spectant: argentea circum
Moenia mirantur reliqui, vicinaque late
Discurrunt per prata hilares, per amoena vagantur
Gramina; pars virides vicini fluminis hortos
Ingreditur, crocei quos prima fronte salutant
Imperio Zephyri nutantes vertice flores.
Mirantur variis halantem floribus hortum,
Purpureosque metunt flores, tenuisque per arva
Invisunt avidi ludentia murmura fontis.
Jamque per obliquum ter dena volumina coelum
Finierat properis currens argentea bigis
Cynthia, et exhaustum complerat lumine cornu,
Puniceas induta faces; totidemque ruit sol
Hesperiis ter denus aquis, ter denus Eoo
Sparserat assurgens radiantia lumina ponto.
Lechiaca tandem proceres revocantur ab urbe,
Et blandum resecatur opus, causasque morarum

Lechiadas omnes ipsumque inquirere regem,
Praecipuosque duces lectamque ex ordine pubem,
Jam rigidum lituis acciri in proelia Martem,
Sarmaticas jam stare acies turmasque Scytharum
Advenisse hosti, juvenum defertur ad aures.
Illi indignantes: quae tanta insania nobis
Additur? an geminas coiisse in foedera partes
Ignotum est? nuper roranti sanguine campo
Cessimus, utque novo fabricata palatia ponto
Venimus adspectum, toto quem cernitis orbe,
Hesperias nondum Phoebus decessit in undas.
Vix nos una dies tenuit, nunc unica primum
Ire parat radiis penetrans cava nubila Phoebe.
Parcite, aberrastis vel vos, vel sidera; nobis,
Non dubium, vester quin Phoebus luxerit idem.
Ite viri, mora nulla, citi properemus ad urbem,
Sole novo passis iterabimus aequora velis.
Sic pariter dixere omnes: simul ore fremebat
Otia praescindi renuens, et ad arma juventus
Tardior. Heu nocuit quantum mora parva diesque
Exigui! rursum repetit levis otia pubes
In partesque ruit varias, revocantur arenae,
Et tenerae modulantur aves, repetuntur amoeni
Multifidis nimium praegnantes floribus horti.
  Jamque dies alterque dies processerat, illi
Imperii immemores, nequidquam moenibus urbis
Exspectati aderant. Accitum mittitur alter
Nuntius; at nitidi delusus imagine tecti
Mansit, et immixtus levibus per prata choreis
Detinuit facilem majora per otia pubem.
  Interea rex ipse suae ludibria gentis
Agnovit tacitus: jubet ocius ardua natum
Carbasa in adversos celerem propellere fluctus,
Lechiacos revocetque Duces, tardamque juventam

Imperet accelerare cita super aequora puppi.
Fit via per medium juveni tutissima flumen.
Prima per ingentem patuere palatia campum
Aurea, quam series circum crystallina lambit.
Hic subitum stupefactus opus, jubet acer ad ipsum
Flectere vela lacum pictisque adnare carinis.
Per freta vela ruunt, jam jam sunt littore: (dictu
Mirandum) titubat campus, fugiuntque carinam
Littora, et assurgunt turbatis fluctibus undae
Praecipites. Abiit tenues dispersa per auras
Regia, nec liquido pressit vestigia ponto;
Omnia flumen habet late loca. Heroes in alto
Turbine, simplicibus sese jam stare carinis
Advertunt omnes. Procerum Visimirus ad agmen
Stans celsa in puppi placido sic pectore fatur:
Magnanimi proceres, quae vos ludibria ficto
Decepere loco? cognoscitis otia? quinam
Invictos vicere doli? quas cessit in auras
Lechiadum populata animos invisa voluptas?
Sarmaticus nostras stridor crebro atterit aures,
Telorum horrendus stridor. Vos sibilus aurae
Mulcebat tenuis, pudor! heu pudor! Arma, juventus,
Arma, viri, renovate, ruat neglecta voluptas!
Primus in arma voco. Dixit; quem protinus omnis
Insequitur pubes diram exsecrata paludem
Et tristem indignata locum; pro moenibus urbis
Adstitit infausti memorans ludibria tecti.
Hic tandem proceres revocant in proelia Martem.
Primus in oppositum juvenis pulcherrimus orbem
Praecipiti se tollit equo, nec dextra fefellit,
Currentem propere teres annulus ambiit hastam.
Hoc reliqui fecere Ducum, hoc caetera pubes
Lechica; sic melior rediit post otia virtus.

VII.

Gratulatio Stanislao Kiszka

Episcopo Samogitiae, occasione primi in metropolim suae diœcesis adventus, anno 1618.

Argumentum poëmatis. Anni MDCXVIII. Aestas et Autumnus obviam sibi fiunt; auspicia sua et honores praedicant: illa novi Samogitiae Præfecti, hic adventu Illustrissimi Praesulis novoque religionis statu felicitatem suam confirmat. In insulas deinde Fortunatas proficiscuntur; unde, patriis prius Reverendissimi Crucibus et tiara pontificia inauratis, Pietate procurante, aureum sæculum in Samogitiam invehunt.

Pronus Hyperborea postquam concessit ab Arcto
Phœbus, et aestivo squalentem tramite zonam
Attonitis respexit equis, Samogitica rura
Florida detonsis Aestas peragrabat aristis.
Agnoscunt longe segetes juxtaque volanti
Assurgunt, mirante solo; campique reclines
Submittunt culmos, et amicum numen adorant,
Pronaque sidereis affigunt oscula plantis.
Illa levis Zephyri dubio suspensa volatu
Fertur, et extremas delibat passibus herbas.
Siderei retro comites, Procyonque, recandens
Sidus, et aestivi latrator Syrius astri,
Gaudentem comitantur heram; longeque refusae
Vestis adulanti demulcent tegmina cauda.
Hos inter tepida volucres caligine Nimbi,
Et liquidis properant invecti curribus Imbres,
Laetaque Temperies, et amœna fronte Serenum,
Innumerique Dies: pars sutilis induit auri
Purpureas chlamydes, croceamque per aurea fundunt
Membra togam; pars affuso circumflua nimbo
Intempestivos habitus, textasque procellis
Accingunt tunicas; exspirant nubila vultu:

In pluvias oculi manant, in flumina barbae.
Tum vero properi Menses turmamque coërcent
Errantem, certoque dies examine figunt.
Arboreis primus foliis et vere renidet
Junius, intactam mentitus gramine vestem;
Hunc prope crinali redimitus tempora messe
Julius, et textis flavens Augustus aristis.
Quemque suus commendat honos et discolor ornat
Gratia: sed reliquos florente supervenit aevo
Junius; huic tenerae formosus sidere lucis
Puniceum vultus fundit jubar, altaque pingunt
Lilia cervicem; primis florere putares
Ora rosis, vivosque croco flavescere crines;
Praeterea volucer membris niger aspera plausis
Brachia congeminat pennis, vincique dolentes
Antevolat Zephyros. Ergo cunctantis ad ora
Laetus herae, modo stridentum vaga regna Notorum
Irrumpit, modo praecipiti mirantia carpit
Astra fuga, celeri modo turbida nubila cursu
Praetervectus ovat, subjectaque fulmina calcat,
Cognatamque nivem liquidosque supernatat imbres.
Interdum tacitis delapsus ab aethere pennis
Florentes campos picturatamque recursu
Signat humum, teneroque immergit gramine plantas.
Assurgit calcatus ager, comitataque messis
Vestit iter, subitique ligant vestigia flores.
Ille Volovicia nuper quas laetus ab aula
Attulerat, geminas docili vocat arte sagittas,
Impingitque vagas Zephyris sequiturque volantes,
Et sua praecipiti deprendit spicula cursu.
Dimissasque manu capit, ignavasque severus
Arguit, et citius volucres transmittere nimbos
Hortatur, summisque jubet perferre procellis
Vulnera, ne noceant agris et aprica fatigent

Jugera, ne laevo contristent sidere messes,
Neu virides sternant insana tonitrua campos.
Dissiliunt illae, bifidoque frementia ferro
Nubila sollicitant, subito (mirabile visu)
Caeruleaeque Hiemes Tempestatesque Notique
Fulminaque et pavidis fugiunt cum Nubibus Imbres.
Insequitur jucunda Dies, formosaque Phoebe
Rorantes detergit equos, terrasque salutat
Phoebus, et aspectis gratantur sidera campis.
Luxuriant colles, et pubescentibus herbis
Parturiens crinitur ager, nituntur in altum
Purpureae segetes, et pulchra superbia messis
Vicinam fastidit humum cognataque quaerit
Sidera: laetatur tantis puer aureus actis,
Et reduces jam corde premit, jam voce sagittas,
Jam pharetra profert; et mille per oscula laudat
Ostentatque deae: rapit illa, ambasque benigno
Colligat amplexu, junctisque maritat in ulnis.
Fortunatae (inquit) Volovicia dona sagittae,
Et nimium sanctis tu fortunate sagittis,
Care puer! Tu moesta mihi detergis ab axe
Nubila; tu coelum laxas aperisque serenam
Convexi faciem, foecundaque lumina campis
Derivas, famulumque jubes clarescere solem.
Et tu bisgemino nimium, Samogitia, telo
Fortunata Ducis! Redeunt antiqua colonis
Tempora, narratique tuis majoribus anni,
Ingenium moresque solo. Quam divite culmo
Plaustra gemunt! quantus falcis labor aspera linquit
Jugera! foecundus tanti stupet immemor anni
Campus, et ipsa suas non credunt horrea messes.
O me felicem tanto sub praeside divam;
Teque puer! tu tanta meis inopinus in oris
Concipis, inque tuas sacra gaudia transvehis Idus.

Hinc Anni duodena ducem te turba coronat.
Hic mihi nec niveis praeit hispida Bruma pruinis
Autumnive decor, tenerive licentia Veris.
Illorum regina ferar, Volovicia cujus
Tempore majestas laetas succesit in urbes.
Sic ait: ast laeti per florea rura coloni
Conveniunt, onerantque rudi convivia ritu,
Responsantque deae: nec lento cortice cessant
Carmina, nec tenui vocem disperdere fago.
Exsultant alii juxta, florumque sereno
Imbre rigant mensas, roseaque aspergine ningunt,
Purpureoque diem certant perfundere nimbo.
Ast alii liquido spumantia cymbia zytho
Evacuant, madidamque bibunt cratere salutem.
Interea properat gelidis Autumnus ab oris
Caeruleis provectus equis, gemmantia bigas
Fraena monent, docilesque vetant errare smaragdi.
Hinc illinc comites: et largo Copia cornu,
Certaque Temperies, opportunusque laboris
Usus, et aestivis intervenientia curis
Otia, sollicitoque Quies defuncta labore.
His medius famulis Autumnus; at ardua longe
Nubila decurrit, trepidis circumvagus alis
October, tenuique levem secat aethera nisu,
Praesuleumque tuis tandem, Samogitia, campis
Affore vocali lituo modulatur honorem.
Obstupuit, fixitque vago vestigia gressu
Attonitis Aestas sociis: subit ipse moranti
Autumnus, geminatque novae primordia famae.
Non soli fortuna tibi placataque rident
Numina; tu patriis inducere sedibus unum
Digna virum, nobis fasces proferre potestas
Praesuleos, humerisque leves effundere vittas,
Cessit, et aurata Kiszkam redimire tiara.

Illa Voloviciis fuerint donata triumphis
Tempora, nunc eadem divinis gloria cedat
Fascibus, insignemque vehant super aethera laudem
Praesulis, et nostri celebrent praeconia Menses.
Bisgeminis domini tu fortunata sagittis;
Tergemina Cruce prosper ego, Soleaque coruscus
Praesulis, instantes patriae ridebo procellas.
Tu Gothicas longe fraudes odiumque minasque
Insidiasque fugas impacatumque furorem,
Tutaque compositis praecingis littora curis.
Ast ego Taenarias pestes, quascunque sinistro
Nox genuit gremio, conjuratumque maligni
Concilium Ditis nostris avertere tectis
Conor, et ad Lethes longe depellere ripas.
Jam trepidant Erebo Furiae; trux Haeresis altum
Ingemit, et Stygiis artus religata catenis
Detumuit, dirumque caput viridesque totondit
Fronte comas; pridem serpentum animosa fatiscunt
Sibila, et avulsi tenuere silentia crines.
Quin etiam pingues alternis caedibus hydros
Vertice diripuit, vulsisque inhonora cerastis
Impietas luget, pariter ferale revulsit
Agmen Avarities, nudamque ingloria frontem
Taenariis foecundat aquis, lacerisque medetur
Anguibus; insultant victis Concordia, Virtus,
Relligio, Candor, passim per nostra vagantur
Limina: complentur sancto penetralia caetu,
Solennemque canunt dira de plebe triumphum.
Procedunt cum Pace Fides, passimque per urbes
Discurrunt, hilaresque canunt per rura choreas.
Ipse ego Justitiam stellantia linquere jussi
Culmina, cumque mea terris descendere Libra.
Illa nigros habitus pullataque tegmina gaudens
Exuit, et roseam per eburnea pectora vestem

Fundit, et in nodum tortis sublime capillis
Aedificat caput; in crines glomerantur honestis
Ignibus, et croceos adstipant sidera vultus.
Nec minus Astreae Clementia juncta sorori
Cognatum molitur iter, similisque videri
Gestit; Erythraea jam claudit jaspide pectus;
Jam roseo divina jubet consurgere cultu
Brachia; jam gemmis flavoque cacumine frontem
Exstruit, et raptis adcomit tempora stellis.
Tum subito celeres plantis accommodat alas:
Utraque linquuntur geminae stellata sorori
Limina, sidereamque dolent rarescere turbam.
At volucres illae nunc praetereuntia radunt
Nubila, nunc levibus credunt vestigia ventis.
Pax avibus quacunque volunt, rabiemque frementes
Deposuere Noti, debellatique recumbunt
Ad scopulos fluctus, indignantesque procellae
Compositis tacuere vadis, junctisque vicissim
Arbor amat ramis, innectunt mutua quercus
Brachia, populeo respondet populus ictu,
Et platani platanis, ornusque remurmurat orno.
Accelerant divae; tandemque per aethera vectae
Arva procul, properisque virentia gramina carpunt
Passibus, exsultant valles campique supinis
Adrisere jugis, laetis Samogitia gaudet
Hospitibus tellus, redituraque tempora sperat,
Tempora fulgenti quondam signata metallo.
Cum communis humus, nondiscretusque colono
Luxuriaret ager, cum publica cresceret ultro
Spica, nec inscriptis staret lapis arbiter auris,
Undarentque favis quercus, totisque sonaret
Lactea tempestas fluviis, et vina tumerent
Amnibus, et dulces fremerent in pocula ripae.
Cum Furor, et coeco praeceps Audacia saltu,

Exsanguisque Timor, Luxus, Livorque secundis
Aeger, adhuc nostras non irrisere ruinas.
Quin age, si simili tanto sub Praesule cursu
Tempora provehimus, quid fortunata moramur
Saecula Praesuleas late proferre sub oras
Ocius, antiquoque dies mutare metallo?
Dixerat Autumnus; contra Titania virgo
Divinos Aestas monitus vocemque resolvit:
Adduxere meos iterum tua dicta labores
In studio certare pari, sed et aurea tecum
Tempora, quae teneri quondam cunabula mundi
Complexu fovere suo, notosque regenti
Saturno revocare dies, primique juventam
Solis, et auratas terris inducere luces.
Quare age, caeruleos mecum molire jugales
Lucentemque invade viam; stat amica parentis
Limina Naturae fortunatumque subire
Culmen, ubi laetis clauduntur Saecula tectis,
Audaci penetrare gradu. Sic fata, quadrigas
Poscit et aetheriam vocat ad sua munia turbam.
Hic ligat axe rotas, hic anhela voce requirit
Cornipedes, laetae quicunque per arva Dubissae
Pascitur, et notas hinnitu perstrepit undas.
Hic virides zonas et gemmea cingula late
Subligat, ingentesque jubet mordere Hyacynthos.
Floribus exstruitur currus, juga floribus halant,
Floribus undantes internectuntur habenae.
Nec minus excitus laetas Autumnus in oras
Nobile jungit iter: ligat immortalibus herbis
October biiugos, tenerisque decentia colla
Frondibus adcomit; liquidis circumfluus uvis
Temo rubet, sparsoque procul spumantia vino
Fulcra madent, agilesque rotae; laetosque jugales
Ebria fraena regunt; tum fidas Copia plantas

Associat, nudoque levis Vindemia passu.
Jam simul emissis provecta jugalibus Aestas
Praecipitat: facilis geminis substernitur aër
Curribus, alterni supponunt brachia Cori,
Invitantque Notos et fratris amica Favoni
Flamina, decrescit longe Samogitia; vixque
Respicit extremis abeuntia numina silvis.
Trans Numidos campos Atlantaeique recessum
Culminis effuso stat Fortunata profundo
Insula; clementi cujus latus aethera clivo
Possidet, et frustra circum latrantibus undis
Vapulat, audacique truces domat aggere fluctus.
Hic cum flagrantes radios totisque calorem
Exstinxit Capricornus aquis, damnataque Brumae
Culmina torpenti Titan decurrit Olympo,
Solvit equos tandem: mistis exercitus Horis
Attulit, hae demunt fraenos, gemmantibus illae
Expediunt armos phaleris, hae lora reponunt
Crinalesque toros, libertatemque jubarum
Dimittunt: aliae gratissima pascua fessis
Ostendunt, vallesque et flumina nota ministrant.
Ipse Lycaoniam Titan rediturus in Arcton,
Et nostram visurus humum, vestemque sacrumque
Perspicuo lavat amne caput: roseoque pudicis
Fontibus obluitur crines, colloque fluentes
Instaurat radios, et pulchrior amnibus exit.
Quattuor hic celso distincta palatia muro
Cernuntur, summis surgentia culmina tectis
Ostendunt imbres, et nubila turribus intrant.
Prima rudi late circumvallata metallo
Regia ferratis custodit lumina claustris,
Affligitque diem, ferrugineisque paventes
Sedibus expellit radios, solemque recusat.
Liventes illic Horae, ferrataque degunt

Tempora: caeruleis circum fulgentia pendent
Scuta tholis, galeaeque jacent, et multa quiescit
Cuspis et appensi vacuis thoracibus enses.
Nec procul exstructo domus altera fulgurat aere,
Quam solidi Menses et ahenea Saecula servant.
Carpit iners rubigo locum; contristat opacus
Lucida tigna chalybs, immansuetumque per aedes
Irradiat jubar, et spectantia territat astra.
Tertia jam niveis radiant fastigia muris:
Argento tabulata nitent, argentea stridunt
Limina, fulgescit laetis argentea turmis
Annorum series: spatiosa per atria ludunt
Mille Dies, ineuntque pari certamina passu.
Ultima sed reliquis aurata penatibus aedes
Nobilior; summum seductus in aethera vertex
Undantes infra nimbos nubesque serenus
Despuit, et ventos et hiulca tonitrua subter
Audit, et innubem semper videt aethere Phoebum.
Inferiore domo passim per aperta renident
Atria congesti lapides, quibus India mater
Aut Mareotis humus. Summi laquearia tecti
Vitrea crystallus gestat; stant lubrica gemmis
Limina multifidique gradus, dulcique superbos
Decipiunt errore pedes; non intus agrestis
Gemma micat; docti neglectus ab arte magistri
Longe moeret onyx, exclusaque moeret iaspis,
Invidus admisso lives, amethyste, smaragdo.
In medio late redolentibus aurea campis
Jugera nascentes herbas florumque juventam
Irriguo Titane fovent; hinc virgine nardo
Prata virent, niveis hinc pubescentia culmis
Lilia nituntur; stat coelibis inde ligustri
Candor, et infausto moerens hyacinthus amictu.
Hinc consanguineus campo pudor aurea laxat

Ora rosis, croceoque polum mentitur in astro.
Purpurei per prata Dies, aurataque ludunt
Tempora, tercentum rutilis in vestibus Anni.
Pars summas scandunt platanos aviumque querentem
Scrutantur patriam et dilecta cubilia vastant.
Pars viridi merguntur humo, pressisque supini
Graminibus dulces exhalant pectore somnos.
Pars hilares plaudunt choreas, pars lilia parco
Ungue metunt, violisque comam vincire laborant
Errantem, sparsosque rosis frenare capillos.
Omnibus advigilat Pietas, nec cedere quemque
Annorum, nostrasque libet migrare sub oras
Ignorante dea. Molli tum forte rosarum
Acclivis solio, felicis ludicra turbae
Otia spectabat: dominam gavisa sedentem
Plebs hilarat, ludisque diem campumque fatigat.
Ecce autem Autumnus properisque jugalibus Aestas
Accelerant, subeuntque sacrae penetralia sedis.
Agnovere fores, et sponte reclusa patescunt
Limina; laxatis illuxit regia claustris,
Et rutili laetum circumfulsere penates.
Ut vero viridi Pietas videt hospita campo
Numina, consurgit, quis, ait, mea culmina vobis
Ostendit deus? an faustis Saturnia regnis
Saecula decurrunt iterum, Superumque relicta
Sede profanatas petierunt numina terras?
Lenis an Astreae Clementia juncta sorori
Terrestres jam sponte plagas, et vestra pererrat
Hospitia, humanasque diu subit exul in oras?
Dixerat: Autumnus placido cui reddidit ore:
O dea, cui tanti custodia credita regni,
Aurea cui rutilis paret cum Mensibus Aestas
Puniceique Dies: jussi tua limina certe
Felicesque domos et fortunata subimus

Culmina. Jam pridem superos Astraea penates
Liquit, et aethereis mutat Samogitica tectis
Rura. Quid Empyreae transmittere, diva, sorori
Auratos cunctare dies? sub praesule Kiszka
Aurea jam certe meditatur condere rursus
Saecula, mutatosque polis inducere soles.
Quare age, fulgentes annos aurataque quondam
Saecla Samogitiae felicibus insere terris.
Has vero quas laeta Cruces Soleamque tueris,
Praesuleum decus et nostrae solatia gentis
Auxiliumque gregis, pretioso tinge metallo,
Gemmatoque sacram ritu contexe tiaram.
Purpureum vittas tingat jubar, aurea tingant
Astra Cruces. Quis digna sacris insignibus addat
Lumina? Frondifluis quamvis Panchaïa gemmis
Depluat, et circum pretiosis grandinet Indus
Beryllis, Seresque procul Nabathaea frequentent
Vellera, nulla satis divinis munera signis
Sufficient. Sublime tuo ditescere tantum
Stemma labore potest. Sic fatur: at illa verendas
Miratur volvitque Cruces, et cara propinat
Oscula, compressasque suis angustat in ulnis.
Tum proprios vocat artifices, quibus aurea curae
Saecula fulgentis pretio signare metalli,
Chrysoetem, Enochron, Lycabandorumque magistrum.
Hi nitidas fasces fortunatisque coronas
Regibus et gemmis fulgentia sceptra laborant.
Hi picturatas trabeas cinctusque coruscos
Sidoniis variant gemmis, bifidasque tiaras
Expediunt; tunc forte tibi, Mavortia, magni,
Ladislaë, patris soboles, cui Moschica pridem
Regna vovent populos, Enochrus pulchrumque soda-
Festinant opus et forti gestamina dextrae [les
Et capiti crinale decus. Jam clara pyropis

Sceptra micant, auro jam regia serta renident.
Quin etiam tibi fulmineas in casside cristas,
Summe exercituum Litavorum, Carole, ductor
Chodkiewiciade, clypeique decemplicis orbes
Urgebant: fratrique tuo, clarissime praesul,
Kisciadae, rigidoque gravem thoraca metallo
Nectebant, ensemque simul galeamque polibant.
Tunc dea: nunc coeptos paulum differte labores
Tergeminasque Cruces, quas cernitis (inquit) Eois
Fingite certatim gemmis, docilique tiaram
Instaurate manu, patrias ut pulcher ad aras
Kiszka micet, totusque meo consurgat in auro.
Sic monet: approperant illi, seseque vicissim
Hortantur: fulvum rapida fornace metallum
Liquitur, et pingues spirant pretiosa camini
Nubila. Chrysolithi fumant grandesque amethysti,
Leneque diffusis manat torrentibus aurum.
Huc ternas mersere Cruces, at protinus illae
Ferventes circum gemmas aurumque biberunt.
Et nitido fulsere sinu, liquidumque per auras
Effudere jubar; nec vilius infula lucet,
Et geminae subter radiantia tegmina vittae,
Laetae frontis honos, gemmis operosus et ostro,
Bis consurgit apex: fixis hinc inde pyropi
Connivent oculis circum, vigilantque perenni
Lumine. Quae tanto variantur Parthica luxu
Cingula! quae tantum regum vinctura capillos
Serta nitent! Tamen ista tuis, pater inclite, cedent
Ornamenta genis; et dum vultuque sacraque
Fronte vacant longe, radios lucemque coruscam
Tutius effundunt; qualis, cum lotus honestum
Eoo sub fonte caput, pallentia primum
Lucifer astra fugat, mox depellendus et ipse
Ire verecundo Titana pudore fatetur,

Ora tamen roseasque genas et lucida frena,
Dum licet, et Nocti croceos ostentat amictus.
At dea, cum primum laeto gemmantia cultu
Dona videt, vocat Autumnum, ditemque tiaram
Porrigit auratasque Cruces; his praesulis (inquit)
Gloria perpetumque decus memorandaque fama
Crescat, et aeternos patriae conservet honores.
Quod superest, nostris deducere saecula tectis
Aurea, praesuleas ultro properamus in oras.
Vix haec ediderat, celerant, ultroque parentem
Auricomi cingunt Anni, laetaeque frequentant
Oscula, dimittique rogant, longoque redire
Exilio, nostrosque petunt habitare penates.
Tum Pietas: dabitur vobis, quod poscitis, (inquit)
Praesuleam visetis humum; sed jussa parentis
Quisque simul, quicumque sacras penetraverit oras,
Transferat; has nulli posthac remeare sub aedes
Attentare licet, nec ahenos sumere mores,
Ferratove meas habitu mutare lacernas.
Aurea vos estis soboles, vos divitis Aevi
Progenies: ego vos teneras sub luminis auras
Eduxi: dignum nobis servate decorem.
Praeterea, postquam laetas venietis in urbes,
Semirutas aedes passim, sacrasque nitore
Collustrate domos: nitidis altaria signis
Consurgant; quae forte sacro spoliavit amictu
Haeresis, antiquam sumant revocata decorem,
Et veniant niteantque suo cum praesule templa.
Sic illas intrare plagas, sic saecula terris
Instaurare decet, sic aurea Tempora nasci.
Sic ait, et flavos partitur ab ordine fratres.
Stabant tercentum formaque auroque corusci,
Omnes egregii vultu viridisque juventae
Flore; coloratis omnes in sidera pennis

Ire leves, volucrique relinquere nubila saltu,
Et felix ditare solum jurisque periti
Purpureas late messes inducere campis;
Omnibus ingenui manant in terga capilli,
Castigantque humeros et mollia pectora caedunt.
Hos Samogitiacam Pietas jubet ire sub oram.
Haud mora: festinant illos Autumnus et Aestas,
Curribus invitant geminis: pars fulcra supini
Obsedere tholi, pars hispida strata protervo
Ascensu vellunt, pars suspendente volatu
Alternum cinxere latus vicinaque verrunt
Nubila, pars volucres frenant hilarique tumultu
Confligunt, pronique manus in verbera tendunt.
Excitat Autumnus properos: simul ignea loris
Vincula flagrantesque jugis effundit habenas
Turbidus, aeripedesque jubet celerare quadrigas.
Protinus exsiluere loco rapidoque volatu
Corripuere rotas, volucrique per aëra saltu
Plejadas antevolant; liquidas temerarius oras
Axis, et aequorei secat humida regna tyranni.
Inde Noti Boreaeque terit Zephyrique tepentis
Regna, Lycaoniique rigentia claustra Bootae,
Bistoniumque cacumen Hyperboreasque pruinas.
Anteeunt sese pariter pariterque sequuntur,
Alternantque fugam per aperta serena jugales.
Et quamcumque plagam geminus praetervolat axis,
Hac alacer solidis palantia nubila pennis
Detergit Boreas, hac formosissimus aër
Pendentes indurat aquas, nimbisque fugatis
Purpureo mitis regnat clementia coelo.
Arrisit longe visis Samogitia felix
Numinibus, festoque levem dedit omine plausum.
Laetantur passim montes, passimque per agros
Et platani comites alnis et quercubus orni

In numerum laetis exsultavere choreis.
Parte alia vallesque cavae, collesque supini
Prosiliunt campis et circumstantia nutant
Culmina. Quin etiam toties a montibus Echo
Felicem Kiszkam, quo praesule tanta propinquent
Numina, congeminat: studiosaque silva canenti
Respondet, platanique sonant, mutaeque loquuntur
Convalles, repetuntque sonum discentia saxa;
Et pariter Kiszkam montes, freta, nubila clamant.
Ut vero laetis fulgens comitatus in oris
Constitit, et totis resplenduit infula campis
Aurataeque Cruces, fulvaeque per arva cohortes
Explicuere gradum, subito (mirabile dictu)
Templa micant auro, nitidis altaribus aurum
Fulgurat, alludunt auro fulgentia Divum
Limina, suspensae vigili flammantur in auro
Lampades, insertis circum sacra pallia gemmis
Irradiant, pateraeque micant, calicesque renident.
Paene Myconaeis efficta coloribus ora
Coelituum fulvo spirant animata metallo:
Miranturque sacro vultus clarescere luxu.
Ipse Semiramio quoties insignis in ostro
Praesul honoratas late procedit ad aras,
Mystarum comitante choro, procul aurea spargit
Lumina, purpureoque vias illustrat amictu.
Illi siderea surgens a fronte tiaras
Scinditur, et geminum capiti partitur honorem.
Par vertex utrinque nitet, par vestit utrumque
Lux apicem, pariter gemmarum clarus uterque
Cingitur excubiis, vivos innoxius ignes
Dissipat hinc habitans medio saphirus in auro,
Hinc viret in flammis hyacinthus, et inde superbo
Agmine dispositi micat igneus ordo pyropi.
Miratus longe tantos crebrescere cultus

Axis, et inspectis vinci polus invidet astris.
Quin etiam spreto suspirat ab aethere moestus
Lucifer, inque sacrum cuperet migrare tiaram.
Quid memorem, tenui quae circum texta metallo
Pallia descendant humeris? satiata pudico
Murice praesuleam nectunt subtegmina vestem.
Vicit acus pretium; vicit, quos nevit honores
Ambitiosa colus; gemmatis nobile signis
Argentum nitida firmat vestigia virga;
Annulus induto digitos accendit in auro.
Linigeri circum proceres niveusque senatus
Praesuleum late cingunt latus. Undique largus
Dispensat radios fulgor; populusque patresque
Attonitis inhiant oculis visuque fatiscunt,
Inque suo nimium cognoscunt praesule solem.
Ipsa novo felix subiit juvenescere cultu,
Visaque florentem Samogitia sumere vultum.
Auro prata virent, silvae crispantur in aurum,
Festa micant auro, laxat pretiosa ruentes
Libertas fluvios electra et lucida volvens
Flumina riparumque moras pontesque recusat.
Tunc pater Autumnus rutilam per amoena catervam
Rura jubet festasque domos et amica vagari
Moenia. Discurrunt illae, vulgoque per urbes
Permistis errant cuneis: Mednikia saltu
Hi juga sollicitant, ubi pontificalis habetur
Exedra, Vorniacis quae nobilitatur ab undis,
Et sacra apostolici primatibus aede senatus.
Fontibus Aoniis hi nobilis arva Crosentae,
Rosenios illi, fora judicialia, campos.
Szaulos Janiscosque alii, Skudosque Krokosque
Plongianosque lares Citovianosque recessus,
Atque Salictopolin, Chodkieviciamque Cretingam
Transcendunt, veterisque procul saxeta Birutae.

Quos ubi dilapsos passim Samogitia vidit,
Ite, inquit, pueri, nostros peragrate penates.
Ite, coloratis aeternum ludite campis,
Ipsa meas vobis urbes, mea templa relaxo
Ruraque felicesque domos: removete malignam
Finibus Invidiam Fraudes Morbosque Famemque.
Ducite Virtutes: passim Concordia Paci
Juncta per expositas figat vestigia sedes.
Cumque Fide Pietas tuta regione vagentur.
Ite, quatergeminum Solis torquete laborem.
Prima mihi procedat Hiems, non aspera semper,
Nec nimias hirsuta nives, non frigore torpens,
Sed misto mansueta Noto; decor inde sereni
Veris, et aestivi clementior aura Favoni
Purpureis me pingat agris; me messibus Aestas
Induat; Autumnus me dulcibus imbuat uvis.
Dixit: et optanti jurarunt numina divae.

VIII.

Aureum saeculum

Urbano VIII. Pontifice O. M. orbi invectum, anno MDCXXIII.

(Hoc poëma nunc prima vice imprimitur.)

Argumentum poëmatis. Anni MDCXXIII. Aestas discessum ex Italia apparat, Julio exeunte. Moratur proficiscentem mensis Augustus, inaugurationem Pontificatus Urbani VIII. et suorum templorum felicitatem caussatus. Ambo dein, procurata rite Italia, studio gratificandi novo Pontifici, in longinquam Aurei Saeculi insulam proficiscuntur; ea est una Fortunatarum incognita, quae jam inde a multis saeculis exulantes Aureae Aetatis annos, suo in complexu, procul ab aditu mortalium fovet. Eo ut Aestas atque Augustus pervenere, aureum primum Summi Pontificis diadema in Aurei Saeculi officina fundi, palliumque contexi pontificium jubent. Deinde frequentissimum Aureorum Annorum comitatum adsciscunt, atque in Italiam revehunt, longoque post temporum intervallo repetitum Aureum in Latio Saeculum condunt.

Aurea Romanis redeuntia Saecula fastis,
Urbanumque Patrem, sacro cui lucidus auro
Annus init, niveique evolvunt tempora Menses,
Conditaque Hesperio canimus nova regna Quirino.
Phoebe, mone, si non solitis Helicona choreis
Et nemora et riguis vocalia fontibus antra
Contigimus. Tuque, o Latii nova gloria regni,
Cui sese fatis aperit melioribus Aevum,
Aureaque illimi decurrunt Saecula rivo,
Quem modo magnarum sublimem in cardine rerum
Terrasque aetheriasque domos Ditemque profundum
Frenantem imperio et late ditione prementem
Suspicimus longe, mediaque e plebe minores
Dardanio insignem lituo trabeaque verendum
Miramur, solioque altum veneramur eburno:
Da veniam, et longe per aperta, per invia rerum
Vadentem, et magna laudum regione vagantem,
Ipse voca retro tua per vestigia vatem.
Atque mihi (quamquam attonitus procerumque Du-
Consiliis, sanctas assuescis regibus aures, [cumque
Europaeque Asiaeque minas, lateque per orbem
Motarum causas irarum et proelia differs,)
Dexter ades, vanumque humiles ne despice curas.
Atque adeo, qua se immensus tibi pandit Olympus,
Plurimaque aërii de verticibus Parnassi
Annuit et supplex tendit tibi brachia laurus,
Ingredere, et dubiis jam dudum allabere coeptis.
Pronus Hyperboreis jam se referebat ab oris
Phoebus, et aestivo squalentes tramite Chelas
Attonitis remearat equis; Oenotria rura
Spicea detonsis Aestas peragrabat aristis.
Agnoscunt longe segetes, dominaeque reclines
Submittunt culmos, et amicum numen adorant,
Pronaque sidereis affigunt oscula plantis.

Illa levis Zephyri dubio suspensa volatu
Fertur, et extremas delibat passibus herbas.
Siderei retro comites: Aestatis hiulcum
Sidus, et Icarii latrator Sirius astri,
Assuetum comitantur iter, longeque refusae
Vestis adulanti demulcent tegmina caudâ.
Tum vero tepida volucres caligine nimbi,
Et liquidis properant invecti curribus Imbres,
Laetaque Temperies, et amoena fronte Serenum.
At circum properi Menses turmamque coërcent
Errantem densoque Annos examine vallant.
  Arboreis primus foliis et vere renidet
Junius, intactam mentitus gramine pallam;
Et prope crinali velatus tempora lauru
Julius; ingenuam tenerae lanuginis umbram
Irradiat vultus: primis florere putares
Ora rosis, vivosque croco flavescere crines.
  Ille coloratis delapsus ab aëre pennis,
Florentes campos picturatamque recursu
Signat humum, teneroque immergit gramine plantas.
Assurgit calcatus ager, comitataque messis
Vestit iter, subitique ligant vestigia flores.
Et quacunque vocat, subito (mirabile visu)
Armataeque Hiemes Tempestatesque Notique
Fulminaque et pavidis fugiunt cum Nubibus Imbres.
Insequitur formosa dies, terrasque salutat
Phoebus, et aspectis gratantur sidera terris.
  Luxuriant colles et pubescentibus herbis
Parturiens crinitur ager: nituntur in auras
Purpureae segetes, et pulchra superbia messis
Vicinam fastidit humum. Jam Julius oram
Italiae gelidasque fuga superaverat Alpes.
  Ecce autem Hesperias remeans Augustus in oras
Caeruleis properabat equis; gemmantia bigas

Frena monent, docilesque vetant errare smaragdi.
Excipiunt comites: et pleno Copia cornu,
Affinisque labor, consanguineusque labori
Usus, et aestivis intervenientia curis
Otia. Nubivagos Lybicis flectebat ab arvis
Rumor equos, properisque retro vaga Nuntia turmis.
Omnes Urbanum Urbanique ingentia facta
Clamabant, magnaque Urbanum voce ferebant:
Scandat io, ter magnus, io trabeata curulis
Fulcra tori, ter io sacro caput inclitus auro
Procedat, Latioque pater considat in ostro.
   Obstupuit, fixitque vago vestigia gressu
Attonitis Aestas sociis; subit ipse moranti
Augustus, geminatque sacrae primordia famae.
Urbanus tua, mater, ait, felicia ditat
Tempora; quid gelidas currum moliris in Alpes?
Siste, parens: non Sicania tibi turgida fruge
Arva tument, nudisque fluit vindemia plantis:
Non tibi Triptolemi volucrum religata draconum
Plaustra jubis, frugumve potens regina Cybele,
Iracundorum curru raptata leonum,
Aut iterum Siculis ululata Proserpina campis,
Sed Latii pia regna Patris, sed dives honorum
Annus, et in longos venientia gaudia fastos,
Urbanusque pater. Risit Titania contra
Mater et haerentem nimiis circumdedit ulnis
Et roseos parvo submisit ad oscula vultus.
Fortunate puer, tibi jam Saturnia rursum
Saecula, narratique fluent majoribus anni,
Et quondam aurifera currentia tempora vena,
Cum communis ager, cum publica surgeret ultro
Spica, nec inscriptis staret lapis arbiter arvis,
Cum fluerent querceta favis, plenisque sonaret
Lactea tempestas fluviis, et vina tumerent

Amnibus, et dulces fremerent in pocula ripae.
Et nunc quanta seges campis! quam mite Latino
Ingenium moresque solo! quam creber aristis
Flavet ager! Laetus tanti stupet immemor anni
Campus, et ipsa suas non credunt horrea messes.
O fortunatam tanto sub praeside rerum
Italiam! Religant arctae fera Bella catenae,
Insanosque Metus impacatosque Tumultus
Armaque Letheis cohibet Concordia ripis.
Horrescunt Erebo Furiae, fugere Timores,
Germanaeque acies et iniqui proelia Rheni
Festa coronatis referunt vexilla triumphis.
Ipse etiam sacras mentitus casside vittas
Alberstadiades Bojorum inglorius arvis
Signa refert, turpique inhonorum vulnere tergum.
Luget Avarities, vulsosque incompta capillos
Impietas: pridem serpentum animosa fatiscunt
Sibila, et avulsi tenuere silentia crines.
Insultat passim domitis Clementia monstris
Et nivea cum Pace Fides, passimque per urbes
Discurrunt, thyasisque Oenotria moenia lustrant.
Ipsa ego Justitiam stellantia linquere jussi
Culmina, cumque mea terris descendere libra.
Quin, age, si simili placido sub praesule cursu
Tempora provehimus, quid fortunata moramur
Saecula Dardanias ultro revocare sub oras,
Aetatemque rudis mundi, primique juventam
Solis, et auratas terris inducere luces,
Et sanctos meliore dies reparare metallo?
Atque adeo aetherios mecum molire jugales
Ignotasque invade domos. Sedet, aurea magnae
Limina Naturae Fortunatumque subire
Culmen, ubi laetis arcentur Saecula tectis,
Insuetis tentare viis. Sic fata, quadrigas

Poscit et aetheriam vocat ad sua munera turbam.
Hic ligat axe rotas; hic anhela voce requirit
Cornipedes, quicunque herbosi in margine Sarni
Pascitur et notas hinnitu perstrepit undas,
Qui Fabarim campisque procul fugientis Himellae
Flumen amat, vitreoque jubas adspergitur Arno;
Hic virides zonas et gemmea cingula late
Subligat, ingentesque jubet mordere hyacinthos.
Floribus exstruitur currus, juga floribus halant,
Floribus undantes internectuntur habenae.
Nec minus excitus notas Augustus in oras
Urget iter: properos ligat immortalibus herbis
Quadrijugas, croceisque super Concordia comit
Colla rosis: famuli supponunt brachia Cori,
Invitantque Notos et fratris amica Favoni
Flamina; nec lentis Aquilo juvat esseda pennis.
Jam Latium, jam Roma latet, jam conditur altum
Ionium, et magnus retro fugit Appenninus;
Aviaque obliquo decrescit Etruria visu.
Stat super Hesperii secreta cubilia Solis
Et Brasiles campos, aliâque ignava pruinâ
Aequora Callaicis indelibata carinis
Insula, supposito quae late nubila dorso
Possidet, et frustra circumlatrantibus undis
Vapulat, et refugam curvo domat aggere Thetin.
Hic ubi Riphaeas hiemes damnataque brumae
Astra pruinoso Titan decurrit Olympo,
Sistit equos tandem; mistis Nereides Horae
Obsequiis dominas circumstipantur habenas.
Hae teretes demunt frenos, gemmantibus illae
Expediunt armos phaleris, hae lora reponunt
Crinalesque toros libertatemque jubarum
Dimittunt. Fessi per vitrea tecta jugales
Crystalli stabulantur aquis, stratisque recumbunt

Floribus, et vitreis carpunt praesepibus algas.
Ipse pater Phoebus primo rediturus Eoo
Perspicuo lavat amne caput, colloque fluentes
Instaurat radios, et pulchrior amnibus exit.
  Quattuor adverso secreta palatia muro
Pone sedent; croceis surgentia culmina tectis
Offendunt imbres, et nubila turribus intrant.
  Prima cavis late circumvallata cavernis
Regia ferratis custodit limina valvis
Affligitque diem, ferrugineisque paventes
Sedibus absterret radios, solemque recusat.
Liventes illic Horae ferrataque degunt
Tempora: caeruleis circum fulgentia pendent
Scuta tholis, galeaeque jacent, et pinguia tabo
Spicula et appensi vacuis thoracibus enses:
Nec non et regum exuviae, perfossaque centum
Arma locis, passaeque immania vulnera parmae.
  Nec procul educto domus altera fulgurat aere,
Quam solidi Menses, et Ahenea Tempora servant.
Carpit iners rubigo locum: contristat opacus
Aerea tecta chalybs, immansuetumque per aedes
Ingeminat jubar, et spectantia territat astra.
  At vicina micant niveis fastigia muris:
Argento tabulata nitent; argentea fulgent
Limina: colludit laetis Argentea turmis
Annorum series, geminat certamina passu.
Stant flammae ingentes stellarum, et aperta serena;
Illustres animas venientum et ludicra castra
Accipiunt, magnoque heroas lumine cingunt.
  Aurea se contra mediis immiscuit astris
Aula; peregrinum seductus in aëra vertex
Undantes infra nimbos nubesque serenus
Despectat, ventosque et hiulca tonitrua subter
Audit, et innubis fruitur caligine coeli.

Infra orbis geminus, pelagique tumentia regna
Armatusque tonat Boreas, coeloque minantes
Aeolii fratres, motique insania ponti.
Ipsa immota manet, nullis obnoxia ventis,
Heroum domus, et liquido circumfluit igni.
Stant intus spatia Annorum Mensesque Diesque
Temporaque et sacris descriptum legibus Aevum,
Plurimaque innumeris currentia Saecula metis.
Interiore domo passim per aperta renident
Atria congesti lapides, quibus India mater
Aut Pelusiaci Memphis regina Canopi,
Levataeque trabes auro, Aethiopumque ruina
Silvarum, et flava pendentia limina cedro,
Lubricaque insertis radiant laquearia gemmis.
  In medio late redolentibus Aurea campis
Jugera nascentes herbas florumque juventam
Irriguo Titane fovent: hic virgine lauru
Prata virent, illic tremulis argentea culmis
Fluctuat et trepidae tenuis seges annuit aurae.
Hinc consanguineus campo pudor aurea laxat
Ora rosis, croceoque polum mentitur in astro.
  Purpurei per prata Dies, aurataque ludunt
Tempora tercentum rutilis in vestibus Anni. [tem
Pars summas scandunt platanos, aviumque queren-
Scrutantantur patriam, et dilecta cubilia vastant.
Pars viridi merguntur humo, pressisque supini
Graminibus dulces exhalant pectore somnos.
Pars levibus ludunt thyasis, aut lilia parco
Ungue metunt, violisque comam vincire laborant
Errantem, sparsosque croco frenare capillos.
  Omnibus advigilat Pietas, nec cedere quemquam
Annorum, nostrasque datur remeare sub oras,
Ignorante dea. Molli tum forte rosarum
Acclivis solio, felicis ludicra turbae

Otia spectabat; dominam gavisa sedentem
Plebs hilarat, ludisque diem campumque fatigat.
Ecce autem Augustus properisque jugalibus Ae-
Approperant, subeuntque sacri penetralia regni. [stas
Agnovere fores, ultroque adaperta patescunt
Limina: dimotis illuxit regia valvis,
Et nivei laetum circumfulsere penates.
Continuo Pietas: quis, ait, mea limina vobis
Ostendit deus? an Latiis Saturnia regnis
Saecula decurrunt iterum, Superumque relicta
Sede profanatas petierunt numina terras?
Sic mater. Matri roseo sic filius ore
Augustus, fremitu socii nutuque sequuntur:
O dea, cui magni custodia credita regni,
Aurea cui rutilis paret cum Mensibus Aestas
Puniceique Dies: non nos incertus adegit
Error inaccessas saeclorum accedere sedes,
Non huc fraude viae, non tempestatibus acti,
Sed nos Patris amor, Latiis qui praesidet arvis,
Terrarum late et vasti moderator Olympi
Magnorumque potens regnorum Erebique severus
Arbiter, ignotas evadere jussit ad oras,
Rimarique vias Annorum, et divitis Aevi
Regna sequi; neque enim priscis currentia fatis
Aereaque, aut quondam fatali horrentia ferro,
Aurea sed Latiis molitur saecula terris.
Quare age, fulgentes Annorum e plebe catervas
Siste Patri; neu pulchra suis cum Mensibus Aestas,
Aut ver, aut pulchro veniens Autumnus in auro,
Aut glacialis Hiems Laurentibus exulet arvis.
Neu capiti crinale jubar sanctusque tiarae
Desit honos, circum gemmantibus exstrue sertis
Dardaniis diadema comis; neu desit, amoena
Quidquid inauratis despumat Iberia ripis,

Quod gelida Boreas tepidaque Favonius aura
Educat, Eois quod parturit Eurus arenis.
Audiit, et laetos Pietas placidissima vultus
Advertit, magnumque Urbani nomen adorat.
Tum Brontem Steropemque vocat, quibus aurea curae
Saecula, gemmiferoque Annos lustrare fluento.
Hi picturatas trabeas cinctusque curules
Et nitidas fasces fortunatisque coronas
Regibus et vivis animant diademata gemmis.
Tum dea: nunc coeptos, inquit, differte labores,
Atque aurum atque omnes operum depromite gazas.
Infula tergeminis circum redimita coronis
Artifici properanda manu, quae dives honoro
Sidere, tot regnis late populisque verendam
Caesariem comat; Latias ut pulcher ad aras
Sideribus sculptoque argenteus ardeat igne
Urbanus, seseque meo miretur in ostro.
Sic ait. At resides humeris haud segnis amictus
Rejicit exsertatque toros atque ardua nudus
Brachia festinus Steropes acerque Pyracmon.
Continuo fulvum sacra fornace metallum
Liquitur. Exsudant pingui pretiosa camino
Nubila; chrysolithi fumant, grandesque amethysti,
Et riguis lentum manat torrentibus aurum.
Ilicet humectae spumoso in flumine vittae
Ferventes circum gemmas aurumque biberunt,
Et teneram late lucem sacrumque per auras
Effudere jubar; gemmis operosus et auro
Ter surrexit apex; fixis hinc Nebrides atque hinc
Connivent oculis circum vigilantque perenni
Sidere: ceu radiat Titan cum lotus honestum
Eoo sub fonte caput, pallentia primum
Astra fugat, roseasque genas et roscida frena,
Dum licet, et Nocti croceos ostentat amictus.

His, inquit Pietas, Laurentia comere gemmis
Tempora, solemnique Urbanum cingere ritu,
Vos, Auguste, decet, vos, magnae Aestatis alumni.
Quod superest, nostris deducere saecula regnis
Aurea, Dardanias ultro properamus in oras.
Vix haec ediderat, celerant ultroque parentem
Auricomi cingunt Anni, laetaeque frequentant
Oscula, dimittique rogant longoque redire
Exilio, et pridem desueta accedere regna.
Tum mater: Dabitur vobis, quod poscitis, inquit,
Ausoniam visetis humum, sed jussa parentis,
Ausonias quicunque celer penetraverit oras,
Transferat: has nulli posthac remeare sub aedes,
Nec rudis argenti vel ahenos sumere cinctus,
Aut chalybe intextas liceat circumdare vestes.
Aurea vos estis soboles, vos divitis Aevi
Progenies: ego vos teneras sub luminis auras
Eduxi; dignum nobis servate decorem;
Sic Latias intrare plagas, sic saecula terris
Instaurare decet, sic aurea tempora nasci.
Haec ait, et flavos partitur ab ordine fratres:
Stabant tercentum formaque auroque corusci,
Sideream induti chlamydem, quam Perside gemma
Ipsa parens olim Tyrioque illuserat ostro.
Omnes egregii vultu viridisque juventae
Flore, verecundam picti lanuginis umbram,
Pulchra coloratis omnes in sidera pennis
Ire leves, volucrique relinquere nubila saltu.
Omnibus irrigui manant in terga capilli,
Cervici decus et levibus ludibria ventis.
Nec mora, festinant; illos Augustus et Aestas
Cognatis juvere rotis. Pars fulcra supini
Obsedere tholi, pars suspendentibus Euris
Alternum cinxere latus, vicinaque verrunt

Aurarum spatia, et Zephyros aut nubila frenant.
Pax avibus, quacunque volant; lateque minaces
Detumuere Noti, debellataeque recumbunt
Ad scopulos undae placidis irrepere tonsis.
Ipse sopor blandaeque volunt dormire procellae,
Et quacumque polum geminus praetervolat axis,
Sauciaque inscripto clarescunt nubila sulco,
Hac alacer solidis palantia nubila pennis
Detergit Boreas, hac formosissimus aër
Pendentes indurat aquas nimbisque remotis
Caeruleo mitis regnat clementia coelo.
Jamque adeo Hesperio circumvaga littora ponto
Praevecti, et Siculi superant capita alta Pelori.
   Arrisit longe visis Oenotria tellus
Hospitibus, festoque levem dedit omine plausum;
Insultant campis luci, passimque per agros
Et platani comites alnis et quercubus orni
Laurique piceaeque et coniferae cyparissi
In numerum laetis exsultavere choreis.
Ipse etiam aërias pater Apenninus ad auras,
Quamquam ingens senioque gravis totamque profun-
Hesperiam atque imis habitat radicibus Orcum, [dus
Succutitur, Tetricasque et nubiferum Soracte
Hortatur vastos moliri carmine saltus.
Parte alia vallesque cavae collesque supini
Gargaraque et summi fumantia saxa Vesevi
Prosiliunt campis, et circumstantia nutant
Culmina: densantur vulgo glomerata solutis
Hinc atque hinc dumeta choris; ipsi aequore Tusco
Immanes migrant scopuli avulsaeque profundo
Turrigerae rupes et navifragum Scylacaeum,
Quaeque abdunt medio caput Acroceraunia coelo,
Perque omnes tumulosque et stagna herbosa vagantur.
Interea argutae respondent carmina pinus

Magnorum assensu nemorum, perque avia lustra
Perque undas perque antra procul levis assonat Echo
Urbanum, cava saxa canunt silvaeque loquuntur
Urbanum, Urbanum liquentia flumina dicunt
Aëriique procul montes atque ordine longo
Ducentes repetunt iterata vocabula silvae.
Ut vero Hesperiis fulgens comitatus in arvis
Constitit, et Latiis apparuit infula campis,
Annorumque greges fulvaeque per arva cohortes
Explicuere gradum: subito (mirabile visu)
Visa sibi priscos appingere Roma colores,
Atque auro septemgemini flavescere montes.
Templa micant auro, niveis altaribus aurum
Fulgurat, alludunt auro fulgentia Divum
Limina, suspensae vigili flammantur in auro
Lampades, insertis circum sacra pallia gemmis
Irradiant, pateraeque micant araeque renident,
Annosaeque Deûm moles circique colossique
Arduaque auratis lucent Capitolia tectis..
Ipse Palatina quoties insignis ab aula
Magnus adoratas se fert Urbanus ad aras
Purpureo stipante choro, procul aurea vibrat
Lumina Sidonioque vias illustrat amictu.
Illi siderca triplex a fronte tiaras
Tergeminum late capiti circumdat honorem,
Atque auri rigua face gemmarumque serenis
Cingitur excubiis, vivoque innoxius igne.
Hinc habitat tereti pulcher saphirus in auro,
Hinc circumpositi micat aemulus ordo pyropi.
Quid memorem, Eois quae circum asperrima baccis
Pallia demigrent humeris? quater ebria poto
Murice purpuream nectunt subtegmina pallam,
Innexique auro Maeandri, et concolor undis
Fluctus et affusi filis simulacra profundi.

Purpurei circum proceres Latiusque senatus
Romuleum late cingunt latus; undique largus
Dispensat radios fulgor; populusque patresque
Attonitis inhiant oculis visuque fatiscunt,
Inque suo nimium cognoscunt praesule solem.
Ipsa novo felix subito juvenescere cultu
Visaque florentes Oenotria sumere vultus;
Et passim in terras subitis cadere imbribus aurum
Camposque fluviosque ipsasque in collibus herbas
Graminaque et summis stantes in montibus ornos.
Auro prata virent, horti crispantur in aurum,
Flavaque proceras circumdare bractea laurus,
Et virides vulgo nemorum pallescere rami,
Laetaque non iisdem vestiri frugibus arva,
Sed tremulis aurum paulatim appendere culmis
Incipiunt, gravidaeque auro curvantur aristae.
Nec minus interea bacchantum prodiga sistit
Libertas fluviorum, atque auro undantia volvens
Flumina riparumque moras pontesque recusat.
Jamque procul magni canis ex Alpibus amnes
Praecipitant, Rhodanusque et lympha binominis Istri,
Et pater obliquo riparum errore superbus
Eridanus rutilo praelabitur arva fluento;
Et Nar et vitreis bene decolor Aufidus undis,
Vulturnusque Lycusque ruunt, ruit aureus Aesar
Adduaque et pictis formosa Druentia ripis,
Et Trebia, et fastis olim damnata Latinis
Allia divitibus redimit sibi nomen arenis,
Flavarumque sonat pretio Thrasimenus aquarum.
Ipse etiam pater undosis Tiberinus ab antris
Clarior erumpit, raucoque volubilis auro
Obloquitur, riguoque illuminat arva metallo,
Urbibus et centum late centumque Latinis
Se circum exsolvit populis censuque superbit.

At pater Urbanus rutilam per amoena catervam
Rura jubet Latiasque domos et amica vagari
Moenia; discurrit rutili grex aureus Anni,
Atque hilares ducunt choreas vulgoque per urbes
Permistis errant cuneis: hi Tibridis oram,
Sarrastes alii populos atque antra severae
Aegeriæ et late campos Aniene sonantes;
Hi Fescenninas arces planosque Faliscos
Sirenumque domos Lacedaemoniumque Tarentum
Et Circes tumulos et Dardaniae Caietae
Sollicitant; alii Lavinia regna remensi
Soractisque cacumen oliviferosque Sabinos
Eridanique amnes et Iapigis arva Timavi
Exsuperant Liguresque intempestasque Graviscas.
Quos ubi dilapsos Latiis pulcherrima campis
Roma Palatini prospexit ab aggere muri:
Ite (inquit), pueri, nostros peragrate penates,
Ite, coloratis aeternum ludite campis.
Ipsa meas vobis Urbes, mea moenia pando
Ruraque florentesque domos. Arcete malignam
Finibus Invidiam Fraudumque latentia castra,
Vesanamque Famem et Stygiis sita Bella cavernis.
Ducite virtutes: passim Concordia Paci
Juncta per Ausonias figant vestigia sedes,
Cumque Fide Pietas tuta regione vagentur;
Ite, Dies, ite, optati mortalibus Anni,
Ite, quatergeminum solis torquete laborem.
Prima mihi procedat Hiems non invida campis,
Aut nimias hirsuta nives nec frigore segnis,
Sed tepido mansueta Noto; decor inde sereni
Veris et aestivi clementior aura Favoni
Purpureis adspiret agris; exuberet Aestas
Frugibus; Autumnus juga mitibus induat uvis.
Dixit, et optanti jurarunt Saecula Romae.

IX.

Hymenodora

Honore et Gloria internuntiis,

Illustrissimis sponsis Joanni Stanislao Sapieha, M. D. L. Curiae Mareschalco, Slonim., Msci., Bovien., Błudzin., Jasnoven. etc. castellorum Praefecto, et Annae Chodkiewiciae, Palatini Vilnensis filiae, Academiae Vilnensis nomine oblata anno MDCXX.

Academia Gloriam ad occentum invitat.

Alarum volucri remige quae polos
Incomprensa secas, vivida Gloria,
Tectis labere fulgurantis aulae,
Irritaque tubam sonantiorem.
Quo jubet Hymen, reboet plausu,
Tuba sidereis fabricata jugis,
Nutrita fausto culmine,
Littavica cantet Lumina,
Lucida coelis,
Lucida terris.

Illa voce tonet buccina ductilis,
Qua mentes facibus corripit aemulas:
Ut praeconia laudis aeviterna,
Concors posteritas perenniore
Inaret caelo, marmore signet.
Sic adferiat clangore polum,
Ut ornet augustos toros,
Ut ornet illustres choros,
Aere canoro,
Aere sonoro.

Regalis solii qui gerit indicem
Virgam, qui patriae fulget honoribus,
Quem sedes sibi destinat curulis,
Joannes sociat toro Sapieha,
Littavi Martis Caroli natam,
Ergo nutrix Gloria mentis,
In orbitae tereti globo
Toros alumni concine
Perpete plectro,
Perpete sistro.

Raptus quadrijugis Heliadum pater
Matutinus ubi gurgite prosilit,
Seu lassos ubi diluit jugales
Lympha Sauromatum loquaciore.
Illic procerum cantandus Hymen.
Illic thalamus laude Joannis
Ornetur, et, consors tori,
Anna decus audiat inclitum
Aere canente,
Aere decente.

Si quid porro queunt nunc Academica
Pubis plectra, ruat vis animosior.
Lapsus Pieriis jugis Apollo
Irritet citharasque nabliumque.
Totis Helicon resonet sistris,
Promat modulos turba novena,
Junctique buccinae tuae,
Regina mentis, Gloria,
Astra pererrent,
Dona perennent.

Academia internuntio Honori.

Incola domus stellantis, arduae consors
Virtutis Honor, annecte, quas soles, pennas,

Pronusque penetralia subi, serenatus
Ubi resonat Hymen, ubi chelys voces
Agitata dispensat, ubi garriunt plectra,
Laxantque plantis cursitantibus frenos;
Illic Sapieha Curiae Mareschalco
Annaeque, natae Caroli Ducis, sponsis
Laetissimus grataberis hilares soles;
Obsequia nostra, provolutus augusta
Ante solia procerum, dicabis aeternum,
Virtutis insuper arduae dabis dona,
Eruta penu perenniore convexi,
Quae nec cinis praedo dolosus arrodit,
Nec edace caries vitiat insolens dente,
Nec tempus irremeabile obruit punctis,
Hoc, Honor, ages, qua potes et assoles arte,
Sinuosus illabere, modestus abscede.

Honor internuntius ad illustrissimos sponsos.

Ad plausus hilares venio Virtutis alumnus,
Nutritor mentis nobilioris, Honor.
Munera sidereis fabricata decentia gazis,
Non Aganippaeis fontibus hausta fero.
Illa tibi, Marschalce, dico sponsæque vicissim,
Maxima sint, opus est, quae dat amicus Honor.
Prensus Hydaspaeis vitiabitur unio ripis;
Quae tribuit Virtus praemia, vera puta.

Hymenodoron.

Mars sertis redimitus nuptiali vehitur essedo, altera manu citharam, ensem et sagittam altera librans. Supra nubem, reclivis Astraea gemina Cruce Tela sociat, Pietate adjuvante, hoc adjecto:

Proxima Dis Pietas vel ahenea Pergama vincit.

Aemula Pietas.

Mars, quid agis! socias bellacia spicula plectris!
Allambuntque tibi florea serta caput!

Haecne duellanti salierunt barbita quondam,
  Cum conjurata caede nataret humus?
Sors alterna placet, probat hoc Astraea vel ipsa,
  Spicula quae gemina nectit ab axe Cruce.
Ut Pietas comitetur eos, Cruce juncta Tonantis
  Patria queis tellus, digmata, tela dedit.
Annae mucro ferit pernixque sagitta Joannis
  Sidera; non rapiet vis violenta polum?

Nuptiarum praeses deus patriae ensem et sagittam porrigit. Virtus eidem Crucem geminam largitur. Illa, arma in hostiles acies, Cruces in domicilium supremum tendens, sic exclamat:

Proteret hostiles munimen utrumque catervas.

Amor patriae.

Arma maritali tibi fœdere juncta ministro,
  Patria, vernali fronde decorus Hymen,
Mucronem Chodkievicias, Sapieha sagittam
  Dat, tua terrificus ne gravet arva Scythes.
Ardua diva Cruces coelo superaddit, et inquit:
  Has in sidereos provida tende lares.
Proteret hostiles munimen utrumque catervas,
  Mucro suos feriet, tensa sagitta suos.
At tu connubii talem sic, patria, nexum
  Grata colas, ut se sentiat ipse coli.

Gloria curru triumphali vecta, Honore fabricante, binas columnas excitat, quibus pari vinculo nexis, Ensem, Sagittam et Cruces affigit illustrissimorumque sponsorum encomia adamanti inarat, hoc adjecto:

Est alternus Honor firma columna tori.

Mutuus Honor.

Gloria victrici lauro redimita triumphat,
  Cui gravat auratum gemmea chlaena latus.
Mucronem geminamque Crucem volucremque Sagit-
  Torquet, et implicitis mutua vincla parat. [tam

Denique surrectis binis locat illa columnis,
Pronus ad obsequium quas fabricavit Honor.
Mucro, Sagitta, Cruces ut multo sole perennent,
Nec petat obliquos ulla columna situs.
Sic sua jussa sequi discant; splendore vicissim
Duret ut illa suo; duret ut ista suo.

Gryphs supra hostes profusos stans Ensi Sagittam jungit, cui Victoria coelitus Cruces addit. Parte ex alia Hymen geminum speculum solaribus radiis ictum Gryphi exhibet, hoc adjecto carmine:

Integritas vitae connubia semper adornat.

Aemulatio Sanctimoniae.

Arduus exanimes pedibus Gryphs proterit hostes,
Victricisque deae coelica dona capit,
Pennatum Telum districto foederat Ensi,
Asperat et gemino barbara corda metu.
Sed festivus Hymen metuendas dispulit iras,
Cordis et incensas leniit ore faces;
En, inquit, gemini speculi fax aemula Phoebo
Ut vibrat roseum, Gryphs generose, jubar?
Symbola sunt procerum, quorum fers stemmata: quan-
Ergo decus Virtus hic geminata dabit? [tum

X.

Sacra Lithothesis

in prima templi Magnae Virgini Matri dedicati erectione Patrum collegii Crosensis S. J., liberalitate Illustrissimi D. Joannis Caroli Chodkiewicz, Palatini Vilnensis regni Poloniae et M. D. L. adversus hostiles Turcarum copias exercituum ducis, Livoniae Gubernatoris, fundati, celebrata anno Domini MDCXXI.

Dux Carolus magno coelestium Geniorum clypeis gladiisque instructorum stipatus globo, ad aram Virginis Sanctissimae an-

te expeditionem Turcicam vota sua nuncupat; cui e nubibus protensa manus Labarum signo Crucis illustre porrigit, Aquila vero, Poloniae insigne, fulminibus, tormenta bellica explosis ferreis glandibus Ottomanicam Lunam petunt.

Epigraphe: Supera imis opitulantur,
Ima Superis gratantur.

Tibi militat aether.

Haec, quae nubivago rotantur axe,
Et de nubibus aërisque curru
Armamenta novas cient procellas,
Et rauci tonitrusque fulminisque,
Picto fulgure mentiuntur ignes.
Haec Mavortia fulminum satelles
Quam comit face fulgurator aether,
Et flantum vehit essedo Notorum,
Lechi nobile stemma; concitavit
In Lunas Othomanicumque vulgus.
Victrices Aquilae, Polona signa,
Huc ad sidereae Parentis aras
Et surgentia convolate templa,
Praebet fulmina Virgo: Ductor artem.

Superis mortalia curae.

Principiis operum, superas delapsa per auras,
Turba faves; crescet sedulus inde labor.
Vulnificos manibus Pietas dum suggerit enses;
Non inclementis credimus arma Dei:
Templa vocant Superos, Superis mortalia curae:
Et socias jungunt Terra Polusque manus.
Rite fit, o Superi! patrios delectus in hostes
Dux melior, miles fortior esse queat?

Fons aquas sursum ejaculatur, quae ad ternos e nubibus prominentes reflexae crateres in Illustrissimum Ducem, in aedem sacram recens erectam, et propugnaculum quoddam decidunt.

Epigraphe: Munus in auctorem redit.

Deo, sibi, patriae.

Flumina, quae terno nituntur in aethera saltu,
Sunt Chodkieviciae munera larga manus.
Sunt sua dona Duci proprio servata labori;
Et sua sunt patriae, sunt sua dona Deo.
Quae majora putas, uno quae fonte redundant?
Nam dispar triplici funditur amnis aqua:
Templa Deo; patriae libertas, et sua laus est;
Magna sibi, patriae maxima, rara Deo.

Dux Carolus cum barbaris dimicaturus, eorundem cohortes e militari tentorio prospiciens enumerat; Gryphus interea patrius altero pede gladium, lapidem altero tenens hostiles acies terret.

Epigraphe: Numerabo vos in gladio.

Non viribus sed numero.

Carolus enumerat numerosi castra Geloni
Non fallet justam justa tabella manum.
Victa luet meritas Othomana licentia poenas,
Quosque Stygi vindex immolet, ensis habet.
Coge pharetratas campis, Othomane, catervas
Quae Lechicas quondam diripuere domos.
Cultus ad hunc lapidem, recti bonus arbiter ensis
Num feret intactum longius ire nefas?

Ode.

Dei O. M. et Virginis Matris auxilium adversus Turcam Illustrissimo Fundatori promittitur.

O qui labantis fata Poloniae etc. Vide pag. 240.

Virgo Sanctissima dextra bilancem gemina lauru, sinistra gemino gladio onustam tenet; Polonis interea equitibus cum Carolo Duce ad proeliandum cum Ottomanis petentibus, et coelo super vexilla tympana, gladios, hastas, tormenta, clypeos, arcus cœteraque instrumenta militaria effundente.

Premunt aequam Mars et Victoria lancem.

Ecquid ferrea nubibus procella
Telis fulminat, et pluente ferro

Campos Martius inquietat imber?
An in Bistonii genus tyranni
Thracum millia Thraciasque Lunas
Conjurata tumultuantur astra?
An de coelite mittit officina
Sanctorum Dea Dux manipulorum
Robustissima Chodkievicianis
Armamenta toris? utrumque credo
Nostri symbolon imminet triumphi.
Et ne quis dubitet, Virago nostras
Aequa ponderat in bilance vires,
Aequa ponderat in bilance palmas.

Sub gravi ense palma levis.

Auditis? cecinere tubae, fremit aethere Mavors,
Crudaqua de solidis nubibus arma cadunt;
Scilicet ista suo, templi memor, arma clienti
Virgo dat, et socias sedula jungit opes.
Diva fave; tibi templa solo, tibi ponimus aras,
Tu bona sidereis omnia mitte plagis.
Quid Chodkievicii dubitas de pondere ferri,
Omnis erit tanto sub Duce palma levis.

XI.

Salomon poëtice describens Sponsam.

Ode.

O casta Sponsa, quam tegit
Formosa mundi gratia;
Ut omnia miror, ut tuos
Mecum capillos supputo!
Tales ocelli purpurant
Castae columbae; quam suo

Decenter a fastigio
Crinalis unda defluit!
Quales capellarum greges,
Cum jam verecundo pudet
Latere stellas gurgite;
Omnes gemellis foetibus,
Omnes pudici fluminis
Recente rorantes aquâ
Tonsis Galatiadi jugis
Suum recurrunt ad larem.
Hinc et illinc euntibus
Vesper lucernas aetheris
Praeportat, et saltantibus
Jam fuscus arridet dies.
Quam delicato candidam
Disponit ore grandinem
Eburnus ordo dentium?
Ut innocenti taenia
Conchyliati muricis
Superbit ostro; sic tuis
Diffusa labris gratia
Suos in amnes liquitur,
Suasque decurrit genas,
Frontique cincinnus decens
Alludit et sanctos meo
Casses Amori fabricat,
Cordique ponit retia.
Ut blanda vultus purpura,
Duplexque malarum color,
Cauros ridet, stultos Notos,
Pandisque mirantem procul
Apeliotam faucibus!
Ut mala longe Punica
Blandis tenent saporibus;

Si forte cultri vulnere
Libro recisi corticis
Vulgant odorum copiam!

Reliqua desunt.

XII.

Ode ad Honoratum Vicecomitem,

Archiepiscopum Larissenum, Urbani VIII. Pontificis O. M.

ad regem Poloniae legatum.

Non ergo frustra credimus exteri,
Insubre campo e quercubus aureas
Glandes pependisse, et vetusta
Italiae rediisse saecla:

Quando per omnes e Comitum domo
Remota terras gloria fronduit
Gentesque et urbes et capaci
Oceanum prope texit umbra;

Mox et potentum digna virescere
In sceptra regum, Pontificalibus
Coelique terrarumque sacrum
Imperium geminabit aris.

Quis ducat aequo carmine bellicas
A stirpe laudes? quas oriens adhuc
Primique ter percussa solis
Porta tremit? ruit arma contra,

Magnoque magni pectoris obice
Submovit hostes et clipei cava
Protexit Europen sub umbra
Assyriis pius Otto campis;

Donec severo judice proelio
Altum in perempto magnanimus stetit
Voluce victor: Io caesi
Tolle manu spolium tyranni.

Pellaeus aureo se sinuat tibi
Umbone serpens, inque tuos amant
Migrare certatim lacertos
Aemathii decora alta regis.

Mox et togatos mitior indues
In pace mores; adspicis ut jubas
Submisit, ut trisulca lenis
Sibila composuit Chelydrus:

Ut saeva linguae tela resorbuit,
Et paene blandum vox hominem sonat!
Hoc est inhumanas domare et
Eloquio cohibere gentes,

Omnesque gnaro fingere pectorum
In ore formas. Jam videor pios
Audire post longe nepotes
Dardaniae dare jura Romae,

Et longa regum foedera nectere
Ducente lingua. Dum populis sacra
Alphonse majestas Latini
Patris erit, dominaeque Romae,

Dicêre Tuscis gentibus aureus
Orator alti pondere consili
Momenta bellorum et labantes
Eloquio populos in aequam

Librasse pacem. Jam tibi Vistula
Ad literatae flumina copiae
Jam languidus subsistit Ister,
Jam refluo Tagus haeret auro:

Quis ille retro, non patruo minor
Pulchro nepotum de numero Comes
Se fert Honoratus per altos
Sarmatiae Melitesque campos?

Junctoque clari nominis alite
Utrumque mundi pervolitat latus?
Nosco renidentes pudore
Nosco genas, juvat usque sacro

Haerere vultu; sidereum juvat
Multoque foetum numine cernere
Pectus, redundantesque docto
Ore sonos animique sanctum

Libare florem: quis placidas faces
Intaminatae non amet indolis?
Quis fronte diffusam ac benignis
Longe oculis animam eminentem

Suique largam? Stat vigil unice
Divis probari spiritus et sui
Se cogit in summam, neque extra
Se pretium numerare novit,

Semper relicto mens opulentior
Ac major auro. Quid decor integri,
Quae lux honesti? quae sereno
Dulce micans sedet ore virtus?

Quae fixa vivae gratia purpurae?
Quis candor alti proditor ingeni
Salvaque majestate blandum
Alloquium niveique mores?

Talem Latinae te modo praesidem
Sensere gentes; talis et otii
Servator et legum, beatas
Ausoniae moderaris urbes.

Quo te triumpho suscipit arbitrum
Picena tellus! qui tibi civium
Nimbus salutantum, et clientis
Unda fluit refluitque vulgi?

Quantaeve Romam te reducem vehant
Plebis catervae! Sed procul extero
Sermone sublimem Bootes
Accipit et dubiam salutis

Commendat Arcton, ne male Lucifer
Antiqua septem jura Trionibus
Exundat. At qualis stetisti
Parrhasio Cynosura coelo?

Regem Poloni dum sibi libero
Sententiarum murmure dicerent,
Et saeva tempestas per omnem
Sarmatiae tonuisset auram,

In templa Divum dum Latios vigil
Grajosque ritus assereres, pii
Orator Urbani. Quis ille
Per Lechicos Litavosque coetus

Se fundit imber vocis et aureae
Procella linguae? quam bene consona
Suffragiorum vexit aura
Densa patrum populique turba.

Substite, Clio, mox ubi fulserit
Praesul Latinae sidere purpurae,
Majora tum demum juvabit
Carmina deproperare plectro.

Nam qui revinxit Dardaniae tibi,
Alberte, crines lumine purpurae,
Hoc ipse eodem purpuratus
Protinus aspicietur astro.

A se carere nemo datis solet,
Semperque, qui dat munus, habet; meae
Haec nempe non frustra merenti
Vota tibi cecinere Musae.

XIII.

Ode in funere

Joannis Rudominæ Dusiatski, Tribuni Braslaviensis, et filii ejus Georgii, Aulici et Dapiferi regii, bello Turcico ad Chocimum caesi Anno MDCXXI. VII. Idus Sept.

Aeterna memoria patris natique Manibus.

Non purulentis oblita sordibus
Edax Vetustas his penetralibus
Late superbit, sed perenni
Mnemosyne solio recumbit.

Vitae rependit praemia traducis,
Asprisque solvit pensa laboribus,
Et quas frequentato dolore
Indigenae meruere palmas.

Pacatus arces jam genitor capit,
Quas, destinato limite, laurea
Pax sepsit, et confasciavit
Turriferos apices oliva.

Hic pessulato vox ululantium
Inhaeret antro, nulla penatium
Lamenta, nec tanto profusi
Hospitio gemitus reclinant.

Cives eburnis aurea barbitis
Lusuque mulcent sidera, pars choris
Indulget aeternis, sonantes
Pars cytharas digitis pererrat.

Ales triumphos sic Palamedia
Gyrat, gelatae quando hiemis rigor
Discedit, et sese ligustris
Prata superbificis colorant.

Aethram stupentem tunc modulatibus
Illectat; illi silva sequacibus
Conis remugit, duplicesque
Unum opus accumulant lepores.

Patri jugatis gressibus additur
Comes serenus filius, Isthmiis
Nusquam triumphator palaestris
Vulnere nobiliore fulsit.

Depurpurati vulnera corporis
Ostentat ardens; hos Othomanicae
Inquit, sarissae permearunt
Funeris impavidos lacertos.

Haec ignearum fulmina glandium
Circum fremebant pectora, saepius
Athleta lunatas phalanges
Elicui metuendus hasta.

Volente donec Numine, tragula
Scrutatur artus Thrax truculentior,
Lassumque tot palmis paratis
Pulvere funereo supinat.

Amore fossas Numinis et Crucis
Nunc pando plagas; quis melioribus
Pugnavit armis, clariores
Aut tulit exuvias reversus?

Non sarcinata pelle Libystidis
Incingor ursae, non Nemeeïo
Leone, quem victor subegit
Amphytrioniades in arvo.

Crux velat armos, sideris aemula
Crux glorioso vertice fulgurat:
Aeterna susceptos labores
Mnemosyne cruce muneratur.

XIV.

Ode in funere eorundem Rudominarum.

Paraenesis parentis ad filios.

Haeres paterni sanguinis, inclito
Frustra tumescit stemmate, patrias
Ni muniat ceras avita
Indole magnificisque factis.

Si quid parentis mortua vox potest,
Coeli per altas non penetrabilis
Constanter eluctata moles,
Marmoribus tumuli refractis,

Audite, nati, Martia pectora,
Voces paternas, quos pietas mea
Virtutis haeredes simulque
Cura facit dominos bonorum.

Cultus Tonantis Numinis et fides
Albata Christi sanguine in intimis
Vivat medullis, et recenti
Evireat pietas colore,

Examinata justities libra
Sensus gubernet; supplicet utile
Quodvis honesto; hinc, hinc decori
Ocius exsiliunt honores.

Vicina magno patria Numini
Intaminatis crescat amoribus:
Inglorius nemo revulsit
Pro laribus jugulum paternis.

Scribuntur astris facta loquacibus
Isthaec virorum; non cineres pavet
Infracta virtus, nec jugantur
Terribiles animi sepulchris.

XV.

Ode in funere eorundem Rudominarum.

Epinicium victoris.

Tormenta diri fulminis aemula,
Clangor tubarum, murmura tympani,
Bellantium clamor virorum,
Et fragor et gemitus cadentum

Obtundit aures: ne lacrimabilem
Lessum, querelas neu miserabiles
Vir audiat, caesus libenter,
Victima pro patriae salute.

Non vult doleri flebilibus modis,
Campos patentes sanguine proprio
Qui decoloravit, cruentum
Laudis amore petendo fatum.

Compesce luctum; tristitiam Notis
Portare tradas in mare Balthicum
Frater; dolorem temperato,
Moesta parens, animo retunde.

Vixisse longum est, pro patriis focis,
Pro rege et aris qui potuit mori;
Vernans juventus sic perempta
Est nivibus potior senectae.

Non usitatis clarus adoreis,
Jam Daedaleo celsior alite
Penna ferar famae perennis
Longius, invidiaque major.

Me sera libris posteritas leget;
Mortis decorae post obitum mihi
Reclusa donantur beatae
Emerito prytanaea vitae.

XVI.

Ode in funere eorundem Rudominarum.

Dignos laude viros Fama vetat mori.

Labentis aevi nemo fugacia
Dispensat exlex stamina: quemlibet
Fatalis Atropos lacessit
Et rigidum ciet ad tribunal.

Annosa seu te praecipitet dies,
Seu prima vernet gratia temporis,
Trudet sub aequales procellas
Prensa freto ratis abnuentem.

Fusos acervos saepe Proserpina
Uno reliquit cuspidis impetu,
Teloque vibrato pavenda
Abdit humi juvenes senesque.

En, ut severa vel modo dextera
Tumultuosos aggerat impetus,
Et Rudominarum sepulchra
Agglomerat patria dolente.

Nunc in Joannem torsit acinacem
Canae senectae deproperans decus,
Nunc in Georgium resaevit
Progeniem generosiorem.

O lacrimarum reflua flumina!
Lux una binum dat tumulo jubar,
Patremque filiumque nexu
Una rapax sociat perenni.

Uterque fixa lege coërcitus
Decreta summi Judicis audiit,
Hic flore pullulante, cana
Ille genas inarante ruga.

Utrumque virtus sed tamen enthea
Aeternat, aetas postera debitum
Utrique marmor pollicetur
Et memores patriae colossos.

Dicet Joannis pectus aheneum,
In perduelles cum rueret greges,
Moschumque fudit fraudulentum
Ense metens animosus Hector.

Dicet Georgi Martia spicula
Dextraeque robur vindicis arduum.
Qui patris aemulus decorum
Trivit iter celerante planta.

Formidolosus cum furor undique
Exaestuaret Bistonii ducis,
Turcaeque lunatae phalanges
In Lechicos ruerent penates.

Cordatus heros non tulit impias
Errare turbas; acer in hosticos
Illapsus assultus, cruoris
Imbre faces patriae repressit.

O digna penna pectora praepete!
Vobis nepotum collacrimatio,
Bustisque debetur relictis
Fama, decus resonaeque voces.

XVII.

Ode in funere eorundem Rudominarum.

Fortes bonique perennant.

Quid, trux, superbo transigis, Atropos,
Festum triumpho laetitiae diem?
Cur arrogantes fastuosis
Das manibus pedibusque plausus?

Ergone tantum, livida, gaudii
Amœniori pectore concipis,
Vim Lithalorum Rudominas
Fatifera cecidisse falce?

Durat caducum nil stabili pede,
Ast usitato labitur impetu:
Mortalis aevi sorte versat
Ambigua Nemesis volumen.

Semel (fatemur) funeris omnibus
Trames terendus; serius, ocius
Omnes ad unam pulverantis
Persephones properamus urnam.

Verum virorum nescia fortium
Virtus recondi mortifera specu,
Aeternitatis degit annos,
Perpetua coliturque fama.

Vivit Joannes, vivit et inclitus
Contemperata laude Georgius,
Et laureatas ambo palmas
Empyreis referunt in oris.

Hic pro Tonantis Numine Maximo
Et Christiani nomine dogmatis,
Pro patria regisque vita
Armisonum coluit Gradivum.

Formidolosos pectore Martio,
Risit furentis Massagetae globos,
Et contumaces Concanorum
Messuit impavidus cohortes.

Depurpurantem sanguine Turcico
Campus liquorem Valachicus bibit;
Podoliarum foeta tellus
Tartarico tumuit cruore.

Maturus aevo Nestoreo parens
Virtutis astro fulsit amabili:
Lumen Minervae, fama Phoebi,
Relligionis Atlas Quirinae.

Uterque dignus perpete gloria,
Uterque dignus Coelicolum throno,
Uterque dignus sempiterno
Colloquio Triadis potiri.

XVIII.

Elegia in funere eorundem Rudominarum.

Nulla est superae violentia Legi.

Pande fores lacrimis, moesti dolor intime cordis,
  Funereo luctus proluat amne genas.
Una dies patrem tumulat natumque recondit,
  Et pater et natus jure dolendus erit.
Ille pater moritur, soboli qui perpete fama
  Factisque ostendit nobile laudis iter.
Qui monitu facili dictisque sequacibus uno
  Quaerere virtutum jussit amore vias.
Divitiis pollens sanctoque potentior auro,
  Aeterno fecit surgere templa Deo,
Ceratis toties tabulis et fascibus hostis,
  Bullatas vidui sprevit honoris opes.
Sola catenatos virtus quae ducit honores,
  Nexibus adjunxit pectora justa suis.
Non levis ambitio, et mendaci perlita fuco
  Gloria magnificos traxit ad ima sinus.
Ignes relligio longaevis praetulit annis,
  Et quidquid probitas jugis amare docet.
Nec genitore minor soboles pro sede paterna
  Purpureis tinxit membra strategus aquis.
Bellator petiit generosa Georgius arma,
  Hannibal infracto robore, Marte Milo.
Hem, vix Threjicias ferrum contorsit in Hydras,
  Dum capita ense petit, saucius ense cadit.
Ah quantus rueret per Moschica proelia miles,
  Qualiter aut celeres funderet iste Getas.
In Gothicos iret quanta cervice Leones,
  Servaret patriae si fera Parca virum.

Martia majorum spectaret turba nepotem
  Antiquis palmas accumulare novas.
Thomas ille foret, patriae, Laurentius alter,
  Qui patrium auxerunt Marte favente decus.
State piae lacrimae, patrem natumque dolemus;
  Verum tristitiae debet inesse modus.
Diptera quod coeli aeterno conclusit ab aevo,
  Mergere decretum lacrima nulla potest.

AD

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII

POESIM POSTHUMAM

APPENDIX I.

Quinque odae *) ad Sigismundum III.

Poloniae regem.

ODE I.

Virtutum acies sub Sigismundi signis pugnat.

Diva, subjectas domina coronas
Quae manu spargis, soliisque gaudes,
Aut adoratis populo minori
Ludere sceptris;

---

*) Hae quinque odae, (ut scribit P. Brown Niesieckium secutus) compositae sunt Romae, et anno 1629. oblatae regi Sigismundo a Nicolao Smogulecki, qui postquam se Praefectura Nakelensi abdicavit, Societatem Jesu ingressus est, et postmodum in Sinas tamquam missonarius se contulit. Videntur tamen hae odae auctorem habere Sarbievium, sic opinante P. Francisco Bohomolec S. J., qui eas cum aliis nostri poëtae carminibus posthumis imprimendas curavit. Nam praeterea, quod Nicolaus, cum Romae juvenis admodum philosophiae operam daret, familiaritate poëtae nostri usus est: quicunque Lyrica Sarbievii diligentius pervolvit, et stylum et entheum illius in his carminibus facile deprehendet.

Diva, quam rebus trepidis paventes
Ambiunt reges, et emace voto
Ducit in partes facilem moveri
Miles iniquus.

Quae simul curru volitans secundo
Castra lustrasti, placidasque visa
Ire per turmas, vel amica dextra
Tollere signa:

Ilicet campo fugiunt, latentes
Grandibus tecti clypeis Timores,
Et Metus vani generosa circum
Signa volantes.

Ilicet vires redeunt amorque
Martis insani; cupidusque laurum
Morte venalem rapuisse gliscit
Mentibus ardor.

Perge bellaces animare turmas,
Unde Mars ortus: neque jam Polonis
Hospes in castris, ubi te sodalem
Horrida virtus,

Et triumphatos celebrare Turcas
Laeta ventoso vaga Fama curru,
Et coronali sequitur superbus
Fronte Triumphus.

Dum Sigismundo violentus armat
Omnibus ripis Tanais cohortes,
Et Dahae Thracum maculosa tergent
Arma cruore.

Regium stipant latus, irrepexo
Crine formosus labor, et futuri
Mens sagax auspex, et adulta bello
Consilii vis.

Quem fatigatum modo Sol diurna
Ipse jam fessus simili labore
Vidit, hunc cernunt vigiles moventem
Sidera curas.

Lucis in partem miserata longos
Fratris errores venit, Indicoque
Dum latet ponto, vacuum pererrat
Cynthia coelum.

At Sigismundus vigil obstinato
Torquet insomnes animos tumultu,
Nec vices mutans jubet imperatos
Vincere somnos.

Larga devoti Pietas cruoris,
Et Fides nullo violata fuco
Et tenax aequi scelerumque vindex
Castra sequuntur.

Tanta virtutum tibi dum Polonis
Militat castris acies, propinquae
Terror Europae tibi cessit uni
Thracius hostis.

Nec minax ultra pharetra insolenti
Tartarus, laxo famulatur arcu,
Aut pigras inter meditatur alta
Otia silvas.

Ibat hibernae similis procellae
Arctici victrix acies tyranni,
Et cruentandus Scythicis fremebat
Bosphorus armis.

Qualis in rupes fremit, et minaci
Ister undarum cumulo, minorum
Fluminum dives spoliis, Apriles
Colligit iras.

Ni Sigismundi generosus ardor
Intumescentes prope funerandae
Littus Europae tenuisset alto
Objice fluctus.

Empta virtuti modico cruore
Vilior laus est: meliorque magnam
Impedit frontem graviore laurus
Empta periclo.

Quo tuum, princeps, reditum triumpho
Mœsiae valles, Hypanisque tuto
Alveo liber celebrent, et aurea
Phasidis ora?

Dum tuos, victor, Getica revisis
Caede formosus, spoliisque Thracum
Altior, laeto populos frementes
Aspicis ore.

Quas tibi moles Pario labore
Ponat Arctoae monumenta cladis
Fama, seu mavis Scythico triumphos
Marmore signet?

Illa per fastos memores sacrabit
Nomen aeternis titulis, tuamque
Inde virtutem nova posterorum
Mittet in ora.

Hoc habe pulchri pretium laboris,
Frigido vivas cineri superstes,
Grata quem pubes populusque longo
Eximet aevo.

Nec Ladislaus pavidos in hostes
Fulminat magno levior parente,
Dum patri sese probat, et paternas
Exserit artes.

Quantus armato metuendus astro
Surgit Orion, timidamque plebem
Siderum terret, rutilusque stricto
Fulgurat auro.

Festa bellorum tibi tradit ultro
Regna felici moderanda sceptro,
Et pharetratas animosa mittit
Moschua turmas.

Hoc tuae, princeps, satis est juventae:
His rudimentis populos regendi
Patrias artes, et avita disce
Sceptra movere.

ODE II.

Victoria Sigismundum coronat.

Ad arma, ad arma, milites, ad arma!
Pavidis seges horreat aerea campis:
Cassis amoeno horrore, jubaque
Fluctuet ancipiti;
Et facilis colludere vento,
Nutu minetur hostibus.
Terribili sonitu litui fragor
Aere canoro cieat Martem,
Bellique minas acuat cantu.
Ad arma, ad arma, ad arma!
Inauspicatos excitat impetus,
Et Concanorum plus vice simplici
Osmannus expertas cohortes
Fraudibus Odrysiis lacessit.
Patriae vindex pietas decoras
Urget in caedes, animasque magnae

Prodigas vitae rapit, impiisque
Objicit armis.
Ad arma, ad arma, milites, ad arma!
Aerea terribili tuba murmure
Cieat Martem bellique minas:
Ad arma, ad arma, ad arma!
Nocturna signis turpibus insidet
Fraus, imbecillo cui comites gradu
Junguntur ignavi Timores,
Et trepidas acies oberrant.
Pugna probrosas latet inter umbras
Nec diem testem patitur; sed alta
Conscios tendunt oculos cruenta
Sidera nocte.
Ad arma, ad arma, milites, ad arma!
Aerea terribili tuba murmure
Cieat Martem bellique minas:
Ad arma, ad arma, ad arma!
Sed jam recedunt agmina Bistonum,
Aut arva mordent immiserabiles,
Frustraque fortunam priorem
Aemathiis lacrimantur armis.
Jam Ladislaus vacuus pericli,
Barbaro laetus potitur triumpho;
Jamque victrices Aquilas Polona hastilia tollunt.
Fugite, fugite, fugite pede praecipiti;
Fugite, fugite celeres equitum cunei.
Aedones, Bistones, Moschui, Tartari, barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite barbari!
Instat citati fulminis impetu,
Et nube missis ignibus acrior
Miles Polonus, et morarum
Impatiens furit ante pugnam.
Qualis Eleo sonipes in arvo
Laetus absentem cavat ungue campum;

Sic eques strictis violentus armis
Ardet in hostem.
Fugite, fugite, fugite pede praecipiti,
Fugite, fugite celeres equitum cunei,
Aedones, Bistones, Moschui, Tartari, barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite barbari!
Vos caprearum turba fugacium
Fractis Leones cornibus aggredi
Audetis, imbellique fronte
Ore avido peritura turba?
Quo furor mentes agit, insolensque
Martis insani rabies? quis ardor
Signa convellens, Rhodopen sinistro
Numine tentat?
Fugite, fugite, fugite pede praecipiti,
Fugite, fugite celeres equitum cunei,
Aedones, Bistones, Moschui, Tartari, barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite barbari!
Jam nec latebris, nec locus est fugae
Ignava Turcae pectora: nil juvat
Hostem experiri fraudulentis
Consiliis tacitaque nocte.
Jam recedentes ubi sol tenebras
Eximet coelo, dominata campis
Thressa languebit, dubiosque cedet
Cynthia cornu.
Fugite, fugite, fugite pede praecipiti,
Fugite, fugite celeres equitum cunei,
Aedones, Bistones, Moschui, Tartari, barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite barbari!
Io triumphe!
Dicite *io,* bis *io,* ter *io triumphe,*
Vos animae fortes, vos nati ad bella Poloni!
Carpit Idumaeas felix Victoria palmas,

Fortiaque Aemonia circumdat tempora lauro:
Dicite *io,* bis *io,* ter *io triumphe!*
Odrysias acies debellatosque Gelonos
Et conjuratas Europam adjungere victis
Olim Asiae Libyesque plagis jam dicite fractas,
Threiciam, Aemathiamque et formidabile regnis
Osmanni nomen, et Thressae cornua Lunae.
Dicite *io,* bis *io,* ter *io triumphe!*
Dum Phasim veterem et famosam vellere Colchon
Ismaraque et Rhodopen, et quidquid Vistula lae-
Amplexatur aquis, aut Vilia flexibus ambit, [tis
Fama Sigismundi doceat celebrare triumphos.
Dicite *io,* bis *io,* ter *io triumphe!*
Fama Ladislao ter *io* cane; tuque parenti
Fama Sigismundo ter *io* cane; vosque Poloni
Dicite *io,* bis *io,* ter *io triumphe!*

ODE III.

Pietas Sigismundo triumphum adornat.

Et messes Arabum focis,
Et nimbos Cilicum, et divitis Indiae
Fruges adde Polonia.
Et promissa diu solve faventibus
Divis vota memor; neque
Fraudentur meritis templa vaporibus.
Non jam milite Tartaro
Desolata gement arva Valachiae,
Nec pulsata equitem exterum
Tellus barbarica sentiet ungula;
Nec victus toties Scytha
Viset sanguineae rura Podoliae;
Et campos memores fugae,
Lassis urget equis dum stimulos Pavor

Thressum post equitem sedens:
  Ignavique Metus terga fugacium
Obverso clypeo tegunt.
  Tunc, Osmanne, tibi dura necessitas
Hanc vocem et pudor extudit.
  Imbellis volucrum turba fugacium
Pugnaces aquilas, (nefas!)
  Ultro prosequimur, vanaque proelia
Uncis ludimus unguibus.
  Signis ante quidem semiviri Phryges
Cesserunt Othomanicis:
  Et quondam ingeniis Graecia nobilis,
Et mitis Paros, et manu
  Imbelles Tyrii, quique Corinthio
Undarum arbiter insolens
  Isthmus bina jugo dividit aequora;
Lunatesque vehens rates
  Foecundus subita Nilus adorea
Captivo fluit alveo;
  Et quidquid Libyco clauditur aequore,
Arctoo premitur jugo.
  At non et simili Marte Polonia
Tentanda, et juga Carpathi,
  Et devota neci pectora liberae,
Audacesque mori Aedones:
  Aut duris Rhodopes cautibus editus
Miles sidere Martio.
  Non jam Sarmaticas exuvias meis
Delubris voveo, neque
  Currus sanguineos caede Polonica,
Capta mergere Vistula.
  Quod si fata sinant, et bona fortibus
Coelo numina consulant,
  Victrici galea jam meus hauriat

Rhenum miles, et Albula
   Captivo Geticas sentiat alveo
Naves sanguine decolor,
   Et quae belligerae cunque Poloniae
Gens ultra Tanaim jacet.
   Bello sola mora est, sola Polonia.
Sed quid spem modo transfugam
   Frustra sollicito? fataque Sarmatis
Conjurata cohortibus?
   Ultra sola fuga est, si miseris fugam
Fortuna et pudor annuat.
   Haec inter lituos dum lacrimabili
Thrax deflet querimonia:
   Felices Aquilas, et toties Scythae
Notas Sarmata promovet.
   Tunc virtus Zephyris vecta jugalibus
Instructas acies adit;
   Et magnas patriis viribus aggerat
Mentes, atque capacia
   Non ignobilium pectora vulnerum
Implet sanguine Martio.
   Et dura patriae mulcet Amor manu,
Formosoque periculo
   Contemptorem animum funeris asperat.
Ut currus super et rotas
   Plaudens laeta jubis colla comantibus,
Exhortatur equos Pavor,
   Aut lucem gladiis addit aheneam,
Aut pinnas radiantibus
   Componit galeis, duraque mobili
Ludens arma quatit manu.
   Sic pugnes Superis in profugos Scythas,
Ladislaë, faventibus,
   Sic vincas Superis, o patriae decus,

Ladislaë, volentibus.
Post victas acies, atque Othomanico
Tinctum sanguine Bosphorum;
Currus cum dominos utraque senserit
Servi ripa Boristhenis:
Per strages medias, armaque fortibus
Erepta arduus ambula:
Et partam meritis sume superbiam;
Dum conus galeae minax
Victum Thraca jubis altior increpat.
Aut lassum vacuo caput
Deponas clypeo; et quae prius hostium
Tinxsti gramina sanguine,
Somno jam placidus pacifico premas.
Dum pulchrum revehens diem
Ficta grata quies Martis imagine
Jam secura pericula,
Et vanos strepitus misceat insolens
Et currus et equos sopor.
Mox per frugiferae rura Podoliae,
Fatalesque Getis agros,
Qua nunc Odrysio sanguine pinguior
Campus caedibus horruit,
Qua nunc caede nova luxuriat seges;
Mavortis spoliis Ceres
Gaudens, Bistoniis demetet ensibus
Maturam segetem, et Scythes
Flaventes calamos discet acinacis
Sicco scindere vulnere.
Et scuta oviparas excipient aves:
Aut acris litui immemor
Carmen pacificum garrula ab hospite
Cassis discet hirundine:
Quae caesi capitis plena Podolicis

Campis volvitur, et minor
   Cristis mobilibus moeret inutilis.
Sic, sic regia sanguine
   Crescet fertilius barbarico seges:
Atque insignia principis
   Frugis sanguineae purpura vestiet;
Foecundisque novalibus
   Maturam segetem gloria demetet.
Et mandata fidelibus
   Sulcis flava Ceres foenoris annui
Usuram agricolae dabit
   Respondere tuis fida laboribus.
Hac sementis adorea
   Armato agricolae sceptra virentia
Surgent, et diademata,
   Sigismunde, tuis apta nepotibus.

ODE IV.

Religio Sigismundo aras promittit.

Quem bellicosi prodiga sanguinis
Bellona Marti cunque probaverit,
   Et patriam objectu cruenti
      Pectoris eripuisse fortem,

Periculosam cum movet aleam
Fortuna rerum mobilis arbitra,
   Signarit, et frontem superbis
      Vulneribus memorem duelli:

Hic longa fiet fabula posteris;
Hunc invidendum fama nepotibus,
   Proponet exemplum, memorque
      Perpetuo celebrabit aevo.

Prius senectam marmora sentient
Mentita vultus oraque fortium:
  Aut aera, quae spirant, parentum
    Laurigeras imitata frontes.

Hac arte vincet livida saecula;
Fugamque longi temporis, Arctico
  Clarus Sigismundus triumpho,
    Et patriae pater atque tutor.

Cui fraudulentis artibus Aedones,
Tandemque fido milite Concanus
  Et Tartarus velox pudenda
    Versa fuga exhibuere terga.

Te, rex, sed olim patria, post quater
Emensa magni saecula Nestoris,
  Inter Polonorum sacratis
    Indigetes numerabit aris.

Vivet superbae fama Poloniae,
Vivet Poloni gloria nominis,
  Vivet Jagellonum vetustus
    Sanguinis, et imperio paterno

Fatale nomen. Quem modo Bosphori
Videre ripae, Thracaque flebilis
  Phalangas hostiles prementem;
    Dum patriae populique vindex

Virtus, honesto laeta periculo
Densos in hostes tela per et minas
  Immittit audentem, fugatque
    Dura super vacuos timores.

Dum castra densis oblita caedibus
Furor cruenta nube supervolans,
  Et prae Ladislao minaci
    Bistonias acies fatigat.

Qualis cometes sanguineum jubar
Spargens, minaci lumine fulgurat,
Abominati Martis ardens
Nuntius, horribilisque pugnae

Exterret urbes. Heu! quibus horrido
Crucntus igni nuntiat hostium
Turmas? quibus regnis, quibusve
Bella famemque minatur arvis?

Talem Ladislaum agmina Thracia
Videre, quando fulmine saevior
Ibat per obstantes catervas
Aemonio inviolatus arcu.

Non tutiorem praestet aheneo
Lorica textu, aut unguibus horrida;
Non arte Vulcani gementes
Passa chalybs Steropas, vel Aetnae

Recocta flammas quae tulit: altior
Quam quem tuetur numine prospero
Virtus, et immissi volantes
Auxilio Superum manipli.

Devota ferro pectora Thracio,
Hostemque juratum exitiabili
Frustra sacramento paternis
Auspiciis animosus urge.

Urge Scytharum terga fugacium,
Et moesta Lunae cornua Thraciae
Jungi veta; quae jam maligna
Luce micat, tenuique cornu

Sublustris, antiqui imperii decus,
Et spes caducas deserit occidens,
Septemque jam solvit Triones
Cassa metu Geticosque montes.

Post haec Orontes, aut gelido Ladon
Lavet fluento Bistonia rotas
E strage fumantes, et arma
Odrysia maculata caede.

Turcis nec ultra serviet altera
Formidolosi ripa Boristhenis:
Sed barbaris velox Lycormas
Limes erit trepidusque Cydnus.

ODE V.

Fama Sigismundo aeternitatem pollicetur.

Age praepeti volatu,
Age, Fama, scinde nubes:
Famulantibusque nimbis
Zephyros citatiores
Meliore linque cursu,
Aquilonibus protervis
Ocior, et pigro surgentes aëre ventos.

Age, diva, scinde nubes:
Et utramque vise partem,
Orientis et cadentis:
Via qua citata Solis
Celeres rotas fatigat,
Geminumque Phoebus axem
Circuit, aeternisque laboribus aethera lustrat.

Age, Fama, tende pennas,
Zephyros praei volantes.
Age, Fama, solve linguas.
Age, et ora pande centum
Merita loquacitate:
Tibi si patent tot ora,
Quot vigiles oculi, quot sunt in corpore plumae.

Age, Thracios furores,
Age, regios honores
Prohibe tubis silere;
Neque victa laus senectâ,
Et inerte nube tecta
Scythici indices triumphi
Odrysias olim doleat marcescere lauros.

Age, garrulae canenda
Ita semper, et stupenda
Nova suppetant: nec unquam
Taciturnitas molesta
Tibi claudat ora moesta;
Oculosque curiosos
Sarmaticae semper virtutis imagine pascas.

Age, Bosphorum rubentem,
Age, Vistulam calentem
Scythico cruore narra.
Cane Tartaros fugaces,
Cane Sarmatas sequaces;
Celeresque dic Polonos
Crescentem Odrysio Lunam minuisse tyranno.

AD

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII

POESIM POSTHUMAM

APPENDIX II.

Carmina, quae e codice Sarbievii manu scripto Joannes Krystyniacki anno 1876 primum in lucem ediderat, iterum excusa.

Cum pervenisset B. Andreas ad locum, ubi Crux parata erat, exclamavit et dixit: O bona Crux, diu desiderata, et jam concupiscenti animo praeparata, securus et gaudens venio ad te, et tu exsultans suscipias me discipulum Eius, qui pependit in te.

Nunc age stellimicas augusto vertice cristas,
Phoebe, Paratonio longe rutilantior auro,
Exsere, conspicuo dudum venerande curuli.
Quin etiam nitidis orbem radiare sagittis
Perge, polique plagas, patriaque micantia Lunae
Sidera, Cynthiacis iterum subnectere flammis.
Prome coruscantem telis radiantibus arcum,
Stelligerasque faces et amoenae spicula lucis
Ad mea festino propera solatia curru.
Tuque serenatos radiis armata coluros

Et magna dociles geminato sidere flamma
Imple, Luna, polos rutilo circumflua Phoebo.
Cum toties imis mihi suspirata medullis
Crux nituit tandem rubeo renovanda cruore,
Crux, de qua nullos speret Libitina triumphos
Ducere, letifero quamvis jaculetur ab arcu.
O bona Crux, lauro longe sacratior omni!
Ten' ego quaesivi toto spatiatus in orbe!
Quam prius ipse sacro rubefecit sanguine Christus.
Saepe tui causa traduxi pervigil horas
Noctis, flammato volvens in pectore curas.
Languida nec poteram solito dare membra sopori
Somnifero quamvis rogitaret lympha susurro,
Aut nemorum blandis agitata cacumina ventis,
Multaque quae silvis resonat frondentibus arbor.
O Crux, Dalmatico longe pretiosior auro,
Quae mihi semper eras imis infixa medullis
Te nunc amplector supremo cordis amore.
Est, cui multa dies pretio mercetur honores,
Est, cui sceptra paret technis furiata tyrannis;
Pro pudor! innocuo vilet sine sanguine palma.
Sed nullum male parta beant vel screpta vel aurum
Aut honor, aut late diffuso copia cornu;
Scilicet aeternis praefert qui terrea gazis,
Has perdit, nec Olympiacas ascendit in auras.
Sic avidos palmae fallit praeposterus error.
Ast ego non gemmis tabulata palatia quaero,
Flumina nolo Tagi rudibus stillantia venis,
Nolo quas ructat dives Pactolus arenas.
Unica palma Crucis Christi me sola beabit,
Solo meos lauri praecinget honore capillos.
Crux mihi delicias tribuet, Crux una triumphos,
Murice quae melius toto super orbe renidet
Utpote Coelituum divinis illita fucis.

Quam proni recolent disperso crine Geloni,
Et bene collecto flaventes crine Sicambri,
Bactraque Cecropidaeque ferusque strepentis Iberi
Accola, quos et Arar, quos et furibundus Araxes
Eridanique tenent lacrimae, quos aurea ditat
Unda freti, quos saxa ruens per confraga Nilus
Obstrepit, et Blemyae et Gades pelagusque, quod ultro
Tenditur, atque orbis foetus meliore metallo,
Quem vulgare nefas, seris quem provida saeclis
Depromet natura sinu. Pars supplice voto
Non frustra tumidos poscet mansuescere tractus,
Semina ne Boreas, ne culmum Sirius urat;
Pars te morborum dominam mortisque potentem,
Pars bella exosum ferali pasta cruore
Orabunt arcere suis a finibus hostem.
Illi rapta ferent superato ex hoste trophaea
Suspendentque tholis; Tiberinum illa inclita Roma
Et septemgemini turrita cacumina montis
Subjicient pedibus galeamque hastamque Quirini
Obscurosque lupae referent lactantis honores.
Hic mihi dulce mori lassumque reponere corpus
Hanc dudum volui multis e millibus urnam.
Cominus ergo tuos, o tortor dive, furores
Exsere, purpureosque meo de corpore rores
Exprime. funesta defigens in trabe membra.
Addito mille neces, crudelia vulnera mille,
Ut fiam toties optata morte beatus.

I.

B. Andreas expansis manibus ad coelum orabat dicens: Salva me, bona Crux.

O decus mundi, radiate Titan,
Cujus ad primos Hecate recessus

Incipit tristes reserare nubes
Noctis opacae.

Dic sub Aurora posito Trioni,
Dic sub occasu genitis Iberis,
Quique ferventem patiuntur aestum
Solis ab axe,

Dic, ad aeternam properare vitam
De triumphato Crucis hemicyclo
Andream nullo remorante spectro
Vallis Avernae.

Cui salutarem reseravit amnem
Arbor aeterno fluitans corymbo,
Et propinavit liquefacta rubro
Pocula musto,

Sanguinis musto bene temperato,
Quod venenatam rabiem Chimaerae
Frangit, et pondus grave toxicorum
Trudit ad Orcum.

Hoc superfusus calicis liquore
Andreas mundi superavit astus,
Et serenato meruit nitere
Splendidus ostro.

II.

Salve Crux, quae in Corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata.

Cedat auratis refluens arenis
Hermus illustri dominatus unda,
Nec refulgenti tumefactus imbre
Cornua fremat,

Dum cruentato satiata rore
Crux pluit gemmas pretiosiores,
Coelicum fundens melioris aevi
Flumen in omnes.

Quo semel poto bene notus orbi
Andreas cordis subito cruenti
Expetit large reserare purum
Sanguinis amnem.

Respuit fluxis renitere baccis,
Cui Crucis gemmae placuere Christi,
Et fatigatam rapuere Patris
Stemmata mentem.

Pulcher hic auri color, hic venustas,
Hic nitor rerum, meliorque coeli
Vultus, hic plenis agitata manant
Gaudia ripis.

Hic ubi septem meliore fato
Romuli colles radiant abunde
Et verecundo famulatur ore
Nobilis aula.

III.

Tempus est, ut commendetur terrae corpus meum, et me ad te venire jubeas.

Quid juvat nigras habitare terras
Asperum leto simulante somnum?
Quid juvat fluxae numerare longa
Saecula vitae?

Ite, mordaces, procul ite, curae!
Ille, qui coelum nebulasque ducit,
Me Crucis lauro penetrante nubes
Ultro coronat.

Et coruscanti radiata coelo
Crux triumphatum mihi donat aevum,
Dum jubet carpi diuturniores
Stamen in annos.

Nunc adest tempus remeante Phoebo,
Quod dat aeternum diadema fronti,
Et facit nostrum sepelire tetra
Corpus in urna;

Quae virescenti superat nitore
Chloridos rores, et inevolutos
Cynnami libros, et odora Medi
Vulnera trunci.

Pampinus picta*) cui cedit uva,
Cedit effusis cyparissus umbris,
Una cupressos Crucis inter omnes
Splendicat urna.

IV.

Non me permittas, Domine, famulum tuum a te separari.

Siderum praeses palagique rector,
Patris aeterni generosa proles,
Fac meum corpus Crucis ominato
Condere busto:

Ut queam tecum veniente leto
Laetus immensi peragrare coeli
Regna depictis variata stellis
Tempus in omne.

Ducitur semper nova pompa morti
Densus ad Manes properatur ordo
Agminis moesti, seriesque tristi
Occidit ortu.

*) Vocem hanc, quae in codice manuscripto legi non potest, proprio Marte substituimus.

Proh dolor! solus remanere nolo,
Nolo funesta residere valle,
Quem juvat dudum Crucis expetitae
Fata subire.

Malo, supremae dominator arcis,
Millies tecum licet indecoro
Arboris crudae redimire vincta
Tempora serto;

Quod mihi cunctis melius renidet
Principum sceptris, procul excitati
Nimbus argenti fluat, et frementum
Turba nitorum.

V.

Accipe me ab hominibus et redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.

Crux Thyestaeas imitata flammas
Sanguinis Christi rubefacta tabo,
Orbis aeternum decus, et corusci
Numinis urna.

O sacrum mundi jubar! o supernae
Fabra naturae sine luce lucens,
Tot catenatis religata vinclis
Suscipe corda.

Tincta fœcundo Domini cruore
Pande, Crux, ulnas famulo Tonantis,
Vena virtutum, generosa pulchri
Clavis Olympi.

Non ferit tanto jaculi furore
Phoebus ardenti metuendus aestu,
Ut meas angor Crucis inquietat
Saepe medullas.

Angor haud ulla reserandus unda,
Qui velut flammis renovata rodit
Igne furtivo populante nostri
Viscera cordis,

Rumpe praeduras, age, tot catastas
Corporis celsam remorantis aulam,
Sedis Arctoae referas nitentem,
Crux bona, lucem.

VI.

Videns Crucem Andreas exclamavit dicens: O Crux, quae per totum mundum rutilas, suscipe discipulum Christi, ac per te me recipiat, qui per te moriens me redemit.

Hic coloratis varium lapillis
Vinciat zona retinente byssum,
Alter insignes Tyrio lacertos
Subliget ostro.

Tu mihi vasto radiata mundo,
Arbor, arrides super eminentes
Siderum plausus, super et coruscos
Aetheris ignes.

Conferat tecum decus omne terrae
Fama miratrix senioris aevi,
Conferat caesas Sipylo columnas
Prisca vetustas.

Pulchrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno,
Cum suas cornu coëunte taedas
Cynthia jungit.

Tu meum condas tumulo repostum
Corpus, in cujus resupinus ulnis
Funeris nuper subiit cruenti
Fata Magister.

Sera nos illo referat senectus,
Unde non ullus remeavit unquam,
Pax ubi Patrum revocata luce
Laeta perennat.

VII.

O Crux, quae decorem et pulchritudinem de membris Domini suscepisti.

Qualiter pictis roseatus astris
Igneo currum moderante freno
Cynthius claros per opaca mundi
Exserit ignes:

Taliter Christi decorata membris
Crux micans late geminum per orbem
Carceris pellit Stygii furentes
Lumine noctes.

Quin renidenti rubicunda vultu
Exserit clarum melius nitorem,
Sole qua fusa Phaëton quadriga
Devia lustrat.

Sol enim coecas rutila revinctus
Fronte cum noctis tenebras repellit,
Non latebrosi valet indicare
Pectoris umbras.

Crux facem flamma meliore spargit,
Dum cavernosi tenebras Averni
Pellit, et coecas animi latebras
Dissecat ictu.

Scilicet Christi renovata Xantho
Cominus tantum retulit decorem,
Ut verecundo radiare possit
Corda rubore.

VIII.

Hic est, qui pro amore Christi pependit in cruce et pro
ge ejus sustinuit passionem.

Ante nascetur seges in profundo,
Et fretum pulchris renitebit astris,
Ante discedet glacialis Ursae
Sidus ab alto:

Quam tuas laudes populus tacebit,
Andrea, dulci resonare plectro,
Crux cui sedem dedit inter astra
Omne per aevum.

Finget effuso tibi nomen auro
Hermus argutum saliente lympha,
Te canent septem vaga fabulosi
Ostia Nili.

Nulla te terris rapiet vetustas,
Quem super celsos posuit planetas
Crux triumphali veneranda cingens
Tempora lauro.

Te genu nixae stupuere gentes,
Te, procul notae dominator orae,
Medus et Phoebi propioris Indus
Praedicat ore.

Qui volens Christi Cruce consecrari
Pergis ardentum rabiem leonum
Et Crucis miti tolerare duros
Corde labores.

IX.

In Cruce salus.

Cui poli rector residens Olympo
Jus dedit toto super orbe magnum,
Ultro concedens pretiosa mundi
Regna tenere:

Ponat inflatos tumidosque vultus,
Rebus haud credat nimium secundis,
Nec gerat torve laqueata fastu
Corda superbo.

Ut ferus Cyclops metuit parentem
Rupe ferventis remanens in Aetnae,
Ne superfusis violetur undis
Aethere ab alto:

Sic licet multo radiatus auro
Gemmea vestem moderere zona,
Non tamen summo tumefactus ore
Sidera tangas.

Nulla sors longa est, tumor ac voluptas
Invicem cedunt, brevior voluptas
Ima permutat subito supremis
Ut rota currum.

Una Crux veram tribuit salutem,
Nec procellosis agitatur Euris,
Sed Dei firmis bene fixa membris
Cuncta tuetur.

X.

In Cruce vera quies.

Quisquis augusta trabeatus aula
Vivis aurato potior metallo,
Huc Thyestaeo quatiens honorem
Perge curuli.

Indico quisquis radias nitore
Et triumphali dominaris arce,
Huc ades ventis et agente nimbos
Ocior Euro.

Ut solet rauco resonans tumultu
Torvus excussis Boreas habenis
Nubium vastos peragrare toto
Cardine tractus:

Ad Crucis plausum parili volatu
Solis ignitas superans quadrigas
Curre, non ulla revocandus Orci
Arte latrantis.

Pax ubi cunctis dominatur horis,
Nec tenebrosos struit aura fluctus,
Sic ut insigni velit aemulari
Astra quiete.

Ergo thesauris nihil allaborans
Pone surgentes super orbe curas,
Si Crucis semper cupis expetita
Vivere pace.

XI.

Vana fuga est. Crux, quam fugis, haeret.

Frustra rebelles poscis acinaces
Importuosa tela retundere

Crucis, recurrentesque frustra
Continuo refugis procellas.

Nam sive juxta pocula laetior
Primus recumbas sedulus artium
Cultor pudendarum, et decoros
Ore geras sine sole vultus,

Seu bracceatis clarus honoribus
Fastigiati tecta palatii
Colas et immensos in orbe
Possideas cumulos honorum,

Nos usque dirae belligeros Crucis
Vitabis ictus, quae penetrabili
Nil fervidae parcens juventae
Dilaniat misere senectam,

Et plus fugacem persequitur virum,
Fugit sequacem, si fugis, occupat
Ut umbra, venantesque ludit
Niliaca crocodilus alga.

Frustra repugnas difficilem sequi.
Crux te prehendit, non tamen asperos
Infligit ictus, quin Olympi
Melliparos referat favores.

XII.

Crux B. Andreae lumen et tegmen erat.

Quid fulguratis clara coloribus,
Crux, impotentes prosequeris viros?
Nil praestat heroum tumorem
Stellimicis cohibere telis.

Huc, o beatis cincta nitoribus,
Attemperati lampada luminis
  Tegmenque non durum procellis
    Sanguineis resera corymbis.

Huc nocte pulsa Cynthiacus poli
Non indecoro funde sinu faces,
  Tensoque flammatas ab arcu
    Protinus accumula sagittas,

Quibus necari sollicita petit
Praeclara Jonae progenies prece,
  Ultroque funesti cruenta
    In Cruce membra locat sepulchri.

Quod ridet orbis quisquilias jocans*)
Et vanitatum sollicitudines
  Vulgique moerentis tumultus
    Et strepitum popularis aurae:

Ridet superbae pignus inertiae
Obliviosis conspicuum super
  Nomen colossis, et notata
    Auriferis monumenta gemmis.

XIII.

In Cruce stat securus Amor.

Ut turma follem ludicra suscitat,
Intus coacto quae tumet Aeolo,
  Jam celsa, jam profunda verrit,
    Nec spatio requiescit uno:

Sic efferata nota tyrannide
Fortuna ludum ludere contumax
  Et donat et tollit secures
    Inque throno locat inque turba.

*) Pro vocabulo „laetus" primae editionis, quoniam metro non quadrat, illud „jocans" supposuimus.

Pax purpuratis nulla Quiritibus.
Tyrannus orbis, cui fuerat pila,
Hoc sortis agnovit duellum
Carnificis nece funeratus.

Quem Daedaleum non moveat fretum
Et culpa cerae, quae juvenilibus
Affixa membris heu! dolendam
Praestitit aligero ruinam.

Securus ergo non nisi permanet
Amor trabali conspicuus Cruce,
Quamvis opacus fulminantes
Tartarus ingeminet ruinas.

Stat et dolosas seditionibus
Emptas acerbis blanditias fugat,
Nec orbis expavescit astus
Nec Stygios trepidat colubros.

XIV.

Armatus Cruce tutus in arma ruam.

Horrore quamvis concita fervidi
Tumultuetur regia Nerei,
Et frendat emotumque fundo
Vertat hiems inimica pontum;

Formidolosos impavidus tamen
Frangam tumultus remigio Crucis,
Et alta sublimi polorum
Astra supervolitabo calle.

Non me Typhoeus vel trepidantibus
Intentus astris centimanus Gigas
Tardabit, evulsisque longus
Porphyrion cohibebit ornis.

Non regna Cretae, non Lilybeïa
Turrita saxis et scopulis vada
  Enaviganda, palpitantem
    Incutient animo pavorem.

Immurmurantes Pleïadum Cruce
Fugabo nubes, et gravium Notis
  Domos procellarum, et nivoso
    Egelidos Aquilone tractus.

Crux una diras Aeolidum minas
Et turbulentos diruet obices
  Periculorum, nec sinistris
    Ire dabit mea fata velis.

XV.

Crux optima mella propinat.

Aetas metalli divitis aurea
Regnata quondam falcigero seni
  Sudare (portentum!) cavatis
    Ilicibus sua mella vidit.

At non beatum vidit Hymettii
Stillare mellis nectar ab arbore
  Crucis, nec unquam dulciora
    Obstupuit sine fraude mella.

Dulcescit Albis rore fugacium
Vincente mites excubias apum
  Purumque mirantes Hymettum
    Melliparo lavat amne ripas.

Crux refluentes Mygdoniae lacus,
Hyblae feraces exsuperat favos,
  Quae sola mellicos propinat
    Siderea regione nimbos.

Crux haec Tonantis tincta liquoribus
Obliviosi pocula Gnosii
Exstinguit importatque terrae
Mella Syris potiora botris.

Inusitatis una Cydoniis
Crux Angelorum nobile depluit
Malagma, dudum concupitis
Delicias opibus maritans.

XVI.

Nil didicit melius monstra domare Cruce.

Formidolosa monstra proterviae
Stravisse quondam magnanimus jugo
Narratur Alcides et Orci
Sulphureas reserasse ripas.

Qui bellicoso colla frementium
Dirasque ferro contudit anguium
Cristas, et immanes hiatus
Terribili tremefecit ictu.

Crucis trophaeum quam generosius
Celsa polorum fulget in orbita!
Quod dulce fallendi venenum
Vipereis adimit colubris:

Dum sempiterno carcere Cerberum
Et multiformem supplicio luem
Immergit, affinesque Culpae
Tartareis religat cavernis.

Quid fracta septem monstra Trionibus
Miratur orbis? quid furialium
Olim Gigantum, fastuosis
Bella stupet tremefacta telis?

En subjugatis colla rebellium
Flectit Draconum Crux domitoribus,
Nec non catenato refringit
Terrificas Acheronte ripas.

XVII.

Præcinctus Cruce tutus ubique ferar.

Crucis corusca cinctus adorea,
Securus ibo per juga rupibus
Decisa, quas Getula caelebs
Deucalio super arva jecit.

Visam trisulcis Acroceraunia
Dejecta flammis, et Rhodopeïas
Solus cavernas, et nivosi
Caeruleas Aquilonis arces,

Seu quas retortus conspicit Aufidus,
Et mane nato Phosphorus insulas
Aspergit aut inhospitales
Carpathii Libyaeve Syrtes.

Dolo triformem Bellerophon eques
Evasit Hydram, me per inhospitas
Crux una portabit procellas
Incolumi facilique passu:

Ut aestuosum nil trepidans iter
Montesque possim non homini datis
Tranare pennis, et superbas
Pone supervolitare turres:

Cui bellicosus Thermodoontii
Regnator Hebri, cui sua Spartacus
Calcanda subdit colla, et asper
Argolicis Achelous hastis.

XVIII.

Virtus in Cruce probatur.

Ut excitato non bene lucidum
Spectatur aurum Mulciberis foco,
Fulvumque non raro doloso
Subjicitur cineri metallum:

Sic luctuosae flammigero Crucis
Rogo probatur culmine Olympico
Delapsa virtus taeniatis
Candidius radians tiaris:

Virtus supremi delicium poli
Intaminatis pulchra nitoribus,
Quae solis aurati decoros
Luce fugat rutilante currus,

Cui nec furentis bellua Tartari,
Nec sulphurati janitor ostii
Injurioso ter latratu
In Cruce quadrifida nocebit;

Et cedet atrox mortis acerbitas
Inordinatis hispida cenchribus
Ardente perpetim favilla
Taenariis cineranda lustris.

Virtus ferocem nil metuens luem,
Christi cruentis tuta decoribus,
Coeli penetrat restitutas
Auspicio meliore sedes.

XIX.

Crux meum stemma.

Frustra vetustas cantat origines,
Qui laureatis gaudet honoribus
Patrumque ceris aeviternum
Stemmatibus meditatur aevum.

Frustra tumentes non sine plausibus
Exercet auras, quem super incliti
Jactant in argento triumphi
Laurigera celebrante dextra.

Me nec refuso divitiae sinu,
Nec destinati copia muricis
Ad se retorquet, nec decoro
Nobilitas comitata gressu:

Cui stemma Christi stelligerae Crucis
Vel sole claro clarius eminet,
Aeternitatisque irretorto
Haurit opes sine fraude vultu:

Quod regiarum stemmata frontium
Calcat supremo nominis essedo
Fasces triumphorumque palmas
Et rutili diadema serti.

Crux una regum vertice pulchrior
Laboriosam culmine gloriam
Pulsat, nec imbelles coruscis
Collocat in soliis clientes.

XX.

Crux certa ducit ad astra via.

Quicunque gressu coelica scandere
Sublimiorum regna Quiritium
Gestis renascentisque Lunae
Chrysofluas numerare curas,

Inscende velox remigium Crucis,
Ut sempiternae flumine gloriae
Puroque possis gaudiorum
Perpetuo fluitare fonte:

Quem delicato Coeligenum Sator
Divinitatis nectare diluit,
Vinoque demulsit cruoris
Astrigeri moderator orbis.

Fastigiosae praesidio Crucis
Immurmurantum culmina nubium
Et flante protrusos susurro
Incolumis superabis Euros.

Crux te labantem proteget unica
Mortalitatis stamine diruto,
Festosque membrorum lacertos
Empyreo religabit ostro.

Tam laeta quis non currat in omina?
Quis non reposcat de Cruce vivere,
Quae sola Divorum phalangas
Innumeras numeravit astris.

Spectavi solam semper in orbe Crucem.

Lex cruce Romanos exemit Romula cives,
In cruce Romuleus ne pateretur honos.

Romanus nemo est, nemo, mihi credite, liber,
Qui sua dat mundi colla premenda jugo.
Quisque suae patitur miseranda pericula vitae,
Maxima vipereo gaudia felle madent.
Innumeras parat ipsa cruces nutritque voluptas;
Deque cruce innumeras crux parit una cruces.
Marmora Sisyphiis haerent minus arcta lacertis,
Membra Ixioniae sunt minus apta rotae;
Et vicina minus Tityo sunt rostra renato,
Paestanisque minus spina marita rosis:
Quam sua crux orbem penitus connexa fatigat.
O amor! haerentes quid fugis orbe cruces?
Ante tenebrosam stultus vitaverit umbram,
Quam tu vitabis spicula dira crucis.
Tolle tibi mundum, penna pete remige coelum,
Crux simul aetherium sollicitabit iter.
Fulgidus Assyrio conviva recumbis in ostro,
Arbitra crux coenae prima futura tuae.
Corpora das somno, crux somni nescia tecum
In pluma ponet nobiliore caput.
Nempe Theonino nunc livor pectora morsu,
Ira Lycambaeo nunc edit ore jecur,
Et nunc insomnes rodunt praecordia curae
Nunc cor ferrato pectinat ungue dolor.
Jam morbus rapidis depascitur ilia flammis,
Jam piger effuto serpit in ossa gelu.
Omnia quid memorem? Fabium lassare loquacem
Vastaque clamosi Stentoris ora valent.
Quidquid in orbe manet, quod Titan excoquit auro,
Quod vomit et Thetys, nil nitet absque cruce.
Sceptra, magistratus, fasces, crucis omnia plena,
Auro plena Midae scrinia plena crucis.
Huic infaustus Hymen, huic proles degener est crux,
Spes adeo sibi crux, crux Amor ipse sibi.

Agricolae mentita seges, trabs naufraga nautae,
Vulnera militibus, prodita signa duci,
Regibus est regnum sua crux, locupletibus aurum,
Dum locuples arcae, rex timet usque throno.
Nec dubites, regum cur ardua vertice stet crux,
Cur gerat inscriptas fronte moneta cruces.
Maxima regna crucis, toti crux imperat orbi.
Vis vitare crucem, tolle repente crucem.

In Cruce omnia vinces.

Si quem Cypridos ustulant calores,
Aut jactis agitat Cupido taedis,
Funestis loquor improbisque flammis:
Huc ad purpureos recurrat imbres,
Imbres Arboris humido fluentes
Luxu, dum croceo madet Cruore,
Et rubro fluit amne Crux Tonantis,
Qualem nulla dedit Cilissa fusis
Nubes imbribus optimis liquorem,
Nec Romae (licet insolens Latinis
Rursum sparsio fiat in theatris)
Talis per cuneos patrumve suevit
Ullus per mortium*) meare rivus,
Qualis de Cruce manat aeviternum
Rivus sidereo fluens corymbo.
O lympham nimis, o nimis beatam!
Nimbus perpetua saluber undae,
O qualis (Deus!) ille nimbus undae,
Quam morbis bonus et saluber aegris,

*) Vox „mortium“ cum neque ad metrum quadret, neque hoc loco ullum sensum habeat, certe e codice manu scripto in primam editionem perperam irrepsit; quare rectius in „podium“ vel in aliam similem vocem immutanda est.

Quam sanis pretiosus, incolisque
Felix omnibus accolisque nimbus!
Illum prae Cyrio placere succo,
Illum prae Solymo probari olivo,
Novit, qui rigidum peremit aestum,
Et qui fugit Erinnyos*) furorem,
Novit, qui Stygias fugavit umbras
Conscenditque poli plagas superni.

---

*) Vocem hanc, quae in codice manu scripto deleta est, proprio Marte supposuimus.

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII

EPIGRAMMATUM

LIBER UNUS.

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII

EPIGRAMMATUM

LIBER UNUS.

I.

Ad Tarquinium Gallutium

e Societate Jesu oratorem et poëtam clarissimum,

cum ei sua de Divino Amore epigrammata traderet.

Dum tibi Divinos jussi ferremus Amores,
Urget amor gressus ferre, referre timor.
Hic trahit, hic retrahit gressus: hic pugnat, et ille;
Ille suis nixus viribus, iste suis.
Hic jaculum jacit, ille jacit. Pugnatur: amoris
Tela timor, vitat tela timoris amor.
Ut tibi Divinos tandem ferremus Amores,
Victus uterque fuit, victor uterque fuit.

II.

Religiosum Paupertatis votum.

Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. (Cant. VIII. 7.)

Venalem nuper coelo mercabar Amorem.
Quis credat? qui se venderet, ipse fuit.

Aurum donabam: sed emi se noluit auro.
Cum largirer opes, rejiciebat opes.
Omnia donabam: sed noluit omnia. Totum
Quod superest (inquam) si placet, aufer, Amor.
Risit: et, aethereo quid inutile quaeris Amori
Sollicitus pretium? Da nihil, inquit, emes.

III.

Hastiludium Fortunae et Divini Amoris.

Dotalis Fortunae annulus, orbis. (Seneca)

Deus est sphaera, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam. (Proclus.)

Meta volaturae steterat teres annulus hastae,
Annulus ad dociles pervia meta manus.
Annulus orbis erat. Fortuna ciebat ad orbem,
Et simul aethereus tela ciebat Amor.
Fortunae mediam teres annulus induit hastam:
Major, ait, nobis meta petetur, Amor.
Et temere jactum jaculatus in aethera telum,
Nusquam meta mea est, inquit, ubique mea est.

IV.

Veniat Dilectus meus in hortum suum. (Cant. V. 1.)

Pulcher Amor sumsit rudis instrumenta coloni,
Et sua deposuit tela suasque faces:
Et manibus stivam rapuit; castique laboris
Ad sua ruricolas junxit aratra boves.

Ilicet, ut facili subvertit vomere corda,
Castaque virginibus Gratia crevit agris:
Flos, ait, unus abest: sunt caetera millia florum.
Ut nullus possit, Christe, deesse, veni.

V.

De S. Mammete Martyre

a leonibus, quibus erat objectus, intacto.

Parvus in extremam Mammes descendit arenam;
Squalebant tenui pallida membra fame.
Horruit hanc praedam venantum turba ferarum,
Et potuit sese vincere longa fames.
Unde protervorum jejunia victa leonum?
Sic docuit Martyr: sic didicere ferae.

VI.

De eodem.

Praetor inhumanis, Mammes, te dentibus offert;
Immaturus adhuc, parvule, Martyr eras.
Praeside mansueti sed plus sapuere leones,
Pro puero mores dedidicere suos.
Norant septenni faciles ignoscere praedae;
Cui praetor rabidas jusserat esse feras.
Parcere si placidi puero scivere leones,
Illi praetores; tu, leo, praetor eras.

VII.

Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris? (Cant. VIII. 1.)

Quo tandem meus avolavit ille,
Formosissimus ille Natus, ille
Quo tandem meus avolavit Infans?
An jam Bethlemium reliquit antrum,
Natalesque casas, et hospitalis
Fortunata petit fluenta Nili?
Obstent culmina, fabulosus obstet
Haemus, Pelion, Ossa, Pindus, Othrys:
Ut pulsum celer assequar Puellum,
Nimbis ocior, ocior procellis
Pergam: per saliceta, per rubeta,
Per deserta, per asperos hiatus,
Per spineta, per iliceta pergam.
An rursus, Pharias perosus oras,
Damnato redit exul e Canopo,
Tranquillamque petit redux Idumen?
Ut pulsum celer assequar Puellum,
Stent inter scopulique, frondeisque
Silvae verticibus minentur inter;
Damis ocior, ocior capellis,
Vadam: per fruticeta, per vepreta,
Per dumeta, per invios recessus,
Per querceta, per aesculeta vadam.
An late Solymas peragrat oras,
Et pinguis juga calcat Hermonaei?
Carmelique super nivale tergum
Formosis spatiatur in viretis,
Qua circumfluus elegante ripa,
Singultantibus evolutus antris
Jordanes sonat, et remurmurantes

Sese fluctibus alloquuntur undae?
Ut pulsum celer assequar Puellum,
Pardis ocior, ocior leaenis
Curram: per siliceta, per fruteta,
Per pineta, per obvias paludes,
Per saxeta, per arboreta curram.
An nostri vitiis iniquus orbis
Centum Taenarios triumphat hostes?
Stellarumque procul favente pompa
Phoebi scandit equos, et ordinata
Molli sidera temperat capistro?
Ut laetum celer assequar Puellum,
Fulgetrisque, curulibusve flammis,
Aurigantibus Africis et Euris,
Et blandis Zephyris Favoniisque,
Per lenes ferar inquietus auras,
Et desiderii vehente penna
Spirantum vehar essedo Notorum,
Vernarumque rotis Etesiarum.
Sed quo me rapit incitatus ardor?
Ambo ludimur, ambo: dum Puellum
Quaero, quaerit et ipse me Puellus,
Et vastos procul obsecrat recessus,
Obtestatur agros, nihilque de me
Respondentia sciscitatur arva:
Sic et me fuga ludit et Puellum.
Stabo: quemque vagum nequit, videbo
An possit Deus invenire stantem.

VIII.

De D. Maria Magdalena.

Per vicos et plateas quaeram, quem diligit anima mea.

(Cant. III. 2.)

Et gemit, et miseris singultibus astra lacessit,
  Et salso teneras irrigat amne genas.
Et cava per, per acuta celer, per inhospita fertur:
  Et per aperta fugax, et per iniqua ruit.
Quid facit ad tantos tam prodiga lacrima cursus?
  Magdalis in lacrimis navigat ipsa suis.

IX.

De Jesu, puero nato.

  Quid esse possit hoc Puello carius,
Cui mellis ore plena manat copia,
Illime plenis balsamum rivis abit,
Et liberali nectar amne labitur,
Stellae serenis illigantur crinibus,
Puraque cirri luce cervicem rigant,
Et e bisulca siderum natus face
Pectit coruscas aureus pecten comas?
  Sed exoleta nascitur Puer casa,
Et exquilino natus in fimo jacet,
Dextraque culmum prensat et foenum premit,
Coeloque coram nudus, et coram gelu
Injuriosa stringitur Puer nive.
Quid esse possit hoc Puello vilius?

X.

Casta, sed Foecunda.

Memores uberum tuorum. (Cant. I. 4.)

Ibi dabo tibi ubera mea. (Cant. VII. 12.)

Velle meas, mi Sponse, canis te sugere mammas;
Sic quae sponsa fui, jam tibi mater ero.
Ipsa tuas etiam memini me sugere mammas:
Sic qui sponsus eras, tunc mihi mater eras.
Ambo iterum bibimus de mamma saepius una:
Sic soror ipsa tibi, tu mihi frater eras.
O Amor! unus Amor! quos non effingis amores?
Omnibus omnis eris, si tibi nullus eris.

XI.

Surge Aquilo, et veni Auster: perfla hortum meum, et fluant aromata illius. (Cant. IV. 16.)

Astra rogant lenes morientia lilia nimbos,
Et rosa sub nimio sole precatur aquas.
Quid faciat? ventos Amor advocat, advocat imbres;
Irriguo quorum rore revixit ager.
Quam pulchri flores! quorum lassissima cultu
Spirat humus ventis, sudat Olympus aquis.

XII.

De Puero Jesu, castitatis amatore.

Ego flos campi. (Cant. II. 1.)

Etesiarum Gratiae, vagorumque
Favoniorum, Sarmataeque tibicen

Septemtrionis, et Britanne cum Cauro
Apeliota, regis Aeoli turmae,
Circumvolate praepetes meum florem,
Blandoque laetum sibilo salutate:
Dulcesque malas floreamque cervicem,
Corallinumque floris aurei labrum
Non flante naso, nec tumentibus buccis,
Sed complicatis osculemini labris:
Sed ante frontem mystacasque nimborum
Abradat Auster, et novacula veris
Morosus udam tondeat Notus barbam,
Ne recta puris obstet osculis seta.
Tum vero sudi Gratia decens vultus
Tam delicatum basiabitur florem,
Et lenis aurae murmur insusurrabit.
Adsint et omnes graminumque florumque,
Omnesque castae Chloridis venustates;
Suasque vadant ordinata per turmas,
Argenteorum castra lilietorum,
Et aureorum copiae rosetorum.
Omnes supina supplices coma, reddant
Suo tributum laudis Imperatori,
Novamque veris gratulentur aetatem.
Neu sit pudori liliisque nardisque,
Pronisque calthis, cernuisque verbenis,
Rogare velle floridae juventutis
A liberali Rege praerogativam,
Et castitatis impetrare decretum.
Exinde pulchra convocentur ad signa
Sub castitatis Rege militaturi,
Tecti rubente fusilis comae crista
Duces acanthi, militesque verbenae,
Amazonumque prima turma caltharum.

Eant et Indi protinus granadilli,
Et expeditis spiculisque clavorum,
Hirtisque spinis lanceisque flagrisque,
Contra furores audeant Dionaeos
Veneficorum senticeta philtrorum,
Herbosa contra tela, Cyprios flores,
Amasiosque dimicare Narcissos.
Morare, miles? et vocante Bellona,
Sparsi per hortos otiamini, flores?
Flos, ecce, vestri primus agminis ductor,
Pro castitatis laude proeliaturus,
Se Martiali collocavit in campo.

XIII.

Lampades ejus lampades ignis. (Cant. VIII. 6.)

O ego, si fierem medio sita cardine tellus!
Sponse, tua starem pendula sponsa manu.
O ego, si fierem liquido torrentior amne!
Ad nutus fluerem lenior amne tuos.
O ego, si fierem rapidis pernicior Euris!
Fingerer obsequiis promptius ipsa tuis.
O tandem, nisi sim celeri velocior igne,
Vel fieri cuperem cuncta, vel esse nihil.

XIV.

Trahe me post te: curremus. (Cant. I. 4.)

Mi Jesu, sine te per opaca, per invia tendam;
Et potero longas te sine ferre moras?
Felix, ah felix olim tua Magdala, quae se
Nexuerat vinctis ad tua crura comis!

Sic comes illa tuum nunquam linquebat amorem:
Tu captivus eras illius, illa tui.
Altera, ne dubites, ego sum tua Magdala, Christe:
Ergo trahas vel me, Sponse, vel ipse mane.

XV.

Ad omnia versatilis.

Castus Amor ramo pharetram commendat et arcum.
Arma, valete: novum me vocat, inquit, opus.
Plana per aequales se straverat area campos,
In glacie qualem Daedala fingit hiems.
Hic Amor, adducto ludentis more flagello,
Ludendi locus est, sed trochus, inquit, abest.
Eja, cor, huc prodi, clamo: cor prodit, et inde
Dum putat esse trochum, cor mihi versat Amor.

XVI.

D. Magdalena sub cruce flens.

Ah sitio! clamas: absunt his rupibus undae;
Sola fluunt oculis flumina, sola bibe.

XVII.

Revertere, Sulamitis. (Cant. VI. 12.)

Revertere, Dilecte. (Cant. II. 17.)

Insequeris, fugio: clamasque, revertere, Jesu:
Et reduces ad te flecto repente vias.
Insequor, ipse fugis: clamoque, revertere, Jesu:
Et faciles ad me flectis, Amice, vias.

Assequeris, fugio: fugis, assequor: o bonus error!
Obsequii felix o in amore fuga!
Ad te, ne fugias, tua me fuga, Christe, reducet:
Dux tibi ne fugiam, vel meus error erit.

XVIII.

Sacri studiosus obsequii cadaver est.

Fortis est ut mors dilectio. (Cant. VIII. 6.)

Ut scires, quo, Christe, tui flammarer amore,
Non unus pro me nuntius ivit amor.
Cor ad te misi; cor non est, Christe, reversum:
Mitto voluntatem, Christe; nec illa redit.
Ut tandem totam posset tibi dedere mentem,
Intellectus erat missus; et ille manet.
Nunc animam mitto: quod si non illa redibit,
O ego quam vivum, Christe, cadaver ero!

XIX.

Epitaphium vivo.

Et vivo, et morior. Quid inanes demoror auras?
Quid juvat, ambiguis nectere fata moris?
Construe perpetuis halantem floribus urnam,
Et tumulum nobis pone superstes, Amor.
Hic sepeli miserum, et lacrimis adsperge jacentem,
Et duo marmoreis carmina caede notis.
Et vivo, et morior. Possis in amore, viator,
Et quo vivo, mori; et vivere, quo morior!

XX.

Bernardino Hosti.

missa imago Christi cruci affixi.

Me segnis non figis, Amor? sunt omnia praesto:
  Crux arcus, jaculum Christus, et Hostis ego.

XXI.

Super rivulos aquarum.

Errabam nuper vitreas prope Tibridis undas,
  Qua solet ad scopulum naufraga lympha queri.
Dicebam: Mea lympha, meos lacrimeris amores;
  Nam me jam lacrimae destituere meae.
O ego si possem fieri tam prodigus amnis!
  Aeterna fluerem pulchra per arva fuga.
Haec ego: sed tacitas suspendit lympha querelas:
  In me mutari forsan et ipsa cupit.

XXII.

Imago B. Stanislai Kostkae Romana.

Quis te tam lepida mentitur imagine pictor?
  Quae tam viva tuas temperat umbra genas?
Tu palles, pallet. Quod si rubet illa, rubescis.
  Tu vita, vita non caret illa sua.
Tu sine corde manes; manet haec sine corde: lo-
  Te, loquitur; visus te jaciente, jacit. [quente
Par est laus vobis, disparque: fidelis imago
  Illa tui; sed tu, Stanesilaë, Dei.

XXIII.

Nuntietis ei, quia amore langueo. (Cant. V. 8.)

Porrigo dum terris aures, dum surrigo coelo:
Clamat, ama, tellus; clamat Olympus, ama.
Sint irata licet, gelidum mare suadet amare,
Fulgur amore micat, fulmen amore tonat.
Aura tuos ignisque mihi commendat amores,
Saxa repercussis vociferantur aquis.
Non opus est, posthac nobiscum, Christe, loquamur:
Orator nostri mundus amoris erit.

XXIV.

Amor Divinus.

Cor mihi clamat, Amor clamat: Cor dormit, et ille.
Ambo tacent: surgit Cor mihi, surgit Amor.
Cor mihi plorat, Amor plorat: Cor ridet, et ille.
Ambo canunt: plaudit Cor mihi, plaudit Amor.
Tene verecundi, Cor, Amoris dixero fratrem?
Tene mei fratrem dixero Cordis, Amor?
Nescio, quid sit Amor Cordi, quid Cor sit Amori:
Hoc scio, quod totus Cor ego, Christus Amor.

XXV.

Osculetur me osculo oris sui. (Cant. I. 1.)

Quaerebam, nostris si quis daret oscula labris,
Dum meus, heu! longo tempore Sponsus abest.
Oscula poscebam coelum: dabat oscula coelum:
Sed satiare meas non potuere genas.

Oscula poscebam terram: dabat oscula terra;
Sed fuerant tactis asperiora petris.
Terra vale, coelumque vale; dabit oscula Sponsus:
O essent, quot sunt vota, tot ora mihi!

XXVI.

Meliora sunt ubera tua. (Cant. I. 1.)

Hinc mihi se tellus mensa ponebat in una,
Invitans tacito murmure: sponsa, sede.
Illinc se patera mare propinabat in una,
Increpitans rauco vortice: sponsa, bibe.
Tunc ego: terra, tuos nolo; mare, nolo liquores:
Tu mihi, Sponse, fames; tu mihi, Sponse, sitis.
Audiit, et geminum Sponsus mihi protulit uber:
Tu mihi, Sponse, cibus; tu mihi potus eris.

XXVII.

De Angelo B. Aloysio adstante.

Quam bene siderei vultus imitatur ephebi,
Et simili ridet lacteus ore puer!
Hic niveis par est, niveis par ille ligustris:
Ille rosa, multa purpurat iste rosa.
Pura verecundo sublucent lumina sole:
Et roseus teneras stat pudor ante genas.
Dissimiles habitu, similes sibi moribus ambo:
Dicite, sint similes, dissimilesne magis?

XXVIII.

De eodem.

Angele, Gonzaga es, si pictas exuis alas:
Si, Gonzaga, alas induis, Angelus es.

XXIX.

Venatio Amoris.

Venatum coeli croceos Amor ibat in agros:
 Sed, qui corda pius depopulatur, Amor.
Occurrere lupi, procul occurrere leones,
 Et procul in jaculis hispidus ibat Amor.
Ecce, volaturae vix erupere sagittae,
 Protinus aethereae procubuere ferae.
Quid clausum tam saeva juvat custodia coelum?
 Pandit Amor planas per fera monstra vias.

XXX.

Venatio Amoris et Jesu.

Surge, volaturas, Amor, ejaculare sagittas:
 Es mihi meta, Deus; sum tibi meta, Deus.
Corda cruentandis pateant tua, Christe, sagittis,
 Ut fias jaculis saucia praeda meis.
Corda cruentandis pateant mea, Christe, sagittis,
 Ut fiam jaculis saucia praeda tuis.
Quam tibi, Christe, capi, venari tam mihi dulce:
 Quam tibi venari, tam mihi dulce capi.

XXXI.

Sagitta divini Amoris.

Vulnerasti Cor meum. (Cant. IV. 9.)

Illa ego sidereis deprompta sagitta pharetris,
 Quam pius ad Superos ejaculatur Amor,

Quaero meam, sed quaero meo sine vulnere metam;
  Nam mea non didicit vulnera ferre manus.
Quis credat, potuisse dari sine vulnere metam?
  Hic requiesce meo vulnere, Christus ait.
Accelero metamque premo sine vulnere: sed jam
  Ne possem vulnus figere, vulnus erat.

XXXII.

B. Aloysius pingitur inducto super togam linteo.

Pulchra dies, et nox pulchrae germana diei,
  Artificem puero forte locabat acum.
Altera praetextam, longam dabat altera pallam;
  Illa nigram, niveam neverat illa togam.
Quos puer ut riguos in se conspexit amictus,
  Et nox et moto fulsit ab ore dies.
O formose puer! quo se formosior esset?
  Ipsa, puer, te nox induit, ipsa dies.

XXXIII.

Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae. (Cant. II. 17.)

Quid nocti lumen, luci quid quaerimus umbram?
  Nocte dies nobis est Amor, umbra die.

XXXIV.

Fortis est ut mors dilectio. (Cant. VIII. 6.)

Mors et Amor gemini pugnant de laude triumphi:
  Mors pharetra, pharetra conspiciendus Amor.

Mors ait: Expugno certis ego corpora telis:
  Expugno flammis pectora, dixit Amor.
Major, ait, mihi, Mors, victoria cedit Amore:
  At mihi major, ait, gloria cedit, Amor.
Tentarent et tela, pares nisi diceret esse
  Victor utroque Deus, victus utroque Deus.

XXXV.

Inversa et humi jacens retro B. Aloysii corona.

Qualis ubi liquidae riguis singultibus undae
  Proluit aprici culta Galesus agri:
Talis in assiduos lacrimis Aloysius imbres
  Liquitur, et puris pectus inundat aquis.
Scilicet ex istis nascuntur lilia rivis,
  Deque pio vivus flumine potat ager.
Quid mirum? si versa retro, si spreta corona,
  Quam dominus fletu conserit, occat humum?

XXXVI.

Ejusdem posita retro corona.

Aurea cum felix diademata poneret haeres,
  Visa sibi raptis flere corona comis:
Cumque suos iterum vellet circumdare crines,
  Ad domini caros procubuisse pedes.
Ipse sed acciduam pedibus calcasse coronam
  Fertur, et ingratas posthabuisse preces.
Illa retro revoluta, jacens: Lux principis olim,
  Umbra mei posthac principis, inquit, ero.

XXXVII.

Qualis est Dilectus tuus? (Cant. V. 9.)

Qualis erat tuus Ille? tuus pulcherrimus Ille?
Dicebat nuper barbara turba mihi.
Arripio dextra pennam laevaque tabellam,
Et noto, Christe, tuo quidquid in orbe nitet.
Pingo rosas, aurum, gemmas, viridaria, silvas,
Arva, lacus, celeri sidera pingo manu;
Et tabulam monstrans, noster Pulcherrimus, inquam,
Qualis erat, vultis discere? talis erat.

XXXVIII.

Caput ejus aurum optimum. (Cant. V. 11.)

Manus illius tornatiles aureæ. (Cant. V. 14.)

Ponite gemmifero frondentia serta metallo,
Pulchra triumphales ponite sceptra manus.
Rex meus est Jesus. Rex formosissime regum,
Tu mihi dictator, tu mihi Caesar eris.
Qui sceptri fulgore caret, qui luce coronae,
Rex, ait, ille tuus? Rex erit ille meus.
Cui caput est aurum, manus est tornatilis auro,
Illius est sceptrum dextra; corona caput.

XXXIX.

In idem sacrum Canticum.

Vitis eram; nostros carpebat nemo racemos.
Flumen eram; nostras nemo bibebat aquas.

Arbor eram; nostra nemo consedit in umbra.
  Ductor eram; nostrum nemo tenebat iter.
Phoebus eram; nostro lucebat lumine nemo.
  Pastor eram; nostras nemo secutus oves.
Quid faceret Jesus? aurum placet omnibus: Aurum,
  Ut placeam posthac omnibus, inquit, ero.

XL.

Veni de Libano, Sponsa. (Cant. IV. 8.)

Et fugis, et fugiens clamas: Quid, Sponsa, moraris?
  Non fugis, ut fugias: ut capiare, fugis.

XLI.

De pullato et linteato Aloysio.

Quam pullae cernis squalentem in funere pallae,
  Hunc nimius sacro torruit igne Deus.
Quid niveum, pictor, pullo superaddis amictum,
  Et tegis hiberna torrida membra nive?
Haec, ubi sidereos juvenis conceperit aestus,
  A minimo Domini vestis amore fluet.
Perge tamen liquidas gelida nive spargere flammas,
  Ut liquidum a flammis discat amare gelu.

XLII.

Pullatus post praetextam Aloysius.

Alluditur ad Mincium, hospitalem cygnis fluvium, paternum Aloysii solum.

Vectus oloriferi juvenis prope flumina Minci,
  Ibat in herbosos Castilionis agros.

Hic nivei dominum cum mirarentur olores,
Squalida mutata pallia ferre toga;
Pullatum flevere ducem, visusque repente
Plurimus attonito cygnus ab amne queri:
Atque aliquis: Quin nos etiam nigrescimus, inquit,
Quando tam niveus sponte nigrescit olor?

XLIII.

Oculi B. Aloysii lacrimabundi.

Quis modus, o oculi, nimiis manare fluentis,
Et teneras fletu perdere velle genas?
In fluvios liquidis abeunt duo lumina rivis,
Et lacrimae gemini fluminis instar eunt.
Interea medio fluitant suspiria luctu,
Et pius irriguas ventilat Eurus aquas.
Remigium, socii, naves et vela paremus:
Sunt, quibus in coelum velificemur, aquae.

XLIV.

B. Aloysio consuetam meditationi horam impendenti roseum imminet sertum.

Pulchra coloratis ubi pingitur Hybla rosetis,
Sicanias triplex colligit Hora rosas.
At modo quod croceos religant tibi serta capillos,
Unde repentinis emicuere comis?
Te matutinae pietas modo detinet Horae,
Illa tibi vivo tempora flore ligat.
Quot tibi mille legent formosos Saecula flores,
Unica millenas si legit Hora rosas?

XLV.

De eodem serto.

Ipsa corona rosa est puero? puer anne coronae
Ipse rosa est? puer est ipse corona, rosae.

XLVI.

B. Aloysius sacro lumine circumfusus.

Nox erat, et posito juvenis requierat amictu:
Venit Amor: posita se tegit ipse toga.
Sic ibat! sic ipse nigra sibi veste placebat!
Sic erat in refluo plurima ruga sinu!
Interea tacito vestes uruntur ab igni,
Et bibit admotas proxima palla faces.
Mane vigil positos juvenis repetebat amictus,
Et circumfusae luxit in igne togae.
Non miror juvenem tacitis arsisse favillis;
In tacitas, miror, non abiise faces.

XLVII.

Oculi B. Aloysii.

Bisgeminos olim mater natura lapillos
Pygmalioneas inter habebat opes.
His frenare comas, et eburnea cingere colla,
Hos memori nusquam mittere velle manu:
Et chalybum nodis et aheno vecte solebat,
Et vigili clausos sollicitare sera.
Parva tamen caris custodia visa lapillis,
Quaeve moram furto tollere posset, erat.

Ergo pro geminis Aloysi munus ocellis,
  Accendit geminas casta per ora faces.
Tam fortunatis, inquit, custodia gemmis
  Firmior esse potest, tutior esse nequit.

XLVIII.

Lilia manu praefert Aloysius.

Haec, quae virgineis nituntur lilia culmis,
  Unde verecundas explicuere comas?
Non generant similes Paestana rosaria flores,
  Nec simili Pharius messe superbit ager:
Non haec purpureis mater Corcyra viretis,
  Nec parit aequoreis pulsa Carystos aquis.
Cum nullas habeant natales lilia terras,
  Quis neget, e casta lilia nata manu?

XLIX.

Petro Malaspinae

Rectori Florentino Soc. Jesu.

Scitata est flores nuper Florentia: cingat
  An bona spina suas, an mala spina rosas?
Optavere malam, tangi quae forte volebant:
  Nam mala tacturos pungere spina nequit.
Optavere bonam, tangi quae forte negabant:
  Nam bona tacturos pungere spina solet.
Sic demum variam clausit Florentia litem,
  Esset ut alterutris assita spina rosis:
Nullus ut has tangat, tangantur ab omnibus illae;
  Sit bona spina malis, sit mala spina bonis.

L.

De capto Oromusio, quae urbs vulgo ab Indis gemma orbis terrarum appellatur.

Annulus est orbis, pulcherrimus annulus orbis,
Indutus digitis, Lysia pulchra, tuis.
Non tamen ille fuit pulcher sine divite gemma;
Dives Oromusii nam sibi gemma fuit.
Gemma fuit, non est: subiti nam turbine belli
Nuper Erythraeo perdita gemma luto est.
Ergo tuam quaeres, pulcherrima Lysia, gemmam
Inter barbaricos, Persica busta, sinus.
Ecce meos, inquis, poscunt mea regna lacertos,
Ecce meas poscunt Chinica claustra manus.
Non opus est humeris: Oromusia gemma videtur:
Ipse satis pollex, ut capiatur, erit.

LI.

Joanni de Lugo, dum post morbum ad intermissam de Poenitentia doctrinam rediret.

Fertur inornatis nuper Metanoea capillis
Flesse, repentina cum raperere febri:
Fertur et indomito frenos laxasse dolori,
Et lacrimis madidos exhibuisse sinus.
Cum rursus domito repetis tua pulpita morbo,
Fertur inornatas disposuisse comas:
Et domitos hilari risu frenasse dolores,
Et lacrimis vacuos explicuisse sinus.
Quis, pater, incolumi de te non gaudeat, ipsae
Si gaudent lacrimae, ridet et ipse dolor?

LII.

Ad Pontilianum.

E templis quoties redeo Paulive sacello,
  Occurris reduci, Pontiliane, mihi,
Ac subitus quaeris: Placuere palatia Pauli,
  Et Pelusiaca secta sacella Pharo?
Cum dixi, nitidis placuisse palatia tectis,
  Et placuisse suis ardua templa tholis;
Tu rursum, fontesque tibi circosque placere,
  Vasta placere crepas amphitheatra tibi.
A placitis cessa, ne Roma Placentia fiat:
  Ipse Placentinus ne videare, tace.

LIII.

Augustino Vivaldo primum in Lithuania, ac deinde Romae Provinciali Praeposito Societatis Jesu.

Cum te Parthenope patrem, cum Parma vocaret,
  Optaretque suum Trinacris ora patrem;
Roma suas dominis mundi de montibus arces
  Prospicit, et studiis invidet una trium.
Quid faciam? Parmae cedam? Trinacria flebit:
  Parthenopae cedam? Parma queretur, ait.
Trinacriae cedam? Siren et Parma querentur.
  Quin potius tantum sortior ipsa Patrem?
Cedite jam natae, matri concedite patrem:
  An non vester erit, si meus, inquit, erit?

LIV.

De timido Ansa Fulvio.

Dum bellicosus nuper Ansa prandentes
In Othomanum Sarmatas adhortatur:
Prandete, dixit, milites, triumphalis
Jam coena vobis praeparatur in coelo.
Dixit: sed ipse jam moventibus signis,
Et buccinarum tympanique rumore
Perterrefactus, ordiente Bellona,
In civitatem primus Ansa profugit.
Interrogatus inde, cur fugam mallet,
Et cur ad astra nollet ire coenatum?
Hac luce, fallax inquit Ansa, jejuno.

LV.

Augustino Vivaldo Praeposito Provinciali Romano Societatis Jesu.

Cum te nuper Honor liquidis circumvagus auris
  Altus inauratis insequeretur equis;
Trans Alpes Helicenque volas, ubi prensus Honori
  Dignaris merita Littava frena manu:
Cum tamen ingratos aspernareris honores,
  Itala festina corripis arva fuga.
Hic Latias iterum caperes cum jussus habenas,
  Et victus meritis erubuisset Honor;
Non pudet a merito, dixit, me praeside vinci:
  Sed vinci toties a fugiente pudet.

LVI.

Ad Plautum.

Sive peregrinas mittam tibi, Plaute, Camoenas,
  Sive Medusaeis fusile carmen aquis;
Non poteras, inquis, melius mihi mittere carmen,
  Nec melius magno cum Cicerone loqui.
Non poteram melius? laus haec mihi falsa videtur,
  Quaeve vel inviti stipitis esse potest.
Laudari puto me melius potuisse, sed a te
  Laudari melius non potuisse puto.

LVII.

Mater Neronis ad Neronem.

Quo gladium vibras? utero mammisne minaris?
  Ah, reprimat coecus barbara tela furor!
Lactabam mammis, utero te, nate, ferebam:
  Dignus erit venia forsan uterque locus.
Erramus. Qui te miseras male fudit in auras,
  Dignus uterque mori: Caesar, utrumque feri.

LVIII.

Eloquentia Francisci Cardinalis Barberini.

Qualis odoriferi per aprica rosaria Pindi
  Garrit Hyanteae lubricus error aquae;
Talis Apollineae, procerum doctissime, linguae
  Pura Palatinas copia fundit opes.
Et tibi doctiloquae posuere silentia Cirrhae,
  Victaque Pegaseus comprimit ora liquor.
Saepe loqui docto possit cum principe Roma;
  Discet ab egregio principe Roma loqui.

LIX.

Ejusdem sacra poësis.

Cum tibi Pierios velaret purpura crines,
  Visa sibi raptis laurea flere comis.
Illa fuit nostris quondam data gloria ramis:
  Cede meis, inquit, purpura, cede comis.
Risit, et e summo respondit purpura vultu:
  Cingo meas, inquit, laurea, cingo comas.
Quid facitis? meritos ambae praecingite crines:
  Laurea vatis erit, purpura regis erit.

LX.

Ad R. P. Mutium Vitellescum, Praepositum Generalem S. J.

Excubat in medio tibi pulchra modestia vultu,
  Et niveus roseo regnat in ore pudor.
Simplicitas oculis, sacra facundia lingua,
  Ridet in ingenuis gratia viva genis.
Majestas humeros, placidam clementia frontem,
  Pura verecundus pectora candor habet.
Prae foribus famuli, video, famulaeque morantur:
  Virtutem dominam quis neget esse domi?

LXI.

Cerea Neronis effigies in abdito reposita.

Durus et in molli figit Nero vulnera cera:
  Mollis et in duro cera Nerone furit.
Cerea quid frustra solem devitat imago?
  Ipse suo iratus diffluet igne Nero.

LXII.

In ceream Pueri Jesu effigiem.

Exprimit et verum mentitur cera Puellum,
Et docet et vera fallit imago nota.
Hos oculos gerit illa quidem, quos ille gerebat;
Et quas ille genas, has gerit illa genas:
Tu tamen his oculis, hoc vultu luderis, hospes.
Id fieri possit qua ratione, rogas?
Materia peccat, non peccat imago figura:
Cerea materies, melleus ipse fuit.

LXIII.

In maritimam Pali munitionem ducum Ursinorum.

Pulvereis simulant dum rauca tonitrua flammis,
Martiaque artifici fulmina nube ruunt;
Attonitis pelagi genitor Neptunus ab undis
Sulphureo afflatum sustulit igne caput.
Ecquis, ait, nostri tranquilla silentia regni
Et resides bello sollicitavit aquas?
Jamque sibi duci volucres ad frena quadrigas,
Tritonemque cava proelia flare tuba,
Armarique Notos tempestatesque jubebat,
Et Thetin armatis vellere signa feris;
Cum procul Ursini fluitantia signa Gradivi
Prospicit impulsis velificata Notis.
Ursus erat signum, picto qua sutilis Urso
Pensilis e summa carbasus arce fluit.
Heus, ait, inceptis, hiemes, absistite pugnis,
Et vos, caeruleae, ponite bella, ferae;
Novimus excussum jaculantia monstra profundum:
Quae fera concepto mugiit igne, nova est.

LXIV.

Ad Cosmicum de Quincto.

Mulum Quinctus emit, sed coecum, Cosmice, mulum.
Unum oculum mulus non habet: ille duos.

LXV.

De Ludovico XIII. Galliarum Christianissimo rege.
Cum primo regni anno Rupellam ab eo expugnatam fuisse percrebresceret.

Ludo vices, Ludovicus ait. Mars risit; et, Ohe
Lude meas, inquit, rex Ludovice, vices.
De puero, ni rex esses Ludovice, vererer:
Et puer et rex es; regie, lude, puer.
Jacta Rupellani cecidit simul alea belli,
Ante tuos cecidit victa Rupella pedes.
Ludere perge vices, ut sunt tibi proelia ludus:
Sic, Ludovice, tibi vincere ludus erit.

LXVI.

Libellus de Pietate christiana laudatus.

Pietatis iste est liber, et auctoris tamen
Nomen tacetur: ipsa conscripsit, reor.

LXVII.

Ad Timantem pictorem.

Pinxisti pulchrum pulchra cum Matre Puellum:
Nec tamen illa fuit pulchra, nec ille fuit.
Pictorem Mariae melius vis pingere Lucam?
Quis scit, an errores corrigat ille tuos?

LXVIII.

De A. Persii satyris.

Vis Persi tetricas videre noctes?
Auditor, lege scripta; lector, audi.

LXIX.

Tumulus conjugis Pauli Sapiehae duos inter equites hastatos.

Quis jacet hic? Magna magnus de stirpe Sapieha.
Quis prope? Sapiehades sunt prope signa nurus.
Quo clarus conjux? Clarissimus omnibus: armis,
Pace, fide, patria, relligione, toro.
Quid certant equites? Certant, quis vivere possit,
Vel meliore nuru, vel meliore viro.

LXX.

In cothurnatum Gallicum.

Vectari rauco pudor est tibi, Gallice, curru?
Cur ergo rauco non pudor ire pede?

LXXI.

Ad Joannem Carolum Chodkiewicz, Ducem exercituum Poloniae adversus Osmanum, Imperatorem Turcicum: cum gymnasium inviseret.

Spernere si nolis vatis praesagia Musae,
Nil in te juris, Carole, casus habet.
Vilneae nuper dum mandat Apollo Thaliae,
Grammatica nomen flectere lege tuum,
Cunctatur, dubitat, pallet, rubet, haesitat, alget:
Haec hilari tandem voce Thalia refert:

Chodkiewicz, ait, est indeclinabile nomen:
  Robore bella gerit, casibus ergo caret.

LXXII.

In stemma ejusdem, IV litteram duodecimam inversam.

Magnus Alexander, magnus Pompejus habetur:
  Magnus habebaris, Carole, magnus Otho.
Scilicet hos magnos magni fecere triumphi:
  Te major magnum, Carole, palma facit.
Perlege stemma tuum: Vincis te, vincis et hostem
  Hic quae terra legi non putat, astra legunt.
Si dubitas, hoc ipse Deo da stemma legendum:
  De coelo magnum Maximus ipse leget.

LXXIII.

Ad Robertum Cardinalem Bellarminum. De piis ejus de Aeterna felicitate et gradibus etc. libellis, quos Sophia Melecia Palatina magno studio paulo ante mortem evolverat.

Ingens gloria temporum tuorum
Bellarmine Pater, beatiorum
Facundissime cygne gratiarum:
Conatusque tuos tuasque noctes,
Sanctae pignora lucubrationis,
Victuros Pyliam libros senectam,
Palatina pio terebat usu,
Nec torpere sinebat, anguloque
Aut segnes humili jacere mensa,
Coeli delicias, Gradusque coeli:
Queis, sacra pariter tuaque penna,
Aeternam reseras beatitatem:

Et gemmantia templa nundinaris
Lamentis gemituque lacrimisque.
Istos illa diu legens libellos
Festinabat, et omnibus lacertis,
Remis omnibus omnibusque velis
Ad coeli properabat usque portum.
Nunc densis lacrimis laboribusque
Et densis lacrimis doloribusque,
Coeli nobile nundinata culmen,
Formosis spatiatur in viretis.
  Quid dici melius beatiusve,
Bellarmine, tuis potest libellis?
Palatina tuis beata libris,
Tu lectore beatus es librorum.

LXXIV.

Ad Caecilianum.

Cum modo Magdalios cecinisses carmine fletus,
  Et rapidos Afrae, Caeciliane, focos;
Continuo madidae properata volumina chartae
  Ad nos perferri, Caeciliane, jubes:
Legi. Judicium quaeris de carmine? dicam.
  Digna fuit lacrimis Magdalis, Afra focis.

LXXV.

De novo Gymnasii Florentini aedificio, cujus instauratio sub adventu Caroli Austriae Archiducis coepta.

Arnus, an umbrosas inter liquidissimus alnos
  Permessus Latiis luxuriatur agris?
Aesar, an Ausonias subter labentia turres
  Flumina Castaliis vociferantur aquis?

Pindus, an audaces mediis in nubibus Alpes
Piniferis comunt frondea colla jugis?
Quidquid erit: veram referet Florentia Cirrham,
Quam novus Austriaca condit Apollo lyra.

LXXVI.

Scazon. Aulam fugit Aloysius.

Fallacis aulae pompa, criminum mater,
Quae turbulentae pulverem bibis pompae,
Rituque semper fluctuantis Euripi
Et huc et illuc ambulando, cursando,
Confabulando, garriendo, ludendo,
Et usque et usque et usque consalutando
Quotidiano mersa navigas coeno,
Centumque pictis curribus lutum rumpis:
Sis o beata, delicata, formosa,
Morum Charybdis, aula, pectorum Circe,
Dolosa Siren, innocentiae labes,
Fraudum satelles, officina fucorum:
Eas superbis semifulta lecticis,
Eas sereni luce pulchrior Phoebi,
Et per supinae colla plebis incedas.
Habe venustos, aureos, capillatos,
Pictos, perunctos, deque scrinio totos
Anteambulones laudis et trahas pompae;
Dum noster aulas Aloysius vitet
Centumque velis et rudentibus centum,
Centum phaselis palmulisque devitet.
Habe capaces patrimonii Scyllas,
Fundi Maleas, spongias crumenarum,
Onusta laudum plaustra nominum rhedas,
Plenas jocorum risuumque carrucas,

Ineptiarum mille turgidos folles,
Quibus dolosae ficta dona naturae
Vultus poëtas et poëtrias linguas
Fecere dudum, susque deque vertere;
Quibus loquaci inficetiae plena
Negotiosa liminum salutatrix
Famelicorum turba circulatorum
Nugasque mille vendit, et locat risum,
Fraudumque frustis mille, mille fucorum,
Mendaciorum mille, mille nugarum
Suitque subsuitque mille centones:
Dum noster aulas Aloysius vitet,
Centumque Phoebis et Phlegontibus centum
Centum quadrigis Pegasisque devitet.
Illum citato praepes impetu virtus
Supra secures Caesarum et Numae fasces,
Regumque et omne culmen Imperatorum,
Undamque supra civium et fori fluctus
Enavigantem, passibusque non tardis
Mortalitatis saeva jura calcantem,
Nimbosque late filiosque nimborum,
Super cometas, rauca fulminum regna,
Puerperamque grandinum et nivis lunam
Ad usque rerum vexit ultimos fines.
Ibi ille pulcher imperator astrorum,
Novae beatus institor voluptatis,
Plenum sonora gaudium bibit ripa,
Rerumque dulci naufragatur in ponto.
I nunc, superba, delicata, formosa,
I, dives aula: sis beata, sis pulchra,
Conchyliata, purpurata, sis magna;
Dum te inde noster Aloysius ridet.

LXXVII.

In immaturam mense Junio B. Aloysii Gonzagae mortem

Hiems transiit, imber abiit et recessit. (Cant. II. 11.)

O nix! o niveis albentia colla pruinis!
O oculi, o niveo lumina vincta gelu!
O niveae cervicis hiems! o laeve genarum
Frigus, et hiberna roscida labra nive!
O niveae crystalla manus! o mite comarum
Vellus, et intactis alba pruina genis!
Ah! vereor, ne vere novos abeatis in imbres,
Dum celer aestivos Junius urget equos.
Siste, precor, Juni: crudeles, sistite, soles.
Hic minimo liquidus diffluet igne puer.
Non opus est flammis. Satis est sibi dicat Iesus:
Cessit hiems, imber cessit: amice, veni.

LXXVIII.

Scazon de B. Aloysio.

Jocose Scazon, si quid hactenus mecum
Molli sub umbra populive laurive
Lenisve buxi pampinive lusisti,
Valere jussis arbitrisque curisque
Mecum sub alta feriare cupresso:
Mundoque versu simplicique dicamus,
Quid ille noster, ille civis astrorum,
Agit coruscis Aloysius campis?
Non ille nostros ducit amplius soles:
Non hac phaselo corporis levis mundi
Tumultuoso fluctuatur in ponto.
Non has vocabat patrias domos umquam;
Coelum vocabat patrias domos semper.

Huc ille remis, huc rudentibus totis,
Ipsisque plenus carbasis anhelabat;
Huc aestuantes dirigebat antennas:
Huic alligavit insulae suam navim.
  Hic sempiterni vere cingitur Maji,
Hic pervagatur elegantibus campis,
Hic rure coeli fruitur, et procul curis
Inter virentes aureis comis lauros,
Crispas cupressos, ilices capillatas
Quotidianus ambulator incedit:
Qua bruma nusquam, vel comantis autumni
Tonsor November frondeum nemus radit,
Ridetve calvos Januarius montes;
Sed delicatos criniuntur in flores
Aeterna prata: musici strepunt luci:
Ripae loquuntur murmurantibus rivis:
Et limpidorum margines fluentorum,
Et hinc et illinc invicem cachinnantur:
Manusque pulsu vel volubilis plectri,
Oblivioso de silentii somno
Expergefacta sponte garriunt plectra:
Lenique subter dormiente Neptuno
Tenerrimorum mollis aura ventorum
Depectit agros: desides hiant Euri
Et otiosis oscitantur in campis.
  Hic ille noster, ille civis astrorum,
Conchyliato purpuratus ornatu,
Eunte pompa siderum coronatur,
Solisque fulva totus ardet in palla.
Et nunc per arces Coelitum, per accessus,
Amethystinata templa, gemmeas sedes,
Et civitatis per forum Sioneae,
Et fulgurantum porticus platearum,
Calcat superbum siderum pavimentum.

Hic Lainium compellat, hic Everardum,
Hic laetus ambit Borgiam salutator,
Ignatiove flammeove Francisco
Enarrat, ipsa delicatior Suada,
Miranda temporum acta Claudianorum:
Suoque longos Mutio rogat soles:
Mellisque rivos balsamique miratur
Et gaudiorum nectarisque lactisque
Formosa picta stagna trajicit cymba,
Et delicato naviculatur in ponto;
Nanosque colles hispidasque verrucas
Pulcherrimorum lustrat ilicetorum.
O gestientum dulce siderum regnum!
Vestrum clientem, pro laboribus tantis
Doloribusque lacrimisque curisque
Desideratos recreate per campos.
Gaudete, Tempe siderum, domus coeli;
Ridete, quidquid est domi voluptatum:
Plorate, quidquid est foris querelarum.

LXXIX.

Joannis Caroli Chodkiewicz, Polonici Lithuanicique contra Osmanum, Turcicum Imperatorem, exercitus Ductoris, statua in hortis Mediceis.

Quem modo Threïcii pulchra sub fronde triumphi
Marmorea spectas ponere bella manu:
Hic Asiae populos et flava Propontidos arma
Stravit, Abydenas depopulatus opes.
Fortis adhuc meminit bellacis dextera ferri,
Dilectumque latus conscius ensis amat.
O! nisi captivas vincirent marmora plantas,
Iret in hostiles libera dextra globos.

LXXX.

In tres Fluvios, stemna Joannis Caroli Chodkievicii, dum templum collegio Societatis Jesu Crosense exstrueret.

Quae gemmantibus hinc et inde rivis
Currunt flumina? Chodkievicianae
Currunt flumina liberalitatis.
Non tam divitibus superba ripis
Gaudet Lydia; non amoenitatum
Tellus mater et elegantiarum
Felix Americe fluentis auri,
Quae centum populis tributa solvens
Effundit facilem per arva censum,
Et crebro sata comit unione;
Quam queis patria, Martiusque fulgor
Et pictae Superum rigantur aulae.
Haec scis unde fluant fluenta nobis?
Ostendis Caroli manum. Sapisti.

LXXXI.

Dictum Joannis Caroli Chodkievicii, cum castra ad Chocimum in Dacia contra Byzantinum Imperatorem moveret.

Velox Fama malum tumultuosis
Dum praetervolat incitata pennis
Arces, oppida, rura, civitates,
Ducentis canit et canit trecentis,
Braccatis canit et canit sagatis,
Hostem millibus imminere Turcam,
Et jam terga remurmurantis Istri
Securum superambulare Martem.
Addit, Bistonas impiosque Thracas

Mixtos innumeris venire turmis.
Haec dum Carolus audit: Ut sciamus,
Veri nuntia Fama num sit, inquit,
Hic hostem mihi computabit ensis.

LXXXII.

Statua M. Tullii Ciceronis apud Magnum Hetruriae Ducem.

Ora Myron, humeros Lysippus, lumina finxit
Praxiteles: vocem fingere nemo potest.

LXXXIII.

Pompa, qua sacratissimum Christi Corpus a Romanis Pontificibus ad D. Petrum deportatur.

Aelia cur tantis glomerantur compita turmis,
Et populi toto fluctuat unda foro?
Cur refluis fervent Vaticana palatia turbis,
Dardaniaeque vomunt agmina mille viae?
Quit juvat aethereis populos accurrere mensis?
Ut saties populos, ambulat ipse Cibus.

LXXXIV.

Paulo Pimelio missum ex succino munus.

Quae placet ipsa sibi secretae sidere formae,
Ridet et arcana succina gemma die,
Supplicibus vulgo libanda dat oscula culmis,
Libandas stipulis pulveribusque genas.
Et me, Paule, tuus rapit ad sua lumina candor:
Nimirum gemma es succina, pulvis ego.

LXXXV.

Ad Sponsum coelestem.

Laetabimur in te, memores uberum tuorum. (Cant. I. 4.)

Dicebas te velle tuis me pascere mammis,
  Dum mea solicitus pectora torret amor.
Clamabam: mea mamma, meum mihi manna ministra:
  Nec tu praesto mihi, nec tua mamma fuit.
Adspicio terras et coelum: Forsitan, inquam,
  Dextra Dei tellus mamma, sinistra polus.
Risisti dicens: Ipso te numine pascam.
  Os utinam nobis terra polusque foret!

LXXXVI.

Reverendo Patri Leoni Sanctio, concionatoris munere functo Roma discedenti.

Nec potui Latiis altum te cernere rostris,
  Quassantemve pio conscia corda metu?
Ah, saltem pro me, cui tanta potentia fandi,
  Orator magni Numinis esse velis!
An non id merito possim te jure precari?
  Cui merito possim dicere: Sancte Leo.

LXXXVII.

De Divino Amore.

Retia nectentem nuper mirabar Amorem,
  (O quid non facilis fingere possit Amor!)
Aurea pinna fuit, lapis aureus, aurea restis,
  Aurea compages, aurea nassa fuit:
Aureus ipse fuit: sed dum sibi flumina desunt,
  Heu, mea quo vertam retia? dixit Amor.

Ad Jesum converte, Puer, tua retia, dixi;
Ipse tibi fuerim piscis, et ille mare.

LXXXVIII.

In stemma Joannis Caroli Chodkievicii: Crucem Sagittae implexam et Calci, Tria Flumina, et Grypha pedibus gladium vibrantem.

Crux micat in telo, crux altera calce coruscat:
Forsitan haec fortem nuntiat, illa pium.
Aurea tergemino volvuntur flumina lapsu:
Ista docent largum flumina forsan herum.
Felicem gestat felix avis ore lapillum:
Felicem dominum forsan et illa notat.
Quid dubitem fortem, felicem et dicere largum,
Cum Gryps ad voces annuat ense meas?

LXXXIX.

In Gryphem, dum Joannes Carolus Chodkievicius, aliquot relictis cohortibus in Moscovia, ad regni comitia abiret.

Viderat Hyrcanis Moscovia Grypha pruinis
Ad Litavum tandem vertere rostra solum:
Ille ferus Gryps, inquit, abit; nil ense nocebit,
Non Ales rostro, non petet ungue Leo.
Non est, cur, a te quod flexerit ora, triumphes;
A tergo longa est cauda relicta: cave.

XC.

In duas Sagittas terrae coeloque obversas.

Stemma ill. Eustachii Vollovicii, praesulis Vilnensis.

Bisgeminos Petrus Christo monstraverat enses,
  Urbs raperet captum cum Solymaea Deum.
Ferre cruentandum clementia lumina ferrum,
  Ferre necaturas non potuere manus.
Ultrices majora manus tamen ausa parabant,
  Ut tandem Christus dixerit, esse satis.
O, si tunc geminas monstrasses, Petre, sagittas,
  Quam merito Christus diceret, esse satis!

XCI.

In duas easdem Sagittas.

Allusio in Cant. IV. 9.: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum et in uno crine colli.*

Virgilius quondam, *Telum facit ira,* canebat;
  Tela facit, melius sed cecinisset, Amor.
Est oculus telum: divino crinis Amori
  Est telum. Quid non figere possit Amor?
Est oculus, sed qui superas se tollit ad auras;
  Est coma, deciduo quae petit ima gradu.
Quis scit, an obversae coelo terrisque Sagittae,
  Haec oculus non sit praesulis, illa coma?

XCII.

In easdem Sagittas.

Aeris et argenti et ferri rude vulgus et auri
  Ibat ad Aetnaei jurgia forte fori.

Lis fuerat, quonam posses, Vulcane, metallo
Digna Volovicia condere tela manu.
Caussidicum vicit, Vulcano judice, ferrum,
Factaque sunt forti ferrea tela viro.
Tum faber ad socios operum: Sint ferrea tela:
Ipse mihi Volovic aureus, inquit, erit.

XCIII.

Ad illustrissimum Hieronymum Vollovicium, dum Samogitiam ingrederetur.

Isse suas ut te Samogitia sensit in oras,
Luserunt vitreo pulchra fluenta pede.
Florida festivas agitarunt rura choreas,
Laetitia madidae personuere domus.
Ocius i, praeses: si forte venire moraris,
Huc venient campi, flumina, rura, domus.

XCIV.

In Soleam tribus insignitam Crucibus, Stemma illustrissimi et reverendissimi Stanislai Kiszkae, praesulis Samogitiae.

Quis tam concordi junxit duo robora nexu?
Quis Soleam socias jussit habere Cruces?
An quia Kiszkanae monstrant insignia gentis,
Certatimque sacro laudis honore nitent?
An quia calcari cupiunt humilesque latere,
A domino morem quem didicere suo?
O celebres humilesque nimis! magis, inter honorem
Dum nituere, latent: dum latuere, nitent.

XCV.

In tres ejusdem Cruces et tres Tubas.

Kiszka, tuas dum cerno Cruces, dum classica cerno,
Sollicitat mentem terror amorque meam.
Cerno Cruces? ignis sancti me flammat Amoris:
Et dico: Mentis Crux medicina meae est.
Cerno Tubas? timeo: Fors, inquam, bella parantur.
Sed cum nulla sonent proelia, rursus amo.
Quid secura tuae faciet fiducia plebis,
O praesul, si te diliget ipse timor?

XCVI.

In tros Tubas ejusdem reverendissimi praesulis coëuntes.

Catholicos saevis dum provocat haeresis armis,
Innumeris parent impia castra Tubis.
Haec Batavam, canit haec Scotam, canit illa Britan-
Et diversa sonat quolibet ore fides. [nam,
Non sic Catholicas hortantur cornua turmas:
Una fides terna consonat, ecce, Tuba.
Quae tam concordi sociantur classica cornu,
Impia castra, Tubas creditis esse? Tuba est.

XCVII.

In ensiferum Grypha, stemma J. Car. Chodkievicii, M. D. L. supremi exercituum Ductoris.

Hic, qui supinos defluentibus plumis
Investit armos, et bicorporis plantae
Effultus ungue rectus imminet coelo,

Et letiformi Marte proeliaturus
Explorat ensem providus duellator.
Non Atticarum flexili chorearum
Proludit orbe, non rotatili plausu
Reciprocante verberat solum planta:
Cuniculosis non Amazonum silvis
Inhospitales Arcton appulit gressus:
Sed e tropaeis laetus Imperatorum
Chodkevicanas transmigravit in ceras,
Suisque clarum stemma laudibus fulsit.
Nunc ad Poloni Martis aereos cantus,
Tubaeque gratum murmur exsoporatus,
Formidolosos ense fulminat Turcas.
Avertat isthinc pervicax Hetruscorum
Et Apulorum veritas sacerdotum
Victoriarum nuntias coturnices,
Vates columbos, auguresque cornices.
En, certiora, magne militum ductor,
Gryps Lechicorum signa dat triumphorum:
Ut, dum per auras fluctuante subsultu
Stat ludibundus, et velut theatrali
Pugil bipenne motat area ferrum,
Spectator ipse nesciat, tuum Grypha
An proeliantem cernat, an triumphantem.

XCVIII.

De BB. Agapi et Chronia, Virginibus et Martyribus, quae sorores ob Christum carcere maceratae, postea in ignem missae, sed inviolatae, oratione ad Christum fusa, ad coelum evolarunt.

Nil juvat, includi tenebrosa carcere Divas:
Te melius coeco carcere, Christe, vident.

Nil juvat, ignitis immergere membra caminis:
Ignoscit casto conscia flamma pedi.
Compositis ambae venerantur sidera palmis,
Et socia Superum culmina mente petunt.
De flamma carcer, de carcere flamma meretur:
Flamma soror, carcer frater utrique fuit.

XCIX.

De S. Leone Pontifice, qui Attilam, Hunnorum regem, in Italiam cum copiis influentem monitu suo et oratione repressit.

Attila Pannonicis populatur caedibus Alpes:
Obvia magnanimus tendit in arma Leo.
Adversa gemini concurrunt fronte Leones,
Inde Leo Dacus, Tuscus et inde Leo.
Conscius ille sui fera reppulit arma furoris,
Nempe tuâ monitus, maxime, voce, Leo.
O quem te memorem? quo regem nomine dicam?
Ille Leo raptor, tu Leo pastor eras.

C.

De S. Ardalione, qui ex mimo repente Christianus effectus, sui testimonio sanguinis Christum confessus est.

Ardalio sacros deridet carmine ritus,
Festaque non aequa voce theatra quatit.
Audiit Omnipotens: Non est opus, inquit, hiulco
Fulmine; tam facilem, gratia, vince virum.
Deserit illa polos, et deserit iste theatrum,
Et tereti sacrum volvit in ense caput.

Sic, sic, inquit, abit nostrae comoedia vitae:
Terra, vale; coelum, plaude; tyranne, feri.

CI.

De SS. Basilissa et Anastasia, quae sub Nerone lingua pedibusque praecisis, percussae gladio occubuerunt.

Fortis Anastasiae comes est Basilissa sorori:
Illa canit Christum voce, nec ista tacet.
Caesareas utriusque sonus dum venit ad aures;
Vulnere lingua, simul pes utriusque cadit.
Utraque sponte genu sinuato vulnera curat,
Et te prociduo poplite, Christe, colit.
Irasci Christo nescis, improvide Caesar:
Quem tacuisse velis, sic coluisse jubes.

CII.

De S. Apollonio senatore, qui, lecta pro Christi religione in senatu apologia, gladio percussus est.

Creber Apollonium prona bibit aure senator,
Dum legit arcano nobile dogma libro,
Aetatemque canit Christi sanctosque triumphos,
Et stygia nuper capta tropaea domo.
Sed tamen insontem mulctat sententia Divum,
Romanumque jubet tingere caede forum.
Ne dubitate novo, Romani, credere libro:
Mucro stilus, sanguis litera, Roma liber.

CIII.

De S. Adalberto, Gnesnensi Archiepiscopo et Martyre, qui a Prussis lanceis remisque appetitus, pro Christo fortiter occubuit.

Saepe Tyras, Albertus ait, et saepe Tibiscos,
Istrum saepe peto, navigo saepe Salam.
Ah, quando tandem stellantia littora visam?
Ah, quando certa sidera puppe petam?
Dixerat, et crudis Prussus dat vulnera contis,
Et creber remis pectora nauta quatit.
Utere jam remis, et largum funde cruorem:
His remis, isto flumine viso polum.

CIV.

Puer Jesus totus desiderabilis.

Hyblaei rores et Hymettia liba, valete,
Pinguiaque Assyriis deflua mella favis.
Me trahit ille ferax sanctorum vultus amorum,
Ille verecundo vivus in ore pudor.
Cum mea mens sacrae satiatur imagine formae,
In desideriis pascitur ipsa suis.
O Jesu, mea sola fames, mea sola voluptas,
Quam sapis ipse, tui si sapit ipsa fames!

CV.

Vox Dilecti mei. (Cant. V. 2.)

Ah! ego tam liquidas surdus non audio voces?
Alter et infausta cantus in aure sonat?

Clamat: Ede, tellus; respondent aequora: Pota.
  Vasta sitim faciunt aequora, terra famem.
Terra, dehisce; cavis arescite, flumina, ripis:
  Respuit et voces auris, et ora cibum.
Ut solo te, Christe, frui possimque velimque,
  Totus et os posthac, totus et auris ero.

CVI.

Imago Virginis sanctissimae Planco missa.

Misi, Plance, tibi tenerum cum Matre Puellum,
  Deliciasque meas, deliciasque tuas.
Mittere nobilius, majus comprendere palmae
  Nil potuere meae, nil voluere tuae.
A me plura tamen si munera, Plance, requiris:
  Non a me, a donis plura require meis.

CVII.

De plurimis Christi Martyribus, qui navi vetustae impositi, demersi sunt.

Degenerem linquunt tenebrosi carceris umbram,
  Ut scandant fragilem, mascula turba, ratem.
Sunt illic merces, plagae; sunt vota, rudentes;
  Mors pretium, virtus prora, carina salus,
Vincla fides, malus pietas, suspiria venti,
  Spes velum, remus gratia, rector amor.
Tunc Deus: His si navis, ait, mea cingitur armis,
  Typhi, tuam coelo dejice, mitte meam.

CVIII.

De Palmulo, adolescente sanctissimo, immature vita functo.

Vixisti tibi, vixisti quoque, Palmule, Christo,
Longa tibi fuerat vita, brevisque Deo.
Semper vixisti Christo; tibi, Palmule, raro:
Longa Deo fuerat vita, brevisque tibi.
Mortuus es victurus: erit tua, Palmule, vita
Longa brevisque tibi, longa brevisque Deo.

CIX.

De S. Simeone Stylita.

Est, inquit Simeon, tellus mihi parvula punctum:
Quis velit in puncto, Christe, movere pedes?
Ergo, pedes, posthac aeternum stabitis, inquit,
Ne tam parva meum semita fallat iter.
Constitit: et stanti tricesima vertitur aestas,
Quae tandem merito contulit astra viro.
Si tibi terra fuit punctum, sint circulus astra:
Jam lato choreas plaude per astra gradu.

CX.

Christi in cruce vox: Sitio.

Ah! sitio, clamas, princeps pulcherrime rerum:
Non habeo pro te dulcia vina: siti.
Tu tamen, Ah, sitio, clamas; dabo pocula, Sponse:
Heu mihi! sed mixto pocula felle dabo.
Hec, mi Sponse, bibes: quaeris cui forte propines?
Ad me pro mundi, Christe, salute bibe.

CXI.

De S. Ignatio Martyre, cujus in corde nomen Jesus augustissimum aureis incisum literis post mortem inventum.

Aurea in Ignati fulgent cognomina corde:
  Hic tua tu tecum nomina, Christe, locas.
Sparserat effuso Martyr cor sanguine: de quo
  Aurea te referens litera facta fuit.
Unde potest fulvum mutari sanguis in aurum?
  Sed tamen est sanguis Martyris: ergo potest.

CXII.

In gratiam Martini Badach, ex Vilnensi academia in Germaniam proficiscentis.

Si te theologum judex audiret Aquinas,
  Ingenium Thomas diceret esse suum.
Si te oratorem facundo Tullius ore
  Audiret, linguam diceret esse suam.
Quae tua sunt, si forte, Badach, tua dixeris esse;
  Ingenio Thomas, Tullius ore caret.

CXIII.

In tres Tubas, stemma Joannis Rudominae, equitis Lithuani.

Tres nuper divae, Bellona, Diana, Thalia,
  De Rudominaeis dimicuere tubis. [na, est:
Nostra tuba est, Bellona inquit; tuba nostra, Dia-
  Haec inquit, potius nostra, Thalia, tuba est.

Audiit, et Getico Mavors subrisit ab Haemo,
  Nil mihi cum vestris, numina docta, tubis. [est:
Vestra tuba est, Bellona, inquit; tuba vestra, Diana,
  Vestra, Thalia, tuba est; sed Rudomina meus.

CXIV.

De morte **Caesaris** N., qui, scenicum dum lustrat coelum, praeceps inopino casu ad theatrum datus, exspiravit.

Vivus ubi roseum fulgor mentitur olympum,
  Et simulant vivas aurea tecta domos,
Picta renidentis dum lustrat sidera scenae,
  Atque alacres Caesar fertque refertque gradus;
Pendula nitentes decepit bractea plantas,
  Atque sua quassum mole necavit onus.
Noxia Caesaribus semper sublimia: quisquam
  Ad superos veniat Caesar, et inde ruet.

CXV.

Idem loquitur de se.

Falsa theatralis dum sidera miror olympi,
  Vera mihi, dixi, sidera pande, Deus.
Dum meus has Lojola Pater modo cerneret oras,
  Putida, clamabat, quam mihi sordet humus!
O mihi tam pulchri reserentur morte penates!
  Vera mihi reserat, dum loquor, astra Deus.
At quia mors aberat coelo quaesita, cadendum
  Ad terram nobis, ut moreremur, erat.

CXVI.

De eodem.

Scenica mentiti dum forte palatia coeli,
Et dubio Caesar scanderet astra pede;
Aurea, quae falsi simulaverat atria coeli,
Scissa ruinosum tela fefellit iter.
Decepto ruit ille gradu; tragicique doloris
Ad sua materies ipse theatra redit:
Et Jesum vocat ore. Pii, ne flete, sodales,
Non ruit ex astris Caesar, in astra ruit.

CXVII.

De duplici Seneca, ad Paulum.

De gemino Seneca pugnat sententia vatum.
Conveniet, si tu, Paule, secundus eris.

CXVIII.

In Philippum rhetorem.

Non poterat jussus tria dicere verba Philippus:
Si vultis causam nosse, disertus erat.

CXIX.

De nobili adolescente in feriis Bacchanalium miserabiliter exstincto.

Saltantes nuper Mors viderat atra Lupercos,
Et se festivis miscuit ipsa choris:
Ebria perque domos saltabat perque plateas,
Morborum longo praeveniente choro.

Hic uni juvenis dum forte resistere vellet,
Ebria non meritum messuit ense caput.
Tollite de lautis, juvenes, convivia mensis;
Quis scit, an ex vestris non bibat illa scyphis?

CXX.

In gentilitium stemma Caroli Chodkiewicz, palatini Vilnensis, cum Societati Jesu Crosae templum fundaret.[1])

Dissona Tela, Cruces, Gryps, Calx, Tria Flumina, [Pennae,
In Chodkievicia consona laude sonant.
Si templum ponas inter tot stemmata, cernet
Se medio laudum Carolus esse choro.

CXXI.

In honorem ejusdem, cum templum idem fundaret.

Haec, quae nubivago rotantur axe,
Et de nubibus aërisque curru
Armamenta novas cient procellas,
Et rauci tonitruque fulminisque
Picto fulgure mentiuntur ignes,
Haec Mavortia fulminum satelles,
Quam comit face fulgurator aether,
Et flantum vehit essedo Notorum,
Lechi nobile stemma, concitavit
In Lunas Othomanicumque vulgus.
Victrices Aquilae, Polona signa,
Huc ad sidereae Parentis aras
Et surgentia convolate templa.
Praebet fulmina Virgo: Ductor artem.

1) Hoc et sequentia sex epigrammata excerpta sunt Sacra Lithothesi; vide supra pag. 364 — 367.

CXXII.

In eundem.

Principiis operum superas delapsa per auras
Turba, faves: crescet sedulus inde labor.
Vulnificos manibus pietas si suggerit enses,
Non inclementis credimus arma Dei.
Templa vocant Superos: Superis mortalia curae,
Et socias jungunt terra polusque manus.
Rite fit, o Superi! patrios delectus in hostes
Dux melior, miles fortior esse queat?

CXXIII.

Liberalitati ejusdem Ducis sacrum.

Terna pluunt densis quae liquida munera nimbis,
Sunt Chodkieviciae munera larga manus.
Sunt sua dona Duci proprio servata labore,
Et sua sunt patriae, sunt sua dona Deo.
Quae majora putas, uno quae fonte redundant?
Nam dispar triplici funditur amnis aqua:
Templa Deo, patriae libertas, et sua laus est;
Magna sibi, patriae maxima, rara Deo.

CXXIV.

Justitiae ejusdem sacrum.

Numerabo vos in gladio. (Isai. LXV. 12.)

Carolus enumerat numerosi castra Geloni.
Non fallet justam, justa tabella manum.
Victa luet meritas Othomana licentia poenas,
Quosque Stygi vindex immolet, ensis habet.

Coge pharetratas campis, Othomane, catervas,
   Quae Lechicas quondam diripuere domos:
Cultus ad hunc lapidem recti bonus arbiter ensis,
   Non feret intactum longius ire nefas.

CXXV.

Fortitudini Ducis ejusdem sacrum.

Ecquid ferrea nubibus procella
Telis fulminat, et pluente ferro
Campos Martius inquietat imber?
An in Bistonii genus tyranni
Thracum millia Thraciasque Lunas
Conjurata tumultuantur astra?
An de coelite mittit officina
Sanctorum Dea dux manipulorum
Robustissima Chodkievicianis
Armamenta toris? Utrumque, credo,
Nostri symbolon imminet triumphi;
Et ne quis dubitet, Virago nostras
Aequa ponderat in bilance vires,
Aequa ponderat in bilance palmas.

CXXVI.

Eidem fortitudini sacrum.

Auditis? cecinere tubae, fremit aethere Mavors,
   Crudaque de solidis nubibus arma cadunt.
Scilicet ista suo templi memor arma clienti
   Virgo dat, et socias sedula jungit opes.
Diva, fave! tibi templa solo, tibi ponimus aras,
   Tu bona sidereis omina mitte plagis.

Quid Chodkievicii dubitas de pondere ferri?
  Omnis enim tanto sub duce palma levis.

CXXVII.

In stemma gentilitium ducis ejusdem.

O quantae fulgent Volucres, Diademata, Telum,
  Calx, Galeae, Fluvii, Littera docta, Cruces!
Cui tam concordi clarescunt stemmata laude?
  Laude vir est clarus, clarior illa viro.

CXXVIII.

In Gryphem gentilitium ducis ejusdem.

Crux, pacis omen.

Grypha Borystheniis reducem Pax vidit ab arvis,
  Et moesto teneras lavit in imbre genas.
Fulget adhuc, inquit, nec adhuc tibi conditur ensis?
  Ah, vagina suum si revocaret onus!
Audiit et placidas Gryps misit in aëra voces:
  Nonne vides sanctas Pacis in ense notas?
Quod tibi nec Soleae, nec sunt tibi Tela timori,
  Crux facit; et nostro cernis in ense Crucem.

CXXIX.

In eundem gentilitium Gryphem.

Obsequium patriae.

Alituum Gryps ille tuus rectorque ferarum,
  Armiger est patriae, Carole magne, tuae.

Concita funestos si patria fertur in hostes,
Et Gryps praecipiti fertur in arma gradu.
Illa vocat, vocat hic, legit haec, legit ille cohortes,
Illa suos enses vibrat, et ille suum.
Carole, quam simili patriam virtute tueris?
Quod cupit illa, facis; quod facis, illa cupit.

CXXX.

In eundem.

Nec bello, nec dolo.

Non est, quod metuas hostiles, patria, turmas,
Te vigil opposito Carolus ense tegit.
Non est, quod metuas civilis funera dextrae,
Gryps in civiles fulminat ense dolos.
Ense ruent hostes, ductor si strinxerit ensem;
Perjuri, si Gryps strinxerit, ense ruent.
Quid Gryphi tantaque duci pro laude precabor?
Gryps aquilas ducat, Carolus ipse duces.

CXXXI.

In eundem et Aquilam Moscoviticam.

Quadrupedum frustra dominum volucrumque lacessis:
Non nisi cum magnis dimicat ille feris.
Servantur tantae magnis cervicibus irae:
Non potes hoc tenuis praeda sub hoste mori.
Si tamen insigni cupias occumbere leto,
Non meliore mori praeda sub hoste queas.
In pennis aquilam, cognoscis in ungue leonem.
Si pugnas, unguis: si fugis, ala premet.

CXXXII.

In eundem Gryphem.

Pax soli et poli.

Alitibus socium quis crederet esse leonem?
Quis socias aquilae crederet esse feras?
En, placidam subiere vicem volucresque feræque:
Gryps gaudet volucris, gaudet et esse leo.
Pingitur his nostri signis concordia regni:
Haec placidae tellus omina pacis habet.
Nec vereare, suum Gryps quod porrexerit ensem,
Cum coelo pacis foedera nempe ferit.

CXXXIII.

In eundem.

Mutuus amor coaevus est.

Quadrupedum leo rex, aquila est regina volucrum:
Gryps, utrumque tibi spondet uterque decus.
Dat pennas regina tibi, dat nobile rostrum,
Rex jubet hostiles ense fugare globos.
Ergo sui vexilla ducis grex pronus adorat,
Quem fovet Arctois Littavis ora plagis.
O Superi! servate ducem, servate gregemque,
Armet ut iste ducem, ducat ut ille gregem.

CXXXIV.

In eundem.

Nec Hercules contra duos.

Grypha per hostiles gradientem viderat agros,
Dum peragrat patriam Moschicus ales humum.

Trans arces, trans rura volat: per rura, per arces
  Adsequitur Moscham Martius ales avem.
Hæc rursus repetitque lacus Albamque paludem:
  Sed Gryps præcipites occupat arte vias.
Quid frustra terramque fuga cœlumque fatigas?
  Quam fugis, et volucrem cernis, et esse feram.

CXXXV.

In eundem.

Generosae symbola mentis.

Arduus extento Gryps territat æthera ferro,
  Et stringis validos, bellice mucro, pedes.
Subdita defendunt fortes diademata plantae,
  Claret et in fido tuta corona pede.
Esse quid hoc dicam? Regni bonus esse patronus
  Crederis: id late conscia fama canit.
Gryps tuus unde potest patriam defendere solus?
  Sed tamen esse tuus dicitur, ergo potest.

CXXXVI.

In eundem et reliqua stemmata.

Latet laus magna sub umbra.

Stemmatibus septus claro Gryphs vertitur orbe,
  Pendulus et forti mucro sub ungue sedet.
Bella vehit vitiis: si lasset pugna ruentem,
  Optatam Ternus porriget Amnis opem.
Tela latus cingunt: si telis appetat hostes,
  Cum Cruce Calx venient, si scelus orbe fuget.

Ergone nulla feret meritae pia praemia laudis?
  Invertat gladio W. Mihi *magnus* erit.[1])

CXXXVII.

In stemma idem.

Fama super aethera notus.

Stemmatis orbe tui praepes convertitur ala,
  Terga Cleonaeus gyrat et alta Leo.
Mentis honos altae meritas accommodat alas,
  Qui jubet in superis figere castra plagis.
Magnanimum jungit Constantia laeta Leonem,
  Quae jubet humanae fata domare vicis.
Si terra et superis potes hostem pellere campis,
  Uno te plaudat terra polusque duce.

CXXXVIII.

In idem stemma.

Fulmen Fortunae.

Carole, cerne piis divina potentia signis
  Quae tibi sollicito porrigit arma duci.
Si tibi res altae subeant et fama laborum;
  Alta premes forti tergore, magne leo.
Deprimat adversis si sors malesana procellis;
  Promittis certam, mobilis ala, fugam.
Si premit alta leo, si diffugit ala profunda;
  Sortem sub pedibus quis neget esse tuis?

---

1) W. inter stemmata ducis est. Inversum autem initialem litteram **Magni** significat.

CXXXIX.

In idem.

Ex famulo conjice herum.

Qualiter armato victor fera Carolus hosti
Bella det, et ditet mortibus arva feris,
Explicat hoc mucrone truci Gryps, belliger ales,
Belligeras moveat quantus in arma manus.
Hostis, cum Carolo qui Martem accendere tentas,
De famulo tali conjice, quantus herus.
Cum ruit in cuneos, aquilae ruit ille volatu:
Cum quatit hic Moschos, terga leonis habet.

CXL.

In idem.

Suam quodque repetit originem.

Aethereas scandes cum, Carole, magnus ad arces,
Gryps domino socium servus inibit iter.
Hic ubi disjunctam cernet de corpore mentem,
Disjungi terris protinus ille volet.
Jura dei poscent aquilam, sed signa leonem,
Orion gladium vult sibi jure dari.
Rarus habere potest superis sua stemmata campis:
Tu retines, nam sunt his tibi parta locis.

CXLI.

In idem.

Norunt, cui serviunt.

Fulmineo, cerno, gaudet Gryps ense biformis,
Compressum rapido pondus et ungue premit.

Indocili, metuo, tribui fera robora servo:
  Rara manus gladium rite rotare potest.
Accipe, quaeso, tuum (terret Gryps), Carole, ferrum,
  Ne creet exsangues pallida cura metus.
Sed, puto, Gryps solum lectus manet armiger ensi,
  Quantus! qui brutis ponere jura potest.

CXLII.

In idem.

Vis vi vincitur.

Aspicis, ut Gryphi stat forma bicorporis umbrae:
  Hinc aquilae species, promicat inde leo.
Cur aquilae cecidit portandus mucro ministrae?
  Et non bellipotens haec movet arma leo?
Corporeos contra validus leo sistitur hostes,
  Insidiis aquilam mentis at hostis agit.
Quod gerat, haud stupeas gladium, regina volucrum:
  Mens majorem hostem corporis hoste gerit.

CXLIII.

In idem stemma.

Divorum stemmata gestat.

Justitiae quantus cultor jurisque vetusti
  Carolus, enarrant stemmata clari viri.
Rex sacer ornaret magnas cum stemmate natas,
  Justitiae gladium stemma tenere dedit.
Justitiam populi metuuntque coluntque frequentes:
  Carolus en gladio stemmate victor ovat.
Quae majora dari poscis tibi stemmata laudis?
  Par cum Justitia, Carole, stemma tenes.

CXLIV.

Primae aetati ejusdem ducis.

Quod puer Alcides geminos eliserit angues,
Invictum loquitur postera fama virum.
Carole, nec pateris primos inglorius annos
Currere; Castaliae sed geris arma deae.
O, quam te forti stupuit certamine Pallas,
Expugnas Clarii dum sacra regna jugi.
Major es Alcida: tenues hic vir premit hostes,
Tu puer invictam Pallada victor habes.

CXLV.

Maturae juventuti ejusdem.

Sciria dum magnum servarent littora Achillem,
Monstravit validum Graja carina virum.
Te quoque, pro patriis bellator, Carole, regnis,
Moldavia ingentem nuntiat esse virum.
Hebri fortis erat sub flumine lotus Achilles:
Te fortem sudor sed magis esse facit.
Major es Aeacida. Trojanus sudor Achillem
Perdidit, ingentem te facit esse virum.

CXLVI.

Virili aetati ducis ejusdem.

Pompei felix, celer Hannibal, inclite Caesar,
Marcelle in bellis fervide, caute Fabi,
Laurentes aquilas nostris submittite regnis,
Hoc poterunt melius belligerare duce.

Legistis magnae felicia bella juventae:
  Cernite nunc acri parta tropaea viro.
Nec vos absentis jam quaerite gesta senectae:
  Non decet aeternum dura senecta virum.

CXLVII.

In quendam, qui auctorem carpserat, quod satanam in secunda syllaba et produxisset et corripuisset.

Quod breviem tendamque simul, mirare, satanam,
  Communem facias cum tamen ipse tibi.

CXLVIII.

Stemma illustriss. Stanislai Kiszka, praesulis Samogitiae, Scutum quadripartitum, Soleam cum ternis Crucibus, Lituos et Sagittam geminam exhibet.

Mars et juncta suo Pietas fert stemmata nexu,
  Mars Soleam, Pietas robora terna Crucis.
Quid Solea atque pia faciet Crux foedere juncta?
  Haec hominum pacem conferet, illa Dei.

CXLIX.

Ad praesulem Samogitiae Stanislaum Kiszka.

Arma ferunt vires.

Hostiles multo grassantur funere turmae,
  Et patet indomitae plurima praeda neci.
Hinc scelerata truci bacchantur crimina ferro;
  Hinc Bellona novas corripit atra faces.

Nusquam tuta quies; stat plurima mortis imago,
  Praesule dum viduum cernit inesse gregem.
Sed nil, grex, metuas hostiles provide fraudes;
  Nam sub quae fugias praesulis arma tenes.

CL.

Ad eundem praesulem.

Huc cursus erit.

Aspicis, augustum Calx ut jaculetur honorem,
  Cui stipat fidum Crux bene fida latus?
Haec bene letiferi molem curvatur in arcus,
  At ternae referunt fortia Tela Cruces.
Prima levis celeri liquidum secat aëra cursu,
  Hae latus in mundi commeditantur iter.
Ite leves, versate solum, versate polumque,
  In praedam donec cesserit ipse Deus.

CLI.

Ad eundem praesulem.

Augustum munus.

Sponsa relicta suo Samogitia praesule sponso,
  Fudit ad offensos plurima vota polos.
Audiit illa polus, promissaque certa remittens,
  Implevit moestos spe recreante sinus.
Accipe jam missum gaudens, Samogitia, sponsum;
  Et venerare sacras, munera magna, Cruces.
Nec meliora roga, nec plura require, supremus
  Munera quam sponsae quae tulit ipse Deus.

CLII.

Ad eundem.

Coronabit te rosis.

Ecquid turbaris trepido, Samogitia, vultu,
Occurras sponso quo bene compta tuo?
Aspice, praesuleae quid alant insignia gentis,
Ut nitidae ternus purpurat ordo Rosae.
Sperne peregrinos, mentitaque munera, cultus;
Nec tibi continuet serta pudica Paphos:
Qui tibi sacra Cruces gaudens in munera misit,
Hic dabit et dignas in tua serta Rosas.

CLIII.

Ad eundem.

Florebit in aeternum.

Paestanos inter Virtus pulcherrima saltus
Carpebat niveo pollice forte rosas.
Mox tamen, ut vidit, quam gloria curta rosarum
Et brevis, ut tenui purpura flore nitet;
In nova scrutatrix discessit praedia florum,
Perpetuus cingat quos odor atque color.
Praesulis, o Virtus, scrutare roseta: vigorem
Perdere praesuleae non didicere Rosae.

CLIV.

Ad eundem.

Numerosum munus.

Compositas supplex, Samogitia, ad aethera palmas
Effer, et aethereo vota repende Patri.

Imminet en vidui pastor venerandus ovilis,
Ut tibi maturam porrigat acer opem.
Visa tibi infelix, nunc tanto presule felix,
Larga serenata gaudia fronte refer.
Aspice praesidiis quantis te sepiat aether:
Unica Crux mundo, sed tibi terna datur.

CLV.

Ad eundem.

Virtus unita fortior.

Haeresis Hydra caput septeno gutture jactat,
Alcidaeque novo proelia dura parat.
O metuenda nimis sceleratae proelia Lernae!
Irritat quantam perdita musca manum!
Ocius, heus, pavidum spissis caput abde tenebris,
Et pete cognatae limina nota Stygis.
Abstulit Herculeum septenos robur hiatus;
Nonne dabunt plures robora plura neces?

CLVI.

Ad eundem.

Verum est testimonium ejus.

Linque Crucem: raucis clamoribus urget Hebraeus,
Dum sobolem veram scire Tonantis avet.
At Deus ut Gnatum se Numinis esse probaret,
Certus in amplexu perstitit usque crucis.
Et te pastorem verumque Tonantis alumnum,
Ecce probant ternae fortia signa Crucis.
Felix, cui Crucibus licet uti testibus! illis
Majorem haud testem terra nec axis habet.

CLVII.

Ad eundem.

Crux sanat, Calx ferit.

Haeresis occultis serit impia vulnera telis,
Et miscet stolido tristia fata gregi.
Ille tamen sanctam renuit libare medelam,
Inque sacrum lentam spargit ovile luem.
Stemmatis arma vibra, praesul: vel vulnera sanet,
Vel cadat extrema perfida turba nece.
Vulnera sanari cupient, Cruce vulnera sanes;
Sanari renuent vulnera, Calce feri.

CLVIII.

Ad eundem.

Crucis vestigium.

Invia quos longe patriis via dividit oris,
Quam grave difficili calle moramur iter!
Asper et incertus tardat vestigia trames:
Nunc errare solent, nunc titubare pedes.
Attamen exemplo qui praesulis aethera scandet,
Aptet honorato stemmatis arma pedi.
Non poterunt errare pedes. Crux lumina praebet:
Calx stabilit: poterunt non titubare pedes.

CLIX.

Ad eundem.

Posuit fines tuos pacem.

Bellacem Soleam miti Crux coelica signo
Circuit, et sociam sedula jungit opem.

Justitiae illa minax concessa e munere splendet,
Largitur ternam Diva benigna Crucem.
Haec iras acuit, sed comprimit illa furorem:
Territat ista feras, recreat illa gregem.
Quis Pacem esse neget positam sub finibus istis;
Custodes tales qui meruere dari?

CLX.

Ad eundem.

Bonus pastor, bonum ovile.

Exspectatus adis promissum, pastor, ovile:
Te stringit blando patria tota sinu.
In tua dum fixos convertit lumina vultus,
Gaudet pastoris cernere signa sui.
Et bonus in miti pastor fers gaudia vultu,
Undique dum sanum conspicis esse gregem.
Quid tibi, quid nobis melius dare sidera possunt,
Cum grex et pastor sic coiere pares?

CLXI.

Ad eundem.

Deo affine stemma.

Alter belligeri jactet sua stemmata Martis,
Ensem, vel crudam tela datura necem.
Gaudeat hic doctae referens insignia divae,
Fulmineae referens plumea texta jubae.
Et quicunque volet, se tollat Apollinis arcu,
Vel ferat Arcadii mitia signa dei.
De Cruce praesul ovat: nil illo majus, alumnum
Quem fecit proprii stemmatis ipse Deus.

CLXII.

Ad eundem.

Optimum quemque electio invenit.

Dum divinus Honor sacra redimire tiara
  Apparat, et dignum quaerit honore virum,
Nobilitas alto florentem sanguine dixit;
  Maturum meritis Gloria dixit herum;
Prudentem Musae; Virtus legit aemula sanctum;
  Lis ita sollicitis orta deabus erat.
Sed mox unanimi coierunt mente sorores,
  Dum cecinit Pietas: omnia Kiszka meus.

CLXIII.

Ad eundem.

Unum ovile.

Ibat ovis Stygii delusa ab imagine monstri,
  Haeretico referens tabida membra malo.
Errantem Stygii cernens prope pascua campi:
  Implevit sanctos patria rore sinus.
Sed jam tam caras cessa deperdere guttas;
  Jam cessa indignas imbre lavare genas:
Cum Cruce pastor adest notam portando medelam:
  Apta gregi est, toti quae fuit apta solo.

CLXIV.

Ad eundem.

Mutus honor.

Inter praesuleas non ultima Buccina laudes,
  Indoctas queritur forsitan illa deas.

Cur decorata pio Crux et Rosa carmine crescit,
Cum celebrent laudem carmina nulla meam?
Sed si vera mihi placido licet ore fateri,
Haec est ingenio causa reperta meo.
Non reticet mea Musa Tubam, non, carmine: sed cum
Clarius illa sonat, dignius ista tacet.

CLXV.

Ad eundem.

Crux patrona bellis.

Ad sua diverso traherent si robora motu,
Mars hinc tela ferens, praesul at inde Crucem.
Lignea tela licet praesul, Mars aerea ferret,
Attamen haec Marti verba ferenda darem:
Me Crucis arma tenent; telis tu quaere clientem;
Quin potes ipse Crucis praesulis esse cliens.

CLXVI.

Ad eundem.

In hoc signo vinces.

Stringe Crucem, cujus stimulat Victoria mentem:
A Domino didicit vincere cuncta suo.

CLXVII.

Ad eundem.

Tolle crucem tuam.

Magna Crucem merces dabitur portantibus unam:
Quanta Crucem ternam palma ferentis erit?

CLXVIII.

Ad eundem.

Redeunt Saturnia saecla.

Cuncta sua reditura Plato vertigine dicit;
Dum docet auctorem cuncta fovere Deum.
Nox venit ut celeri, celeri sic praeterit umbra:
Ut fugit aethereo sic redit axe dies.
Aurea prima, dehinc aetas Argentea fluxit,
Aerea successit, Ferrea quarta fuit.
Aurea nunc, praesul, redeunt te praesule saecla.
O possit vates hactenus esse Plato!

CLXIX.

Ad eundem.

Bonus miles Christi.

Haeresis excito movet impia castra tumultu,
Raucaque funesta classica voce quatit.
Vidit, et audivit praesul, contraque furentem
Partitur gemina nobile stemma vice.
Diffugiunt hostes, triplici dum robore nexae
Personuere Tubae, dimicuere Cruces.
O quanta fervens antistes dimicat arte,
Qui dum signa canit Martis, et arma vibrat!

CLXX.

Ad eundem.

Judicium Samogitiae.

Undique me cingunt hostes: sed amica Timorem
Praesulis arma premunt, praesidis arma fugant.

Si mihi rauca sonent Suecanis classica turmis;
Evigilant magni fortia tela Ducis.
Quod si forte meis Acheron desaeviat oris,
Praesul agit sanctas in sua bella Cruces.
Si Jaculis Wolowicz, si me Cruce Kiszka tuetur,
Quo tandem poteram tutior esse modo?

CLXXI.

Ad eundem.

Ter felix.

Quam bene praesulei coelestia bella Gradivi
Quoque gerantur habent, quoque canantur habent:
Tres Kiszcae, mundi, carnis Ditisque catervae
Tergemina victae procubuere Cruce.
Tres quoque victori festo clangore triumphos,
Tergeminae quondam concinuere Tubae.
Si ter bella geris, si ter post bella triumphas,
Quis te felicem ter neget esse virum?

CLXXII.

In stemma Joan. Car. Chodkievicii, dum suam filiam Annam nuptum daret Joanni Stanislao Sapiehae M. D. Lit. Mareschalco a. 1620.

Ense duellantes solitus Gryphs sternere turbas,
Laetitiae comes est nunc, Hymenaee, tuae.
Stat tamen erectus, num quae det buccina signum,
Audit, et in mediis corripit arma choris.

CLXXIII.

In stemma Joannis Stanislai Sapiehae, M. D. Lit. Curiae Mareschalci, dum Annam Chodkieviciam in matrimonium duceret.

Tela, Cruces, Soleae, Lunae, Leopardus in istam,
  Agmine collecto, desiliere domum.
Patria subsidio multiplice proteret hostem:
  Luna jubar, Crux vim, Tela trophaea dabunt.

CLXXIV.

In stemmata Triznarum et Volloviciorum, dum Petrus Trizna et Sophia Vollovicia matrimonium inirent.

Lilia, quae triplici vinxit Concordia nodo,
  Illa pius Jaculis associavit Hymen.
Ne metuas, triplicem ne rumpant Spicula nodum,
  Neu violent, si quod Lilia foedus habent.
Lumina, quae junxit Concordia, lumina semper
  Lilia pacis erunt; Spicula Martis erunt.

CLXXV.

In stemma Ducis Radivilli.

Armiger expansis quod ventilet aëra pennis,
  Sudantis patriae ventilat ille genas;
Quod triplices exstante Tubas pro pectore gestet,
  Est Radivillorum fama canora Tuba:
Et bene se pro corde Tubae posuere canorae,
  Martia sub magno pectore bella cient.
Armiger ergo tuas jam perge extendere pennas,
  Mensuram famae vix capis ipse tuae.

CLXXVI.

Vladislao Radivillio Annam Zenoviciam in matrimonium ducenti, Pallas academica (Vilnensis) testudinem Romanam militarem e quatuor clypeis factam dedicat.

Primus clypeus exhibet annulum e stemmate sponsae desumptum.

Sponso principi.

Annule, qui nostras ditabas lumine ceras,
In Radivillaeas, annule, perge manus.
Non in te resonas discurrere jussimus horas,
Nec volucris volucri stat rota nixa rotae.
Sint procul hinc horae, tu saecla perennia porta,
Perpetis et fidei nuntius esto meae;
Annulus haud meus est, qui sponso nuntiat horas:
Principis aeterno est munere digna manus.

CLXXVII.

Secundus clypeus eidem Duci ex sponsae Zenoviciae ceris alitem offert.

Sponso senatori.

Tu quoque, pullatis velas qui brachia pennis,
Ibis in illustres Ales, amice, manus.
Nec pudeat nigro pectus vestire colore,
Principis et vigiles veste referre notas.
Namque senatori munus te mittimus aptum,
Pro patria vigiles qui trahit usque moras.
Ergo licet referas nigranti syrmate noctem,
Principis ex oculis sat tibi lucis erit.

CLXXVIII.

Tertius clypeus eidem Radivillo Soleam Zenoviciam ponit.

Sponso heroi.

Hac Solea Moschi gemuerunt aequora campi,
Hac refugum fregit Thracia Luna caput:
Calcatas bellator aquas hac senserat Ister,
Hac titubans fixit patria saepe gradum:
Hanc Aquilis, Radiville, tuis, hanc consecro signis,
Hic se belligeram sentiet illa magis.
Nam tuus hanc postquam plantis dignabitur Ales,
Alitis a planta quid nisi fulmen erit?

CLXXIX.

Quartus clypeus Crucem patriam locat.

Sponso piissimo.

Fors Radivillaeas dum tollit ad aethera taedas,
Et sacra connubii foedera sancit Amor;
Quinque Palaestinas converso lumine vidit
In Radivillaeo stemmate stare Cruces.
Pulcher honos, inquit, Radivillo et sanguine dignus,
Par sibi cum summo sumere stemma polo.
Sextam, sponsa, Crucem Crucibus si junxeris illis,
Quam modo certamen par pietatis erit?

CLXXX.

In insignia generosae Rudominarum domus.

Viderat e bello reducem Bellona Gradivum
Picta triumphali plaudere scuta manu:
Viderat et sculptum clypei super aequore stemma
Et Rudominaeas proelia flare Tubas.
An mihi, frater, ait, Mars, an Rudomina videris?
Mars cui tergeminae reddidit ore Tubae:

Thracius, Odrysius, Gortynius ante vocabar,
Nunc Rudominaeum jure vocare potes.

CLXXXI.

In eadem insignia.

Huc Brontes Steropesque mihi, Mars inquit, adeste:
Et nova Daedalea fingite scuta manu.
Accelerant jussum Brontes Steropesque laborem,
Artificique novant Daedala scuta manu.
Rudominaea cavo finguntur stemmata scuto,
Inque suis medius dux Rudomina notis.
Tunc Mars: si paribus nuper bellavimus armis,
Quid refert, an Mars, an Rudomina vocer?

CLXXXII.

In eadem insignia.

Cerne Tubas, sed cerne Tubas sine carmine, Mavors;
Nimirum laetos dedidicere sonos.
Cerne senem, sed cerne senem sine carmine cygnum,
Nimirum functo collacrimatur hero.
Ipsa tamen dominum laudare silentia possunt:
Atque verecundus laude carere pudor.
Quid Tuba, quid noceat laudis sine carmine cygnus?
Dum tacet illa, sonat: dum silet ille, canit.

CLXXXIII.

In funere Joannis et Georgii Rudominarum.

Sera nepotibus cura.

Haeccine, pro, Superi, serorum cura nepotum?
Haeccine promissi vota secunda senis?

Uno eodemque die, longis et avunculus annis
Dignior, et grandi funere fertur avus.
Coeca feroxque simul crudelis et improba Parca!
Vel solum, scelus est grande, tulisse senem!
Parcere debueras longis ut avunculus annis
Cresceret, et grandi grandior esset avo.

CLXXXIV.

In eodem funere.

Silere nescia Pallas sociata Gradivo.

Maturus plenisque senex jam fertilis annis
Extremum laeto clauserat ore diem.
Laetior inferea Lachesis prorupit ab aede,
Et vixisse bonum, sparsit in urbe, senem:
Non tulit invidiam facti indignata Minerva,
Jussit et in medio haec verba tonare foro:
Scilicet hic moritur, caros qui Palladi alumnos,
Qui natos vobis, Martia castra, dedit!
Ne metuas vivae, Rudomina, silentia famae,
Nec Mars, nec psaltrix Musa silere potest.

CLXXXV.

In eodem funere.

Tricipitis invita fauce.

Quos cernis reduces Lituos, praenobile stemma,'
Est Othomanigenis nobile digma plagis.
Vidit et invidit venatrix perfida Luna,
(Dum crepera streperent proelia dira manu)
In Rudomineis decus hoc splendescere dextris,
Et rapere innumeras, ausa cruenta, dolis.

Marte ferox contra dextraque Georgius acri
Obstat, et in pulchram proruit ultro necem.
Hoc patriae (moriens inquit) deducite pignus.
Non tetigit nostras Turcica Luna Tubas.

CLXXXVI.

In eodem funere.

Patruo magno, seni longaevo.

Me miserum, cui sors sanctae laudata senectae,
Non siccat madidas laude favente genas.
Hi non culpatam tollunt sine crimine vitam;
Hi memorant largas in pia pensa manus.
Longa perennati numerant hi lustra parentis;
Innumeros gaudent hi superasse senes.
Sat famae vixisse ferunt patriaeque sibique;
Unaque concordi vox stat in ore: satis.
Sit super atque satis, quod te vixisse putatur,
Si satis est aliis, at mihi, crede, parum.

CLXXXVII.

In eodem funere.

Alibi loquor.

Vix Othomanigena succisum falce cadaver
Fraterna in patrios cura reduxit agros:
Parva salutatum concurrit turba nepotum,
Coeperat et bleso quaerere multa sono:
Sensit ubi mutum, nec responsare paratum,
In lacrimas sic est moesta soluta cohors.
Heu nos! heu! inquit, quis, patrue, nostra revisis
Tecta? Ubi vox casto plena lepore manet?

Non sileo, non, inquit, ego. Vox lapsa per auras;
Tota in Valachicis nostra loquela plagis.

CLXXXVIII.

In nuptiis Joannis Rakovii cum Eugenia Tyszkievicia emblema.

Luna Tyszkievicia navem, Lilia Paciana malum Crucibus Rakoviis a latere stantibus exprimunt; subtus tres Fluvii et Pisces Naruszevicii; supra Stella Tyszkievicia. Epigraphe: „Ad Vellus aeternitatis Aureum."

Quis tam concordi sociavit stemmata nexu?
Effingit tutam subdita Luna ratem.
Pulchra subire vices dignantur Lilia mali,
Tutatur geminum Crux benefida latus.
Et Fluvii subter currunt, pecudesque marinae,
Anthia stat duplex, torva balaena, fuge.
Nobilis o Argo, Litalae fers lumina terrae,
Stella tuus Typhis, tu tibi vellus eris.

CLXXXIX.

In iisdem nuptiis emblema.

Cruces alatae litteram Pythagorae efficiunt, et Lunam portant ad domum Gloriae, Stellis praeviis.

Crux alata vehit sub amoena palatia Lunam,
Perpetuos scribit Gloria serva saros,
Triplex stella Cruces rutilo discriminat igne,
Pythagorae e Crucibus littera nata venit.
Praevia stella viam, Crux praepes, Lunaque frange
Ardua spinosum gloria vestit iter.

Non via te vincet, Crux praepes, firma nec error,
Fallere sidereae non didicere faces.

CXC.

In iisdem nuptiis emblema.

Gygis annulus oculatus, rotae fortunae inclusus et annulus sponsorum cordi inclusus oculato, Crucibus ac Stellis effultus.

Insertus teretem Sortis Gygis annulus orbem
Possidet, adspectat palpebra crebra diem.
Huic licet et Lydium dederit Rhamnusia sceptrum,
Praeterit, et coecum coeca dat esse Gygen.
Annule, tu felix, bona quem Concordia struxit,
Lucidus in tuto corde micare potes.
Est teres, at dominam non suscipit ille volucrem,
Duplex quae fulcit Crux, probat esse suum.

CXCI.

In iisdem nuptiis emblema.

In campo Concordiae super columnas adamantinas duo annuli aurei; ad quorum unum Luna, alterum Crux collimat et accipit. Epigraphe: „Huc meta."

Candida, qua viridi gaudet Concordia campo,
Gemmatum crispat bina columna decus.
Annulus has duplex fulvo spectabilis auro
Occupat, et magnae munera Sortis habet.
Cynthia carpit iter volucri pede, detinet unum,
Crux volat, atque alio condecorata redit.

Comprime, Crux, celerem, bona, comprime, Luna, volatum.
Huc cursus satis est, huc via, meta, scopus.

CXCII.

Ad Urbanum VIII. Pont. O. M., cum ei poëta sua carmina in honorem Francisci Cardinalis Barberini conscripta dedicaret.

Dum tibi, summe pater, de maguo parva nepote
Ad sacros cuperem carmina ferre pedes,
Stabat Amor, stabatque Timor, pharetratus uterque;
Urget Amor gressum ferre, referre Timor.
Hic trahit, hic retrahit gressus; pugnatur. Amoris
Bella Timor vitat, bella Timoris Amor.
Quid facerem? doctae deerant in carmina pennae,
Nec tibi, quod possem scribere, carmen erat.
Ex alis, sumpsi pennas in carmen, Amoris:
Si leve munus erit, non grave pondus erit.

CXCIII.

In funus Alexandri Gosiewski, Palatini Smolenscensis, defuncti mense Majo 1639.

Musa, tene calamum; pro nigri rore liquoris
Gosievi in laudem flumina magna fluunt.
Belligeri quoties rubefacta Borysthenis unda,
Hostili quoties sanguine Duna tumet!
Hujus ripa Gothis, illius ripa Gelonis,
Utraque pro tumulo est, utraque pro titulo.
Caetera verius(?) melius describunt caetera lati
Pro chartis campi, pro calamis gladii.

Ne scribenda nigri desint ad bella liquores,
  Affundunt moestas *flumina grandia*[1]) aquas.

CXCIV.

Scitum arrogantissimi ministri Calviniani Tavelli.

Ad Cassianum.

Nolo videri, sed suspici.

Non vult videri, Cassiane, Tavellus,
  A me Tavellus suspici cupit semper.
Nolo videre, Cassiane, coenantem,
  Stantem videre nolo, nolo currentem,
Et dormientem nolo, nolo stertentem.
  Non vult videri, Cassiane, Tavellus:
Tandem ut Tavellus suspici mihi possit,
  Volo videre, Cassiane, pendentem.

CXCV.

In Antullum Claudum Philippidam.

Centum Philippos gloriaris, Antulle,
  Patris relictum nomen antecessisse,
Unaque semper stirpe concatenatos
  Nodum paterni stemmatis reliquisse:
Avis Philippis, patribus Philipporum,
  Nepotibusque te satum Philipporum,
Et pronepotem te vocas Philipporum:
  Grandemque post te nominum trahis pompam.
Illustre gentis gratulor tibi nomen;
  Hoc miror unum, Plaute: cur adhuc nullus
Ex tot Philippis natus est Alexander?

---

1) Has voces in manuscripto deletas ipsimet supposuimus.

CXCVI.

Paupertas Deum sibi lucratur et corda.[1])

Emite absque argento! (Isai. LV. 1.)

Ibat venali coelestis Sponsus in auro,
  Jactabatque suas dextera dives opes.
Nullus opes ausus, nullus contingere Sponsum,
  Debuit ad Sponsum sponsa venire suum.
Venit, et abjecto procul omni foenore gazae
  Omnes a Sponso protinus emit opes.
O, ait, abjecto quam sum modo ditior auro!
  Quis sibi pro pretio nollet habere nihil?

---

[1]) Augustus Bielowski, scriptor Polonus, cum fontes ad historiam patriam exquireret, uno ex suis itineribus acquisivit antiquum codicem, in cujus prima pagella sequens annotatio posita est: „Hic liber descriptus est a me, cum adhuc essem in saeculo 1624." Codex ille totus scriptus manu nonneminis, qui posthac religiosam familiam (probabiliter Soc. Jesu) iniit, continet ea Sarbievii carmina, quae habentur in prima editione Coloniensi, hoc discrimine, quod epigrammata praecedunt odas. Ad calcem codicis, aliquot albis chartis interpositis, eodem calamo exarata sunt illa epigrammata, quae nos hic loci numero CXCVI—CCLXV prima vice juris publici facimus. Codicem dictum nunquam vidimus, neque scimus, ubi nunc post mortem Augusti Bielowski lateat; mentionem tamen illius fecit ipse Bielowski (Gazeta Lwowska nr. 110. 1872), item J. Krystyniacki (Carm. posth. Sarb. 1876) et Iskrzycki (Zeitschrift für die Oesterr. Gymn. Wien 1877. pag. 777). Ea, quae modo typis exscribimus, epigrammata, ex codice Bieloviano in alium libellum nescio a quo descripta, D. Krystyniacki nobis vulganda humaniter concessit. Quae cum procul dubio sint partus Sarbievii ex prima ejus adolescentia, prout cuique in Sarbieviana poesi versato facile constabit, quantumvis ab inscio librario depravata cum frequentibus mendis ad nos pervenerint, nostrae tamen editioni adjicienda existimavimus, rati, ea non inutilia fore indagantibus, quasnam vicissitudines ab ipsis, ut ita dicam, incunabulis ad perfectam maturitatem ingenium summi poetae subierit. Errores plures ad pristinam, ut opinamur, integritatem ipsi reduximus; praeterea tamen loci quidam manent nihilominus obscuri. Illud denique advertimus, numerum horum epigrammatum ad calcem codicis Bieloviani existentium recenseri ab Iskrzycki 99, a Krystyniacki loco citato 91; in involucro ejus libelli, quem prae manibus habemus, mentionem fieri 98 epigrammatum; reipsa autem in eodem reperta sunt a nobis 70 dumtaxat epigrammata, quae omnia, ordine tamen paulo inverso, cum lectoribus interim communicamus, donec, quod optamus, codex Bielovianus e latebra sua in lucem prodeat.

CXCVII.

Castitas amore Dei recreatur.

Forte suum Sponsum quaerebat sponsa per hortos,
  Decerpens manibus lilia casta suis.
Ecce rosas inter coelestem vidit Amorem,
  Ad sua divinas lilia ferre faces.
Accesit: dextraque faces probat; at fuit ignis
  Pulchrior ille rosis, gratior ille favis.
O, precor, o spargas, Amor, enthêos largius ignes,
  Talibus in flammis lilia nostra virent.

CXCVIII.

De votorum renovatione.

Haeresis et mundus non ita laxus erit.

Inde venenatos distendens Haeresis artus
  Sparserat haereticos ore bifauce dolos.
Hinc superinvectus dissolvens Mundus habenas
  Iverat in Stygias non retinendus aquas.
Lojolanus ut hos constringeret ordo furores,
  Constringi vinclis coeperat ipse suis.
Sed quibus obstringi vinclis se credidit ordo,
  Haeresis his vinclis strictus et orbis erat.

CXCIX.

De votis.

Nobis non sufficit orbis.

Prodigus auratos quo Phoebus dissipat ignes,
  Quoque suas spargit roscida Luna faces:
Huc tuus, Ignati, tuus huc jam transiit ordo,
  Effusasque sacri sparsit amoris opes.

Spargeret ulterius, sed strictus non capit orbis,
  Hinc igitur vinclis stringitur ipse suis.
O bene vos, Socii Jesu, constringite. Posthac
  Jam, video, vobis parvus Olympus erit.

CC.

Obedientiae promptitudo.

Vix sua coelestis dejecit vincula Sponsus
  In, Lojola, tuos vincula facta greges:
Protinus, ah, proprias coguntur linquere sedes,
  Protinus in varios ire jubentur agros.
Ite: Molucanas, Amor inquit, visite terras:
  Ite sub Eoas Hesperiasque plagas!
Vincula nil obstant votorum: funibus istis
  Constricti poterunt ocius ire pedes.

CCI.

Affectus animae piae, devoventis se Deo.

Anima mea desideravit te in nocte (Isai. XXVI. 9).

Hei mihi, quam longas numero noctesque diesque,
  Sed neque, Sponse, die, sed neque nocte venis.
Ah, quid agam? quo me vertam? Jam lumine nostro
  Unda vibrat flammas, flammaque vibrat aquas.
Irem? sum nimiis singultibus ebria: plantae
  Aut errare volent, aut titubare volent.
Sic quoniam nequeo, ne sit culpabilis error,
  Do tua per Xaverum munera terna tibi.

CCII.

Responsio Sponsi ad superius.

Jam cincinnatos pascebam rore capillos,
Inque tuos volui, sponsa, venire Lares.
Sed tua sub nostrum venerunt munera pectus,
Munera muneribus nobiliora meis.
Assumpsi reserante manu, sed gratior illis
Ros mihi nullus erat, flos mihi nullus erat.
Nec majora volo, nec plura requirere, sponsa:
Sed dubitas? clamat Xavier ipse: satis.

CCIII.

Aliud de votis.

Ibat Amor tacitis per florida jugera pennis
Aucupe telorum despoliatus ope.
Consumpsisse gemit pharetrae se pondus in arcu
Omne, nec humanos illaqueasse greges.
Lojolana phalanx moestum solatur Amorem,
Fundit et in vacuos munera terna sinus.
I, Amor! et posthac si non vis pauper abire,
In Lojolanam spicula verte domum.

CCIV.

De cervo S. Eustachii.

Ibat honoratus Crucifixi stipite cervus,
Conspectoque suae stemmate frontis, ait:
Ecquid in abruptis silvarum commoror antris,
Dignus Olympiacae cervus honore domus?
Dixit, et in strictas pede non titubante sarissas
Irruit Eustachii, nec timet ensis acus.
Sed scio, cur coeco ruit impete cervus in enses;
Martyre vult ferri Martyr in astra gradu.

CCV.

De digito S. Stanislai Martyris in aquis.

Merserat iratam stimulante furore machaeram
  In protomystaeum rex homicida caput.
Impîe tractata Pollex peregrinus ab ara
  Ante salutarem coepit inire fugam.
Jamque fatigatus, turres vallesve subiret,
  Sed neque turris erat, sed neque vallis erat.
Ergo petit visas bene sorte favente lacunas,
  Ultra non potuit currere. Fessus erat.

CCVI.

De eodem.

Ante sepulchralem Pollex meditatur arenam,
  Busta cruentati quo decoraret Heri.
Quid mihi Paestanis, dixit, cum floribus horti?
  Laus brevis est violis, laus brevis estque rosis.
Nostra diuturno decoranda sepulchra nitore
  Et duraturis nobilitanda notis.
Nec mora; marmoreas Pollex conscendit in undas,
  Marmore de solido fors monumenta feret.

CCVII.

De eodem.

Saucius in rigido recubabat littore Pollex,
  Et nece praesuleum questus abire caput.
Sed dolor in digiti cum coepit serpere venas
  Atque terebratos excruciare sinus:
Exsiluit querulus mox in suspiria Pollex,
  Seque nimis rigidum flevit habere torum.
Unda miserta rapit flentem. Cur? Terra jacenti
  Dura fuit digito, mollior amnis erit.

CCVIII.

S. Stanislaus in partes discinditur, et per terram nefarie disjicitur.

Lechicus in patula recubabat Martyr arena,
  Quem tetigit gladio terra Polona suo.
Nemo sed extincti sortem miseratus acerbam,
  Membra sepulchrali contumulavit humo.
Miles ut hoc vidit, furiosus acinace saevit,
  Sparsaque per multam membra volutat humum.
O metamorphosis! sepeliri Martyr avebat:
  Martyris a membris terra sepulta fuit.

CCIX.

S. Stanislai corpus dissectum et in varias partes disjectum coalescit.

Hinc ruit indomitas rex effrenatus in iras,
  Praesuleumque reo perdit in ense caput.
Inde trucidantis properans fera turba furoris,
  Disjicit in varias Praesulis ossa vices.
Sed disjecta suos redierunt ossa sub artus,
  Et reperere suum membra recisa locum.
Quis nolet posthac ita se disperdere? Praesul
  Invenit sese, quando peremptus erat.

CCX.

De eodem.

Sparsa Stanislai raptantur membra per agros,
  Dum furit in Lechico rex homicida solo.
Sparsa sed in multos sunt quamvis membra recessus,
  In sortem fuerant ingeniosa suam.

Nam collecta datum vix intravere sepulchrum,
  Praesulis in proprios mox coiere sinus.
Non periit Praesul; moriturus acinace namque
  Virtutem membris hanc dedit ipse suis.

CCXI.

De eodem.

Regius expulerat furor ex Antistite vitam,
  Cum contenta suo Praesule vita foret.
Sectaque Lechiacos dispersit membra per agros,
  Ut fierent rabidis praeda cruenta feris.
Sed frustra voluit, nam dum legerentur ad urnam,
  Accrevere suo corpora secta loco.
Rex, pepulisse putas vitam de Praesule? Nonne
  Praesulis in corpus vita reversa fuit.

CCXII.

De eodem.

Non sat erat vivi consumere Praesulis ense
  Corpus; et in factam rex furit ense necem.
Impie, quid tantos, rex, excandescis in ausus?
  Quid coquit ira tuum perniciosa jecur?
Sparsa Stanislai voluisti perdere membra,
  Sparsa sed in proprium se retulere Patrem.
Rex, frusta satagis disperdere Martyra; semper
  Martyris in membris ars operosa manet.

CCXIII.

De nivibus S. Francisci Seraphici.

Omnia arbitrabar ut stercora. (Philipp. III. 8.)

Spretor acervatum Franciscus sterneret aurum
  Et domino tereret fulva metalla pede:

Nulla sed effuso jam murmurat aere crumena,
  Nullaque paternas arca flagellat opes.
Ergo pruinosis vestita coloribus arva
  Irruit, et strato proterit ore nives.
Dicite, cur facit hoc? Deceptus imagine cana,
  Forsitan argentum credidit esse nives.

CCXIV.

Idem argumentum.

Torta Cupidineo tentarat spicula nervo
  In Franciscanas Cyprius erro fibras.
Insidiaturo Franciscus territus astu,
  Vellet ab hostili cautior esse dolo.
Mox indagat iter, quo Cyprius hostis oberret,
  Indagare sui sed nequit hostis iter.
Jam scio, quid faciam: nivibus circumdabo corpus;
  Exprimet hostiles nix mihi scripta pedes.

CCXV.

Idem argumentum.

Leno puer Cyprio telorum grandinat imbre,
  Crebraque flammatis concutit arma globis.
Solus in imbelli remoror Franciscus arena,
  Nec mihi patronum transfuga quaero locum?
Mox sata cygnaeis contendit crispa pruinis,
  Defensatrices agglomeratque nives.
Non erat, hostiles quo vir confringeret ictus:
  Fors murata sibi de nive valla struit?

CCXVI.

Idem argumentum.

Nuntia vix Cyprii monuerunt aera Gradivi,
  In Franciscanis bella futura fibris:

Cautus Acidalii Franciscus ab impete Martis,
  Apparat armatas in nova bella manus.
Moxque pruinosis subiens sata consita plumis,
  Atterit appressa pectora nuda nive.
Mars pharetrate, cave; Franciscus providus in te,
  Exacuit vires jam nive cote suas.

CCXVII.

Idem argumentum.

Moecha vagabundis crispata favilla capillis
  Vix Franciscanos cordis adivit agros:
Sacrilego castos laniabat vulnere flores,
  Fureque virgineas carpserat igne rosas.
Sed vigil ut sensit Franciscus furta favillae,
  Ivit ad ultrices cum face fure nives.
Plaudite, virgineo queîs crescunt pectore flores:
  Est jam carnifici fur data flamma nivi.

CCXVIII.

De S. Barbara, cum turri et Angelis SS. Eucharistiam B. Stanislao Kostkae portantibus.

Kostka coarctatis dum frangit sidera votis,
  Fractaque flammata vulnerat astra prece:
Mox pennata phalanx revoluto cardine coeli
  Kostkanam cumulat coelite pane domum.
Inde cruentatis in vestem saucia fucis
  Assecla turritum Barbara portat opus.
Kostka! sacro Superi puto foedus Pane precantur.
  Abnuis? ex turri bella ciere volunt.

CCXIX.

De B. Virgine cum Puero Jesu B. Stan. Kostkam visitante.

Ibat ad aegrotae Kostkana cubilia cellae
  Cum Puero Genitrix, cum Genitrice Puer.
Obvia Kostkano surrexit purpura vultu,
  Et vigil accenso sedit in ore rubor.
Kostka sed ambiguos nescit quo vertat ocellos;
  Pulchra Parens fuerat, pulchrior ipse Puer.
Kostka! vide Puerum, num sit pro frigore vestis;
  Texitur e vultu purpura pulchra tuo.

CCXX.

De cane infernali ad B. Stanislaum Kostkam irruente.

Vix placidis Jesus Kostkae repetitus ab ulnis,
  Sueta recessuros movit in astra pedes:
De Phlegetontaeis piceatus Cerberus oris
  Intrat Kostkanas ore trifauce lares.
Cunctaque Cerbereo percurrens limina visu,
  In Stygias iterum praecipitavit aquas.
Quid voluit? Jesum convivam sciverat esse
  Hic canis; ad Dominum venerat ergo suum.

CCXXI.

De S. Dionysio caput suum portante.

Sacra profanato percussit acinace colla
  Cum Dionysii tortor athleta viri:
Protinus abscissos spumante cruore per artus
  Decidit in terram ceu rosa strata caput.
Res nova! truncati consurgunt Praesulis artus,
  Attollitque sacrum provida dextra caput.
Vis haec unde fuit? Moriturus acinace Praesul
  Artubus ingenium tradidit ipse suum.

CCXXII.

De sagittis S. Sebastiano infixis.

Exploratrices nervo praedone sagittas
Torsit in adstrictum barbara turba virum.
Jussa terebratos grassari tela per artus
Internas nollent contemerare fibras.
Quid faciant? Urgent truculenti jussa tyranni,
Sed vetat innocui mens generosa viri.
Haerent, nec fodiunt, nec dant responsa tyranno;
Malunt in Divi corpore tela mori.

CCXXIII.

Allusio ad sanguinem et sagittas D. Sebastiani, et ad truncum, cui alligatus erat.

Inde Sebastaei saliens de vulnere membri
Profluus oppositam purpurat imber humum.
Hinc rubeas truncus post tergora grandinat uvas,
Quis non foecundi germina speret agri?
Sed cave, bacchantis Suecona ferocia Ponti,
Sunt hic in cladem plurima tela tuam.
Tela Suecos pellent, parcos cruor imbuet agros;
Hunc tibi patronum, Lechia, quaere virum.

CCXXIV.

De eodem.

Barbaricae Martyr ridet Sebastius irae
Tela sub internis illaqueata fibris.
Et picturatae candore serenior uvae
Ad jaculatores haec ait ore greges:
Orane vos vestris vultis mihi claudere telis,
Ne pia supremi Numinis acta canant?
Mille, precor, membris infigite spicula; namque
Quot mihi tela datis, tot mihi labra datis.

CCXXV.

De pluvia in die encaeniorum.

Vix nova triclinii surrexit in aethera moles,
Excepitque suas nata culina dapes:
Tetricus oppositis subito de nubibus Atlas
Misit in exstructam larga fluenta domum.
Non bene convenimus, cum fiunt gaudia nobis,
Tristis in aethereo vertice luget Atlas.
Non flet; at exstructae prope sedem credo culinae
Ut famulentur aquae, stagna ministrat Atlas.

CCXXVI.

De pluvia in die encaeniorum, ex occasione feriae VI [ae] sequentis.

Largus ad exstructae triclinia Juppiter aulae
Praesagas tacito sidere mittit aquas.
Praestruit hoc omen convivia grandia nobis,
Spondet et effusas in nova tecta dapes.
Sors bona! mittit aquas hodie, jejunia cras sunt;
Fors pluvius pisces Juppiter addet aquis.

CCXXVII.

De foramine supra fornacem in refectorio, per quod calor ad dormitorium intrat.

Stricta pruinosis ubi dormit Dzisna fluentis,
Brumaque captivos strictius urget agros:
Hic superexstructum fornacem miror in aula,
Quae supra frontem grande foramen habet.
Nonne potest niveis huc repere bruma capillis,
Ireque furtivo lana nivata pede.
Sed jam Russiacae constat versutia brumae,
Hinc oculum fornax, ne violetur, habet.

CCXXVIII.

R. P. Rectori gratulatorium.

Pingatur manus ventilabro pellens muscas; symbolum pro ejusdem rectoratu. Custodia suorum.

Ventilat ut servet.

Haec quae sollicito flabrum complexa labore
  Docta molestantes dextera terret aves,
Nonne Stanislai loquitur facunda labores,
  Quos Lojolana pervigil arte subit?
Hic maculatrices pellit de pectore muscas,
  Et facit afflatu corda vigere suo.
Quis sibi non speret duce te bona commoda? Flabrum,
  Ut relevemur, habes: ne maculemur, habes.

CCXXIX.

Ex occasione Pueri Jesu in terram venientis.

Fit gravis offensos inter discordia mundos,
  Coelicus externam cum Puer intrat humum.
Astra volunt Puerum, Puerum dare terra recusat;
  Astra tenere Deum, terra tenere cupit.
Jam mediatorem nisi sese poneret aër,
  In bellum ruerent terra polusque novum.
Terra, tene Puerum; coelum, contendere cessa;
  Hic Puer in propria stertere nescit humo.

CCXXX.

De Angelorum cantu et stella in aëre apparente in nativitate Christi.

Mira sub afflicto fit, Christe, licentia coelo,
  Parvus in abjecta quando recumbis humo.
Aligeri volitant, coeli custode remoto,
  Inflammantque novas in nova plectra lyras.

Prona repercusso distendens cornua coelo
  Sola per aërium stella vagatur agrum.
Phoebe, quid est monstri, quod sic dissolvitur axis?
  Apparet, Puerum non timet ille Deum.

CCXXXI.

Ex occasione bovis ante Christum flectentis.

Vox B. Virginis.

Optabam tenerum recreari Virgo Puellum,
  Nemo sed optanti, qui recrearet, erat.
Plorabam, mea terra meum mihi porrige Sponsum,
  At non ille mihi praesto nec illa fuit.
Solus Bethlemicis bos relligiosus ab agris
  Ad mea lunato pignora crure venit.
Tunc ego tunc dixi: pie bos, requiesce; Puello
  Tu servitor eris, quando colonus erit.

CCXXXII.

Ex occasione stellae in nativitate Christi visae.

Vox B. Virginis.

Cum meus humanas Infans processit in auras,
  Velavit miseram nox tenebrosa casam.
Palpabam genitrix, qua Natum sede locarem:
  Palpanti tellus durior aere fuit.
Deflenti tenebras, flenti qui mitteret ignem,
  Nullus in urbe fuit, nullus in orbe fuit.
Parca fuit tellus, sortem miseratus ab axe
  Mittere candelam debuit ipse polus.

CCXXXIII.

De eadem stella.

Terra coruscantem conspexit in aëre stellam.
  Virgine prodiret cum Genitrice Puer.

Unde serenatis, inquit, redimita capillis
  Venit in aërios hospita stella sinus?
Non haec zodiacis inclusa virebat in astris,
  Visa nec humanis ante nitere plagis.
Est nova fax, video; cum gignit Virgo Puellum,
  Incipiunt stellas progenerare poli.

CCXXXIV.

Ex occasione lacrimarum Pueri Jesu et B. Virginis.
Vox amoris.

Hei mihi, quam longo currunt duo flumina tractu,
  Lumine, Christe, tuo: lumine, Virgo, tuo.
Currit ab alterno crystallinus imber ocello,
  Quum crystalla suis ungeret amnis aquis.
Me miserum, sed nemo venit, qui colligat unquam,
  Virgo, tuas lacrimas, parve Puelle, tuas.
O Puer, o Virgo, lacrimas ne sistite, donec
  Naufraga sub vestris terra sedebit aquis.

CCXXXV.

Ex occasione lacrimarum Pueri Jesu et B. Virginis.
Vox utriusque.

Virgo Puerque suum lacrimis deflebat amorem,
  Deflebat lacrimas Virgo Puerque suas.
At male vestitos frigus desaevit in artus,
  Et negat hospitium terra noverca suum.
Sed quid, terra, furis? si crimen cernis amoris,
  Arbitra justitiam lacrima nostra dabit.
Ni tamen hanc audis, nec nostro parcis amori,
  O utinam simili crimine tecta fores!

CCXXXVI.

De lacrimis B. V. Mariae et Pueri Jesu.

Casta sui Pueri cum Virgo cerneret ora,
  Virginis et castae cerneret ora Puer:
Mutua per visos iverunt flumina vultus,
  Adspexitque suas utraque lympha genas.
Desine, Virgo, tuas, Puer inquit, desine guttas,
  Sufficit ex oculis lacrima missa meis.
Imo, Christe, tuas lacrimas cum fundis, in illis
  Non perdam lacrimas Virgo, lavabo meas.

CCXXXVII.

De conversione S. Pauli. Paulus in itinere excoecatur.

Quadrupedante ruit sceleratas Paulus in iras,
  Ut vetito Latiam subruat ense fidem.
Impatiens tanti sceleris de vertice nubes
  Torsit in ardentem tela bisulca virum.
Corruit ad terram fuscatus lumina Paulus,
  Et fuit in coeco mitior ore furor.
Cum furor est coecus, solet esse severior; iste
  Nunquam mitis erat sic, nisi coecus erat.

CCXXXVIII.

De S. Dorothea certante cum Theophilo.

Lis erat orta duos inter pulcherrima flores;
  Hic flos scriba fuit, flos Dorothea fuit.
Virgo sub Elysiis ait herbas vivere sulcis,
  Scriba sub Elysiis mortua prata satis.
Indocilis dirimens discordem pusio litem,
  Dat victo juveni coelite corbe rosas.
Victrix Virgo fuit. Cur victo praemia dantur?
  Non mirum. Puer est, qui tulit axe rosas.

CCXXXIX.

De rosis missis S. Theophilo, et de obitu ejus.

Fortis ut mors dilectio. (Cant. VIII. 6.)

Testis Olympiacis Rosa festinabat ab hortis,
  Dum negat Elysias vivere scriba rosas.
Cum venit ad metam Rosa, scribae flagrat amore,
  Scribaque flagrantis languet amore Rosae.
Languet scriba magis, languens decerpitur ense,
  At cadis aspectu, scriba perempte, Rosae.
Ante rosas homines carpebant; nescio, quid sit?
  Carpere nunc homines jam didicere rosae.

CCXL.

Idem argumentum.

Cum scriba virgo, cum virgine scriba jocatur;
  Dignus scriba rosis, dignaque virgo rosis.
E paradisiacis veniens Flos providus hortis,
  Orat ut Elysios scriba subintret agros.
Scriba verecundi succensus Floris honore,
  Nobile felici perdit in ense caput.
Ut caput ornemus, flores disquirimus: o sors!
  Flos hic ut ornaret quaesiit ipse caput.

CCXLI.

Idem argumentum.

Riserat infelix generosam scriba puellam,
  Et male tractatis riserat astra jocis.
Pusio ludenti porrexit lilia scribae,
  Et dedit opositis vivida poma rosis.
Scriba suos cernens Superis placuisse lepores,
  Mox bene porrecto tractat in ense caput.
Sidera! scriba jocos componet acutius: ecce
  Expolit ingenium, dum ferit ense caput.

CCXLII.

Idem argumentum.

Nihil est in intellectu, quod non fuerit prius in sensu.

Diceret Elysios cum virgo virescere flores,
  Noluit ingenium subdere scriba suum.
Ergo rosas ridet; cum ridet, parvulus infans
  Porrigit in gravido lilia verna sinu.
Ingenium tunc scriba suum diffibulat ense,
  Mallet at ingenio jam caruisse suo.
Divide, scriba, caput; cum flores viderit istos
  Rex intellectus, sponte perire volet.

CCXLIII.

De rosis et jocis S. Theophili cum S. Dorothea.

Beati, qui lugent. (Math. V. 5.) *Vae vobis, qui ridetis.* (Luc. VI. 25.

Docta rudes scribae ridebat virgo lepores,
  Risit virgineas scriba lepore rosas.
Risit uterque satis, donec ridentibus infans
  Coelite reginas misit ab axe rosas.
Ergo manu sumpsere rosas, risuque sub astra
  Per mare sanguineum corripuere viam.
Res nova! mendacem quis non miretur Olympum?
  Promittit lacrimis, dat sua dona jocis.

CCXLIV.

De S. Theophilo pro Christo moriente.

Datur pro crimine coelum.

Spreverat aeternos contempta virgine campos,
  Sprevit et illusas scriptor agyrta rosas.
Noluit errantem coelum contemnere scribam,
  Sed dedit hortenses ad stata pacta rosas.

Erubuit subito male spretam scriba puellam,
  Et rudis in culpam saeviit ense suam.
Scriba, subis coelum: quid culpam corrigis ense?
  Castiganda rosis tam bona culpa fuit.

CCXLV.

Idem argumentum.

Rhetor ab Eois descendit flosculus hortis,
  Cum juvenescentes scriba negaret agros.
Scriba perorantis commotus floris honore
  Projicit in gladium seque suumque caput.
Ibant irrigui dissecto corpore rivi,
  Pronaque sanguineas terra sugebat (?) aquas.
Ecquid, terra, stupes? flos hic persuaserat astris:
  Rubra peroranti potio danda fuit.

CCXLVI.

De spinis in capite Christi.

Barbara regalem diverberat infula frontem,
  Captivatque sacrum spinea silva caput.
Naufraga sanguineis flent Jesu tempora rivis,
  Et stupet iratos frons rubicunda vepres.
Trux haec in laceri capitis furit abdita spina,
  Quae prius in nullum saevit acerba caput.
O scelus! in Christo debebat mitior esse;
  Mitior in silvis barbara spina fuit.

CCXLVII.

De honore spinae Christi.

Praedo coronatos lacerabat spina capillos
  Sanguineasque sacro vertice suxit aquas.

Ebria divinis sed cum rubuisset ab undis,
  Noluit in silvas spina redire suas.
Ivit in auratas regum pretiosa coronas,
  Sanctaque per totam sic modo crescit humum.
Credite, sed cunctis quamvis generatur in oris,
  Nunquam sancta foret, ni latro spina foret.

CCXLVIII.

In imaginem Christi sanguine deturpatam.

Quis tam deformi formavit in icone Jesum,
  Aut quis tam Zeuxis nescius artis erat?
Spissa fluentato tabo coma deflua squallet,
  Foedaque diffusis palpebra lucet aquis.
Et roseus rosei color oris ab ore recessit,
  Qui posset faciem, Phoebe, decere tuam.
Dic saltem, cur es tam turpis in icone, Jesu?
  Qui me sic pinxit, turpior ille fuit.

CCXLIX.

De aqua et sanguine ex latere Christi profluente.

Ecce terebrati lateris diffibulat antrum,
  Christus ut in sterilem germina fundat humum.
Martyr ab impresso profluxit vulnere sanguis,
  Virgoque coelitibus lympha cucurrit aquis.
Prodigium tellus stupuit perterrita, quando
  Discolor ex uno vulnere rivus iit.
Sed non rivus iit Christi de vulnere. Terris
  Tunc data virginitas martyriumque fuit.

CCL.

De lacrimis S. Mariae Magdalenae Christum quaerentis.

Largus ab humectis quod decidit orbibus imber,
Magdala, perque tuas volvitur unda genas:
Scilicet occisi rediviva sepulchra Magistri
Quaesieras oculis nocte dieque tuis.
Ergo fatigaras oculos spargendo per urbem,
Dum quaesita nequis ora videre Dei.
Si sic, has lacrimas cernens ego dicere possum:
Non iit ex oculis lacrima; sudor iit.

CCLI.

Christus Dominus apparet S. Mariae Magdalenae lacrimanti.

Dum vigil amissum meditatur Magdala Sponsum,
Et non amissas perdita quaerit opes:
Moesta procellosos stillarunt lumina nimbos,
Et fuit in toto tetricus ore dies.
Mox ubi deciduos nimbos conspexit Iesus,
Ante procellosae Magdalis ora stetit.
Magdala, nos fugimus nimbos, cum depluit aether.
Cum pluis, ad nimbos it Deus ecce tuos.

CCLII.

S. Maria Magdalena flens Christum Dominum requirit.

Quam mihi funestam lanias sine vulnere mentem,
Dum fugis aspectum, Sponse cupite, meum.
Te sine si currant lacrimae, sine pondere currunt;
Te sine vult lacrimas nemo probare meas.
Dixit, et ex oculis ibant duo flumina moestis,
Multaque sub gravidam gutta cadebat humum.
Magdala! quid lacrimas ullo sine pondere dicis?
Si cadit in terram lacrima, pondus habet.

CCLIII.

Idem argumentum.

Flebilis absentem reperit dum Magdala Sponsum,
  Inque suum Jesu pectore pectus habet:
Bina per afflictos iverunt flumina vultus,
  Ibat et in miseram ros pretiosus humum.
Ros hic Olympiacos consueverat ire per hortos:
  Nescio, non suetam cur modo poscat humum.
Cum Deus in coelis, ad coelos lacrima currit;
  Quando Christus humi, lacrima scandit humum.

CCLIV.

Idem argumentum.

Victor Idumaeas pedibus cum Christus arenas
  Calcaretque tuos, subdita terra, sinus:
Moesta triumphantem quaerebat Magdala Sponsum,
  Quaesiti nequiit Numinis ore frui.
Flevit et in largum laxans duo flumina fletum,
  Spargebat miserum divite fonte solum.
Quando Dei nequiit mea lacrima tangere plantas,
  Tangatur plantis lacrima nostra Dei.

CCLV.

S. Maria Magdalena, orto sole.

Partus ab Eoa rediit vix Phoebus arena,
  Et toto tenues sparsit in orbe faces:
Ibat ad occisi monumentum Magdala Sponsi:
  Sed venisse sciit, non reperisse sciit.
Obstupuit tantum Sponsi vigilantis amorem,
  Mane quod ad gnavam surgere vellet opem.
Surrexisse Deum ne dicas, Magdala, mane;
  Mane licet fuerit, vesper amoris erat.

CCLVI.

De S. Thoma Apostolo, Christi Domini latus tangente.

Dum foret obtutu Thomas defixus in uno,
Et rediviva sui busta negaret Heri:
Ecce subit quinos Christus descriptus in ictus,
Ac ait: Huc digitos injice, Thoma, tuos.
Obstupuit Thomas confessus in ore ruborem,
Et tetigit digitis vulnus herile suis.
Multa quidem nuper didicisti, Thoma, per aures:
In digitis istis omnia scire potes.

CCLVII.

S. Casimirus infirmatur, et a medicis non curatur.

Virgineis praedam Crucifixum vidit in agris,
Virgineos subiit mox Casimirus agros.
Optatamque suis vix praedam concipit ulnis,
Captivus praedae mox fit et ipse suae.
Dejicit haeredem neglecta fronte coronam:
Sic Casimirus amat, quod sua praeda jubet.
Hinc gerit oblongos regali vertice crines,
Captivus Jesu nam Casimirus erat.

CCLVIII.

B. Aloysius ad flagellandum corpus suum denudat.

Gonzaga virgineos ut pulchrius abderet artus,
Deposuit tenuem corpore saepe togam.
Accingensque suas devoto verbere palmas,
Coeperat appositis membra ferire flagris.
Erubuit subito concussum verbere corpus,
Multus et e nudo corpore sanguis iit.
Sed licet erubuit nudatum tegmine corpus,
Castius absque suo tegmine corpus erat.

CCLIX.

Idem alio modo.

Gonzaga virgineos ut pulchrius abderet artus,
  Exuerat tenui brachia saepe toga:
Accingensque suas devoto verbere palmas,
  Versabat rigidis corpus inerme flagris.
Vidisses rubeos per corpora serpere rivos,
  Nudaque sub rigidis membra rubere flagris.
O! licet absque suo rubuit velamine corpus,
  Sic pudor absque toga pulchrior esse solet.

CCLX.

B. Aloysius contemptis honoribus corpus flagellat.

Deseruit patriam generosa fronte coronam
  Victor et haeredes Gonzaga sprevit opes.
Jam divinus amor laceras assumere vestes
  Suadebat, patrius sed prohibebat amor.
Ergo cruentatis lacerans sua membra flagellis,
  Intra se latitans haec Ludovicus ait:
In lacero nequii si tegmine corpus habere,
  In pulchra lacerum corpus habebo toga.

CCLXI.

B. Aloysius inter lilia Crucifixum intuetur.

O Gonzaganis dignissima lilia palmis,
  Lilia, virgineas quae redoletis opes!
Vos Gonzaga gerit, vestrum miratur odorem;
  Plus hic inter vos flos Crucifixus olet.
Ludovicus in hoc demersus pectora flore
  Nec recreare potest, nec satiare potest.
Quomodo namque potest satiari hoc Gonzaga flore,
  Floris ab aspectu cum sapit ipsa fames?

CCLXII.

De Angelo supra caput B. Aloysii sertum tenente.

Dum, Gozaga, tui meditaris vulnera Sponsi,
  In vultuque Dei lumina fixa tenes:
Textile pendenti demittens pollice sertum,
  Aliger ad frontem stat, Ludovice, tuam.
Ergone jam spreti mercedem reddit honoris?
  Si sic virtutis praemia parva petis?
Scilicet apta tibi paret ut diademata, formam
  Scire cupit capitis Penniger iste tui.

CCLXIII.

B. Aloysius Crucifixum intuetur.

Fulgurat indutus nullo Ludovicus in auro,
  Nullaque purpureae tegmina vestis habet.
Unum pendentem rimatur in icone Jesum,
  Unus et in tacito pectore Sponsus adest.
Forsitan hic Tyrias Ludovicum spernere vestes
  Et coacervatas linquere jussit opes?
Quid mirum? si nunc Crucifixi pascitur ore,
  In vultu proprium nempe scit esse suum.

CCLXIV.

B. Aloysius ad sanguinem se flagellat.

Nescio, quid tacito Ludovicus corde revolvit,
  Dum ferit intensis brachia casta flagris.
Nulla Cupidinei sunt hic divortia belli;
  Hic potius latitant virginitatis opes.
Ergo quid innocuos flagris desaevit in artus,
  Et dare sanguineas brachia cogit aquas?
Jam video, quid agat, dum se Gonzaga cruentat:
  Altius abscondit virginitatis opes.

CCLXV.

B. Aloysius, ut quamprimum religionem adeat, flagris se cruentat.

Victor ut instantes fugeret Ludovicus honores,
  Lojolae voluit castra subire ducis.
Nunc superadjectis modo se calcaribus urget,
  Nunc ferit appositis vivida membra flagris.
Sicque molestantes juvenis transgressus honores,
  Ad, Lojola, tuos transiit ille Lares.
Jam scio, cur flagris proprios desaevit in artus,
  Ut festinaret, se monet ille flagris.

ODE[1])

De S. Martino.

Eliminato bruma Favonio
Injuriosi turbine murmuris,
Dum proeliatur purpuratos
Emorientis agri colores:

Ferocientem quadrupedem premens,
Ferruminato cinctus acinace,
Martinus ibat fulminantes
Pro patria domiturus hostes.

Evisceratum frigore pauperem
Suspiriosis plangere vocibus,
Audivit, et clamore motus
Ingemuit super ingementem.

Sed fastuosos non habet alveos,
Conchiliati nec vada fluminis,
Martinus aegram queis egeni
Pauperiem relevare posset.

Iret? novellae sed generiosior
Virtutis ardor nobile militis
Cor inquietat, nec gementem
Suadet amor reprobare Codrum.

Exuberantis munificentiae
Et liberalis munera dexterae
Praestaret aegro lacrimanti,
Sed sua pauperies recusat.

---

[1]) Sequentes tres odas, etiamsi parum concinnas, adjicimus huc, quoniam reperiuntur in codice Bieloviano immixtæ illis epigrammatis, quae modo pag. 509—534 legenda dedimus. Non est incredibile, odas has esse prima rudimenta nostri poetae, praesertim cum nonnullae dictiones Sarbievium redoleant.

Diffibulatum sed tamen accipit
Evaginata cuspide pallium,
Discindit et necessitatem
Accumulat locuplete dextra.

ODE.

De S. Francisco Xaverio navigante.

Affectuosis ebrius ignibus
Caliginosas ibat ad Indias
Franciscus, ut disseminaret
Dogma sacrum fidei Latinae.

Expergefactus turbidus Aeolus
Tempestuosum concitat Africum,
Et saevientem turbulentis
Indomitum Boream procellis.

Diffibulatis, nec mora postibus,
Velociores fulminis impetu
E destinata sede montis
Approperant Boreas Notusque.

Remurmuranti turbine perstrepunt,
Navim Xaveri fluctibus impetunt,
Disseminatis fastuosis
Per rapidum pelagus procellis.

Quassata saevis mox Aquilonibus
Regurgitantes unda voragines
Eructat, et Xaverianam
Tollit in astra ratem tumore.

Inusitatis navita flatibus
Ferocientes extimuit Notos,
Defensionem mancipantem
E Xaveri manibus requirit.

Sed nil furenti Xavier aequore
Perterrefactus continuat viam,
Et intumescentes procellis
Exposita cruce damnat undas.

ODE.

Casimirus in oppugnanda Polocia milites trans Dunam ducit.

Ferocientes inde Borysthenes
Remurmuranti turbine glandium
Deproeliantur et retardant
Innumeras Lechiae phalangas:

Hinc fastuosis Duna tumoribus
Inflata, gressum gurgite fluctuum
Profundiori denegabat,
Ut nequeant penetrare Dunam.

Stant bellicosi Lechiaci duces
Ferruminato tegmine splendidi,
Et fulminantis luce scuti
Conspicui feriebant (?) astra.

Formidolosis Moschicus impetus
Magis ruinis aggreditur Lechos,
Disseminans crudeliores
Missilium strepitus globorum.

Pares Poloni sint licet Herculi
Et fortiores viribus Hectoris,
Devotionem porrigentes
Auxilium Superum requirunt.

Inaugurato, nec mora, sidere
Dux candicantem quadrupedem premens
Et purpurata veste, lotus
In facie Casimirus auro,

Tendit serenum tunc super aëra,
Desideratam principibus viam
   Demonstrat et trans gurgitantis
      Ducit aquas fluvii Polonos.

Mox fastuosos Duna voragines
Angustiorem complicat in sinum
   Et detumescens fluctuantes
      Imminuit fluvii recessus.

CORRIGENDA.

Cum tot diversae editiones Sarbievii poëmatum existant, mirum non est, plures errores typhographicos pedetentim irrepsisse, jamque civitate fere esse donatos, qui non raro textum parum faciant perspicuum. Nos, proh dolor, nimium sero eos advertimus, tunc nimirum, cum typothetarum labore jam fere ad finem vergente, varias antiquiores editiones nacti, rem accuratius tractare coepimus. Vidimus etiam autographum Sarbievii de Cruce S. Andreae Apostoli (nostr. edit. pag. 399—422) Leopoli in Bibl. Ossolinsciana num. 1159. asservatum, eosque ad legendum difficiliores locos, qui priorem editorem fefellerant, probe assecuti sumus. Errata ista corrigenda huc recensemus, ne ulterius propagentur. Numerus prior denotat paginam, posterior versum cuiusque paginae, quem ita, lector, computes, ut titulis posthabitis, textum dumtaxat respicias.

11.6. efferis — 14.13. Nunc lenes — 16.9. gradum, *(comma addendum est)* — 23.15. Nos stultum — 25.16. Gonoëssa — 26.4. Erasinus — 26.12. Paphiae — 26.28. Troezen — 27. Ad Tarquinium Lavinum — 27.10. et 14. *pro signo interrog. ponantur puncta.* — 29.2. Fixit — 38.4. galeaeque — 64.20. excipies — 74.20. domos — 75.12. Solis — 80.24. unica — 81.5. Veloci — 88.2. Desinit — 102.7. Repulsae — 109.11. Lunam — 123.7. Classemque — 123.12. palmas? *(signum interrog.)* — 140.23. inconsulta — 153.9. Dicent Columnas — 165.6. Nutare Sina — 177.19. Osirim — 202.25. Decembre — 206.9. Non me scari — 208. *(ultimus versus)* Sidera frænis — 213.16. colla — 236.12. Pultopolin — 237.9. Frater tenaces — 246.21. Nos leniori — 249.23. Atlas — 249.27. diffissisque — 256.13. Late virentis — 257.5. Odorati pupuli — 265.12. Protea — 270.3. pingit — 275.9. galeaeque — 275.11. adorat —

277.27. immutuit unda — 278.15. Saltinios — 278.28. vestiat — 279.10. Temeses – 279.30. adunca — 279.31. opimi — 282.2. scandebant — 282.6. flamina jussas — 282.27. juvere manu — 282.31. in aequora currus — 283.29. fulgura conti — 284.29. Incursu — 285.6. Lancea, purpureo — 285.18. dejectaeque — 285.27. Non rerum senium — 290.33. Tithonida lecto, — 361.21. Academicae — 372.25. Subsiste, Clio, — 384. *notae versum 2. corrige:* editae sunt Romae anno 1629. et oblatae..... — 399.2. Paraetonio — 399.5. patriaeque — 400.11. magnae... flammae — 400.25. ascendit in arces. — 401.7. ultra — 402.16. venenatae — 404.13. Pampinus dulci cui cedit uva, — 407.18. *post* „nitorem" *dele interpunctionem* — 410.26. Importuosae — 411.11. Non usque — 411.22. reserat favores. — 412.5. Cynthiacas — 412.13. quisquilias levis — 414.26. Hyblaeque suaves exsuperat — 414.27. mellitos — 415.9. Formidolosae — 419.4. numerare cunas. — 419.19. Fessosque — 420.14. spicula dura — 419.26. piger effuso — 421.21. Ullus per medium meare rivus, — 422.3. Illum prae Syrio — 458.5. loquacis — 460.17-18. Et limpidorum margines fluentorum, Et hinc et illinc verberante se fluctu, Et hinc et illinc invicem cachinnantur — 463.12. Ut satiet populos — 466.12. fingere possit Amor? — 469.25. tenebroso — 474.19. Haec, mi Sponse — 487.16. stemmata clara viri — 487.20. en gladii — 508. In Antullum Plautum Philippidam.

LOCI VARIANTES.

Unicuique diversas Sarbievii editiones pervolventi, sua sponte constabit, textum earundem quibusdam in locis varium esse. Causa discriminis hujus non est alia, nisi quod Auctor ipse, cum viveret, hos ingenii sui foetus jam in lucem editos identidem emendabat, atque tali modo immutatos vel prelo rursum committebat, vel etiam apud se servabat. Hinc etiam factum est, ut quae ex poëmatis posthumis vulgata sunt ab editore Coloniensi a. 1721. et a Parisiensi 1759., eadem sed nonnihil mutata Naruszewicz ex alio MS. codice a se reperto juris publici fecerit. Nos has differentias, quantum potuimus, in unum locum collectas, conspectui lectorum subjiciendas censuimus. Priori numero denotari volumus paginam nostrae editionis, posteriore versum paginae ejusdem, qui sic computandus est, ut omissis inscriptionibus quibuscumque, carminum tantummodo ratio habeatur. Littera C. significat editionem Lyricorum primam Coloniensem 1625; littera V. editionem Vilnensem 1628; littera N. editionem Vilnensem 1757. a Naruszevicio factam. Porro a pagina 235—294 cum loci variantes tantummodo ex Naruszevicii editione sint deprompti, litteram N. omisimus, ne illam inutiliter agglomerare videamur. Insuper advertimus, poëma „Aureum saeculum" impressum esse a nobis pag. 345—359 secundum codicem manuscriptum, qui Romae in bibliotheca principum Barberini sub numero XXX. 178. custoditur; locos autem in eodem poëmate variantes, quos recensebimus, desumptos esse ex MS. XXX. 28. ejusdem bibliothecae.

3. *Quaedam editiones Oden 1. l. I. sic inscriptam habent:* Describit bona, quae summum Urbani VIII. pontificatum universo orbi commendatura sunt. — 3.1 saevi siluere belli C — 3.13. veraci cecinisse versu C — 5.11. reclines C — 5.12. applicet

ares C — 5.20. lambent graciles C — 5.22. Cras lotum C — 9.1. radiatus auro C — 9.11. jocosae V — 10.7. vinove C,V — 11.8. resonatque C — 11.9. Thraca frementibus C — 11.15. inaequalesque Locri C,V — 12.28. Non timido patietur C — 14.7-10. Aeternum nihil est, cadet Quod surgit, sed etc... *(omissis mediis versiculis)* C,V — 16.5. Tranare Lirim (Edit. Bohomol. 1769.) — 16.9. Et si procacem C — 17.8-10. orbi *(abest punctum)* Totumque... Impendit etc. C,V — 17.22. destinet C,V — 20.17. Te Romulaeis Maurus C,V — 21.2. nec properes V — 22. *abest in titulo:* Lithuanie... Praefectum C,V — 22.4. Gemmas conspicuis demite C — 22.16. Jam belli C — 23.27. Devitare pericula C — 26.1. non vitreus Ladon C — 26.4. Aliacmon undis C — 27.3. Pingat pavimentum C,V — 28.12. Imbribus Auster C,V — 29.6. Spiritu C,V; si juga Gaditanis *(correctum in:* si juga separatis) C — 29.13. Credetis? eheu C,V — 29.16. retulisse pacem C.V — 30.29-32. Abominatis ebria caedibus Rursum Polonis deripe postibus Et tela et invisas secures Aedoniis, Ladislaë, turmis. C — 31.6. modulare cantum C — 31.9. Ite, bellaces C — 33.24. Vulgi bella fremant C — 35. *inter tertium et quartum versiculum odes XIX. haec habentur in prima edit. Colon:* Urunt sidereis pervia januis Purae limina regiae C — 35.20. vultus, et aurei C — 35.22. stelliferi liminis hospitem V, liminis exulem C — 36.2 cernitis hospitem C — 38.17. Iam lata Triton C — 38.25. Mitte bellaces super orbe curas C — 39.2. Cum repentinos C — 42.1. purpura Daphnidi C — 42.5. Num quae C — 42.7. Cui longi patiens vomeris C — 43.9. Quamquam et fulmineo C — 44.2. Dissepta tellus aequore C — 45.4. quatefecit ictu C — 45.15. Eosque et Aurorae C,V — 57.21. cincta cohortibus (S. Lith. 1621) — 57.22. sidereos polo (ibid.) — 60.3. et amoena laeto C — 61.9. digitis mone C,V — 61.11. Nos cantabimus C,V — 71.26. patriaeque vitae V — 72.15. Et Batavi Carolos C,V — 72.26. Furto rubentis C — 73.6. nec tumor aequoris C — 75.3. Sigismunde, ferent notas C,V — 75.18. et rude simplici C — 75.21. Plausae littora C — 77.12. Caucaseis C,V, lupa pavit antris C — 77.13. sidere barbarus C,V — 77.14. Getes marita C,V — 77.21. pectora marmore C — 77.22. pectora rupibus C — 78.5. Fremensque C,V — 81.9. Virago coeli C,V — 86.12. Exilis tenui spirat C — 94.11. cubat C,V — 96.4. velit ora C,V — 100.2. Sedere tonsis C,V — 101.24. pluit imber auri C — 103.7. Ipse senator C — 103.18. Deferet fessum V — 104.7. Plave C,V — 105.16. Alta super C — 106.1. Quod tumidi prius C,V — 106.6. Inviset C,V — 108.15. Lucus Tanagreique C,V — 110.17. pia visce-

ra C,V — 110.18. carpere morsibus C,V — 110.29. pectore Bistonum C — 111. Ad Franciscum Cardinalem Barberinum. *(sic inscribitur ode XXI.)* C,V — 111. *versus 10 et 11. deest in edit.* C,V — 111.28. Hic thymbra pascit C,V — 112.14. roscidum C,V — 113.10. Degat, aut caesas C,V — 113. *in edit. Colon. 1625. strophe septima praecedit sextam* — 117.3. vulgares, supernae V — 118.23. ceu languent recenti V — 118.24. Exanimes sine flore nardi: V — 119.17. Illam benignis V — 131.23. pavimentum, protervae C, pavimentum, molestae V — 198. *(in titulo)* Barcenorum ducem...... Barceni agri C,V — 209.21. Ante quam Phoebi refugaeque Phoebes C — 209.26. stabiliret unda C — 212.11. Nesciam gaudes C,V — 217.21. metimur (editio Paris. 1759.) — 236.17. Sirius aut piger N — 242.10. Texit latentem N — 243.5. Non semper igneo N — 244.18. sic amor acrius N — 244.21. Haec sunto terris N — 244.29. At vis, et atrae diffugerent febres N — 248.22. scuta Quiritium N — 249.5. Parceque ludens N — 249.6. mentibus influis N — 249.7. Coramque partiris N — 249.10. ilicet ut Deus N — 249.11. Res temperavit rebus, una N — 249.20. Almon N — 249.21. Quis mentis illud N — 50.6. In se rejectas — 250. *Ad calcem odes XIX. addiderunt PP. Kruszewski et Naruszewicz sequentem stropham, e manuscriptis depromptam:*

Sed rursus astris porrigat altior
Se nuda rupes. Sarbivio prope
  Sculpere, Petra Sancta, caelo
    Laudibus invidiaque major.

251.4. Rex Macedo N — 251.15. cum claro nepote N — 255. *Initium Silviludii primi sic habetur in editione 1757. Naruszevicii:*

AD SILVAS.

Luci virentes, et horrore sacro
Umbrae silentes, animum regalium
Longo curarum aestu fluctuantem
Vestro benigne portu tranquillate
Vos blandientes aurae
Spiritus, venite.

SILVAE RESPONDENT.

Quidquid hic vides, &c....

255.10. Formosae Nymphae quæ — 255.13. Alituum canora — 255.19. Advolare frondibus. — 256. *Silviludii secundi strophe secunda est in editione Narusz. tertio loco, et ter-*

tia secundo — 256.7. „matutini" *deest in editione Narusz.* — 257.5. odorati pupilli N, pupuli (Ed. Paris. 1759) — 257.12. Sidera rores (*deest*) N — 258.3. populea — 258.4. Blando — 258.11. vitiata spinis — 259.7. O vita nullis lacerata spinis — 259.9. Medium torrens, — 259.14. Nec venatus regii — 259.18. Fert Molossos spiritus — 260.7. Administrae — 260.8. supremae — 260.10. luci filia — 260.13. Nobiles aurae — 260.17. lumina noctis — 260.23. dextera, — 261.17. Vallesque nemorosae *(deest)* — 162. *Inter versum 4 et 5-um haec habet edit. Nar.:* Pulcherrimi pulcherrimum. — 262.8. Auctoris ora vestri — 262.11. Tu Tibi par, tu cordis — 263.10. Ah! tui me amores — 263.11. inde excitant — 263.14. antra sudant — 263.25. Tot laudibus facundas — 363.26. Linguasque tot canoras — 263.29. lymphae murmurant — 264.1. Dum rura Lunae — 264.4. Choreas in modum Lunae — 264.9. ursas — 264.15. recurvis edita cornibus — 264.16. Primo rides lumine — 264.21. Temet ipsam — 265.7. micanti — 265.11. simulans — 265.13. innatat auris — 265.18. venatui — 266.8. redde lacertis — 266.11. Astra noctis — 266.15. pubis regiae — 267.1. Dum moritura — 267.9. Longo vobis en projectu — 267.14. Mereci — 267. Ad lacum Merecensem — 267.21. Tuo captus munere — 268.8. Comit tergitque — 268.9. Dum rubenti — 268.11. Laetam tuis purpuram — 268.14. *deest:* ora — 268.19. En pensilis (ed. Paris. 1759) — 269.2. *deest:* canimus — 271.18. In nitidum ceu Phoenix — 271.19. Vertenda diem — 271.23. Eja, mihi madidantes — 272.1. Leypunensia — 272.5. Ad oris instar regii —

272.8-11. In regis ministerium
Conspirent: unda nitens,
Tranquillus aër,
Vere compta tellus.

272.15. me sibilante, frondes — 272.28. Cruentus olim Martiis — 273. *In edit. Narusz. initio praefigitur sequens argumentum poematis:* Gratia, cum primum ver appetiit, Samogitiae viretis allecta Crosos advolat, Apollinem ibi ingrati animi nomine arguit, utqui Principis sui laudes silentio adhuc praetermisisset. Is dein sollicitus Gryphem convenit (qui, avium ferarumque princeps, id temporis fortasse utriusque gentis comitia celebrabat) oratque, ut siquidem patrium Chodkieviciae domus decus esset, ad Pyramides exstruendas rebusque huius Principis gestis ornandas pretiosissimam quamque materiam ab avibus convehi, tributi loco imperaret. Obsequuntur illae mandato Gryphis, optatis Phoebi. Eriguntur ab Historia, Gloria, Honoribus, Victoriis ad ripam Crosentae Pyramides, quarum una,

primam Illustrissimi Chodkievicii aetatem, iuventutem altera, viriles postrema labores et felicissimos cum hostibus conflictus complectitur. Eas demum Apollo et Gloria immortalitati atque aeternae memoriae consecrant. *(Obseq. Grat. 1619. argumentum hoc paulo aliis verbis enuntiat).* — 273.1. Ut ver purpureo — 274.1. vacuique — 274.14. agmine — 274.30. Debuerant (edit. 1619.) — 276.28. Assyria pendit (edit. 1619.) pendet N — 277.4. Saltinius (edit. 1619.) — 277.27. immutuit aura procellis. (edit. 1619.) — 277.30. inque suis — 278.8. durissima magnum (Edit. 1619.) — 281.2. explicat herbas, (Edit. 1619.) —

284.5-8. Nascitur, audacis moles elementa juventae
Explicat, et primis insignia bella trophaeis,
Nam postquam tenerae flaventia signa juventae
Irrepsere genis, et festinata serenis
Vultibus umbra &c.... (Narusz. &. Edit. 1619.)

284.17. Ingens, sanguineus. Radiante refulgurat auro — 284.21. Intrantemque deum primo (Edit. 1619.) — 286.12. accelerabis — 286.19. Pieriis redeas — 286.24. Atque Nicoleo ter *(Nota: Nicoleus ille est Nicolaus Kmicic, ad quem epistola missa erat)* — 286.25. Huic nostrae mala — 286.26. referas — 286.29. amplexum — 286.30. Moestaque confusis dicere verba sonis. — 287.1. Marchia funditur — 287.2. volvit aquas — 287.6. Imperjurata relligione — 287.11. Aurora reduxerat ortus — 287. *In Edit. Naruszev. desunt versus 16. et 17.* — 287.18. En subito — 287.25. Sanctaque mortiferos — 287.31. supercilio vivive — 288.9. cacumina, rupes, — 288.16. Pone videbantur Tartara, pone poli. — 288.31. non moto crine — 288.32. timore micant — 289.1. vulnera contos, — 289.6. Affixumque solo barbara secta ferit. — 289.8. Missa velut (Edit. Paris. 1759.) — 289.12. Evito, tutam non moror — 289.15-18. *versus ita sibi succedunt:* Interea.... Depraedatrices.... Argentum.... Unum, quod.... — 289.21. marmora, testor, — 289.26. Fracta repercussis dum redit aura sonis. — 289. *versus 27 et 28. desunt in Edit. Naruszevicii* — 289.31. Et queror et doleo, rursus — 290.2. protectos rustica turba lares. — 290.6. At mihi — 290.7. Succumbunt genua et quatit acer anhelitus artus — 290.8. languida lingua tonos — 290.14. illacrimando vias — 290.15. ex oculis pius — 290.16. Atque graves lacrimis — 290.19. Accedo moestus, — 290.20. amne libo. — 290.21. Injussae quamquam miscebant — 291.3. Conspicio, faustumque precor — 291.9. moram — 291.20. luxuriatur aquis — 291.22. Et Monachum celsas — 291.25. Hic inter canas... rupes — 291.27. Volsanique procul vireta — 291.29.

Septa latrociniis coecis via rursus ab arvis — 292.2. Andinique patent aurea — 292.10. distinuere Senae. — 292.12. deposuisse — 292.14. Sertaque dispositis — 292.15. Vitiparos illine — 292.23. Pulchra quatergemini salve — 292.29. speculatur — 292.32. ad sua jussa — 293.3. et aethera quantum — 293.4. et cunctam vertice — 293.9. obiisse suo — 293. *Editio Paris. 1759. caret 9 et 10 versu* — 293.11. segnis — 293.12. Inconsummatam tecta stupere moram — 293.17. pronus — 293.22. Gregorii sacrae — 293.23. Inter Apollineos aliam Permessida ludos — 293.26. laboris erat. — 293.34. Non data Moeonia (Edit. Paris. 1759) — 294.1. fato — 294.17. Et vos, o vili rivi N, Et vos caerulea Phoebi (Edit. Paris. 1759, Argent. 1803.) — 294.20. Et faciles praeter — 294.21. Scilicet et ripas (Edit. Paris. 1759) — 346.1. Aurea Dardaniis — 346.5. Phoebe, mone, si sollicito tua lumina gressu — 346.6. fontibus arva — 346.7. Latii nova gloria saecli — 346.9. Candidaque irriguo decurrunt — 346.11. Terrasque tractusque poli — 346.12. ditione tenentem — 346.14. Ausonio insignem lituo sceptrisque verendum —

346.22-23. Motarum causas irarum et semina dudum
Ipse vetas Martemque et operta tumescere bella
Dexter ades vatumque humiles &c.

346.25. Plurimaque Aoniis e montibus annuit ultro — 346.26. Laurus et intonsae tendunt tibi brachia myrti — 347.33. Ecce autem Lybicis remeans Augustus ab oris — 347.34. Caeruleos urgebat equos — 348.3. laboris — 348.5. Latiis flectebat ab oris — 348.11. Irradiet, Latioque pater — 348.17. non Sicania tibi florida messe — 348.18. Turget humus nudoque fluit vindemia passu — 348.21. Immansuetorum curru — 348.23. Sed magni pia — 348.25. Et pater Urbanus — 348.26. haerentem roseis — 348.27. Et niveos parvo — 348.29. fluunt — 348.30. Auriferis quondam currentia saecula venis — 348.31. Cum communis humus — 348.33. Undarent querceta favis et vina tumerent — 349.1. Fontibus et dulces — 349.2. quam divite culmo — 349.3. Plaustra gemunt? Hilaris tanti — 349.10. Occubat et longe domitis jacet haeresis annus — 349.11. et magni proelia Rheni — 349.12. Aurea Rhaetaeis — 349.13. Ille etiam falsas mentitus — 349.14. Bojis — 349.15. ostentat vulnera tergo — 349.16. Luget Avarities, nudamque ingloria frontem — 349.26. late praeferre sub oras — 349.28. Solis et auriferas — 349.30. Quare age, caeruleos mecum — 349.31. Lucentemque invade viam. Sedet aurea matris — 349.34. Audaci penetrare gradu — 350.3. herbosa per arva Clitumni — 350.19. Avia jam refugo decrescit —

350.25. et refluam curvo — 351.2. Ipse parens Titan — 351.3. caput, sacrumque pudicis — 351.5. Quattuor hic celso — 351.6. Cernuntur; croceis —

351.26. Annorum series, spatiosa per atria ludum
Mille dies, ineuntque pari certamina passu.
Stant flammae ingentes stellarum, et purior aether &c.

351.29. Accipit et pulchro gavisos lumine cingit. — 352.1. Nereique undantia regna — 352.5. Heroum sedes, et laeto involvitur igni — 352.17. virgine nardo — 352.18. illic niveis argentea — 352.19. et placido tenuis seges annuit Euro. — 352.28. ludunt thyrsis — 352.30. sparsosque rosis — 352.31. ne cedere cuîquam — 353.13. nutu socii comitesque sequuntur — 353.19. praesidet oris, — 353.20. Inclitus et Latii et vasti — 353.25. aut pridem fatali — 353.31. crinale decus, triplicisque tiarae — 353.32. circum pretiosis erige gemmis — 353.33. Auriferis diadema — 354.9. Regibus, et gemmis radiantia serta laborant. — 354.12. tergemina... corona — 354.13. dives avito —

354.15-16. Caesariem, et sacro meritum caput ambiat auro.
Castigate moras, Latias ut pulcher ad aras
Sideribus &c. — 354.17. totusque meo consurgat in ostro — 354.18. at lentos humeris — 354.19. exsertasque manus atque — 354.20. Pectora, festinus Brontes acerque Pyracmon — 354.26. bibere, — 354.27. Et niveam late — 354.29. Ter consurgit apex — 354.31. Lumine: ceu radiat — 355.1. cingere gemmis — 355.2. comere ritu, — 355.5. Aurea felices Latii properamus in urbes. — 355.11. Ausoniae — 355.23. Purpuream induti vestem,quam divite gemma — 355.24. Tmarioque illuserat auro —

355.25. Omnes egregii vultu viridisque juventae
Flore coloratis omnes in sidera pennis —

355.29. Omnibus auricomi — 355.33. suspendente volatu — 356.2. lateque minantes — 356.12. circumflua littora — 356.16. campis tumuli — 356.19. circumplausere choreis. — 356.22. radicibus Oscum, — 356.28. densantur passim — 356.30. Ingentes migrant scopuli, egressique profundo — 357.2. arva procul — 357.5. procul Alpes — 357.9. per arva phalanges — 357.10. mirabile dictu — 357.25. capiti partitur honorem, — 357.28. medio pulcher — 357.30. Quid memorem sacro quibus ambitiosa smaragdis — 357.31. humero? saturata Latino — 357.32. purpuream variant — 357.34. affixi filis — 358.1. niveusque senatus, — 358.13. Et passim virides silvis pallescere rami, — 358.14. iisdem consurgere messibus arva — 358.17. Nec minus interea ingentes effusa remittit — 358.18.

Libertas fluvios — 358.20. summis ex Alpibus — 358.24. Et Nar et vitreis Clitumnus decolor undis. —
358.26-27. Adduaque et pictis formosa Druentia ripis,
Flavarumque vehit pretium Thrasimenus aquarum,
Et Trebia &c. —
358.29. *deest* — 358.34. Se late exsolvit populis — 359.2. laetasque domos — 359.5. Tibridis arva. — 359.7-8. Aegeriae gelidumque Anionem et roscida rivis Hernica saxa petunt et frigida rura Velini. Hi Fescenninas &c. — 359.9. Parthenopemque procul, Lacedaemoniumque Tarentum — 359.10. *(deest)* — 359.11. alii Flaminia regna remensi — 359.13. *(deest)* — 359.12. Soractisque cacumen, oliviferosque Sabinos Transcendunt veterisque procul saxeta Celenni Exsuperant — 359.18. Ite, per herbosos aeternum ludite campos. — 359.20. Ruraque felicesque domos Arcete — 359.21. Finibus invidiam, fraudes morbosque famemque — 359.22. *deest* — 359.24. Juncta per Hesperias . . .

Imprimendo poema „**Hymenodora**" *secuti sumus editionem Vilnensem Naruszew. 1757.; sed cum postea primigeniam hujus poëmatis editionem ex Bibl. Ossol. Leopoliensi commodatam pervolvissemus, advertimus, sat magnum inter utramque intercedere discrimen. Quapropter aliqua hic supplemus ex prima edit. Hymenodorae 1620.*

360. *Ultimus versus tituli sic sonat:* Academia Gloriae occentricem tubam invitat. — 363.12. Dat, tua feralis ne gravet arva Scythes. — 363. *(Post versum 18., seu post verba:* Grata colas, ut se sentiat ipse coli, *sequentia interserenda sunt:*

Concordia Ensem & sagittam in Petra reponit, Constantia Petrae innixa gemina Cruce diadema bajulans, sic inquit:

Connubium concors diadema perenne mereretur.

Concors voluntas.

Nexuit haec socio Concordia spicula vinclo,
Livor edax procul hinc, dissidiumque procul.
Implicitus Petrae mucro, volucrisque sagitta,
Unigenam stabili firmat amore sibi.
Auratum diadema librat Constantia; munus
Ut Chodkievicias Sapiehadesque ferat.
Connubium concors etenim diadema meretur,
Datque perennantes Pax genialis opes.
Laurea si victrix cui circum tempora lusit,
Millenum dabit hic Diva togata decus.

Gloria curru triumphali &c. (ut pag. 363).

364. *(Post versum 6, seu post verba:* duret ut ista suo, *sequentia inserenda sunt:)*

Virtutes variae in aprico campo, lilia, rosas, et omne genus florum legunt, ex quibus viribus junctis sertum componunt, quod Sagittae & Mucroni impositum, Crucibus annexis, Aeternitati in nube reclini, porrigunt, hoc adiecto:

Praesidiis junctis Respublica firma stat omnis.

Alternum auxilium.

Sutilibus viduata rosis, inamaena queruntur
Prata, nec aprico gramine, ridet humus.
Virtutum collecta tamen manus, errat in hortis,
Fervet opus, procul est pacis amica quies.
Textile concordi variavit pollice sertum,
Durus ad hos lusus riserat ipse labor.
O quantum potuit virtus conjuncta Sororum!
Vexit in astrigerum, tela, crucesque polum.
Robore non alio Respublica firma stat omnis,
Quam cum subsidio fit sociata manus.

Adamas telis impetitus, non redit, sed jubar duntaxat evibrans, Cruces, Sagittam et ensem irradiat, quae Fortitudo et Constantia in sole, Victoria teste, reponunt, hoc adjecto:

Unio connubii est inviolata fides.

Constans fides.

Collisus fragor astra ferit, densata coruscant
Tela perennantem vis adamanta petit.
Ille renidenti tantum face, discutit umbras,
Et duraturo corpore, victor ovat.
Irradiat fulgore Cruces, quas vivida Virtus
Excipit, & bifido Solis in axe locat.
Alternet fortuna vices, hera tristis & anceps,
Firma suo nexu, stet semel icta fides.
Est adamas virtus, ferrugine nescia vinci,
Incenditque suas, gurgite prensa, faces.

Gryphs supra hostes profusos stans, Ensi Sagittam adnectit, cui Victoria coelitus Cruces addit. Parte ex alia, Hymen binum speculum, Phoebo obiicit, & Gryphi exhibet, hoc addito:

Integritas vitae connubia semper adornat.

Aemulatio Sanctimoniae.

Arduus exanimes plantis Gryphs etc. (ut pag. 364).

364. *(Ad calcem Hymenodorae, sive post verba* geminata dabit, *adjiciendum est sequens carmen Phaleucium:*

Illustrissimus D. Joannes Sapieha
Illustrissima D. Anna Chodkievicia.
Omen Anagrammaticum.
Vivant pace & omine, hi clarissimi Honoris soles multis Kalendis: a Divis, a suis amandi.

Tellus Littava, ne pave tenebras,
Fortunaeque vices molestiores,
Soles en tibi fulgurant corusci,
A Divis, simul A Suis Amandi
Soles Patria, sunt Honoris isti;
Coelorum dabit arbiter supernus,
Multis vivere prospere Kalendis.
Optato Omine, Pace, claritate.
At tu provida, fida, liberalis,
Hortatrix eris, incitans Honorem
Soles ille suos ut insequatur.
Et quod Nomen eis ministrat omen,
Hoc Fortuna suo sinu recludat.
Vivant ergo diu beatiores,
Hi Clarissimi Honoris Optimates.

Poëma **Sacra Lithothesis** *transtulimus in paginas 364-367 nostri libri ex editione Naruszevicii Viln. 1757. Deinde vero aliquo post tempore certiores facti, editionem 1621 hujus poëmatis primigeniam reperiri Cracoviae in bibliotheca Principis Czartoryski, rogavimus per litteras quemdam amicum, ut illum antiquum libellum cum nostro textu compararet, et si quid interesset discriminis, nobis id referret. Ex ejus itaque relatione de libello illo haec annotamus:*

Prima post titulum pagina dicti libelli habetur imago stemmatis Chodkieviciani aere expressa, infra quam positum est epigramma: Dissona ... *(nostr. edit. pag. 478.) Dein post dedicationem soluta oratione a quodam Crosensis scholae alumno, Stanislao Szemeth, elucubratam, quae 3. et 4-am libelli paginam occupat, adest carmen inscriptum:* In ensiferum Gryphem, *quod incipit a verbis* Hic qui suspinos ... *(nostr. edit. pag. 468). Post hoc habetur hendecasyllabum inscriptum*: „Pietas. Tibi militat aether.“ *incipiens autem:* Haec quae nubivago .... *ac praeterea etiam carmen:* Principiis operum .... *(utrumque vide pag. 365. nostr. edit.) Haec carmina sequitur* Ode I. Loci tutela et templi singulare patrocinium Magnae Virgini Matri defertur. *Textus odes:* Huc o beatis cincta cohortibus Regina mundi, sidereos polo Molire passus etc. ... *(nostr. ed. pag. 57). Post hanc odam prostat imago aere expressa, quam nos Naruszevicium secuti descripsimus verbis:*

„Fons aquas ...“ (in fine pag. 365. nostr. ed.) — Porro est inscriptio: „Liberalitas. Larga manus liquido torrentior amne,“ *et carmen:* Quaə gemmantibus ... *(nostr. ed. pag. 462.) Post haec:* „Sibi, patriae, Deo“ *et epigramma:* Terna pluunt densis quae liquida munera nimbis, Sunt Chodkieviciae munera larga manus ... *(vide initium pag. 366. nostr. edit.) — Subsequitur* Ode II. Illustrissimi Fundatoris impensa in rem praecipue sacram Liberalitas. *Textus odes est talis:*

Quis liberalis pectora Caroli
Sparsasque prona divitias manu
Et templa, quae pecuniarum
Auriferis micuêre nimbis

Laboriosi carminis artifex
Aeternet! o qui celsa biverticis
Delubra Parnassi sacrumque
Imperiis Helicona fraenas,

Expergefactis ad sonitum lyris
Undantis auri flumina concine:
Quae fusa Chodkievicianis
Per populos abiêre rivis.

Sed non ot olim fabula pauperes
Ditavit agros; dum pretiosior
Per arva tempestas vagatur
Et teretum pater unionum

Ganges avaro gemmea septies
Tributa solvens Nereidum patri
Ripasque mirantesque campos
Memnoniis opulentat undis.

Et qui superbis Hermus adulterat
Ripas arenis; quique Coralliis
Lascivit Indus, et decentes
Naiadum variat capillos.

Dimissus imo pectore Caroli
Vivaciori defluus alveo
Bacchatur amnis, per serenos
Irriguus Superum penates.

Illi nec altis ambitio iugis
Nec pertinaci rupe Necessitas
Occurrit, ut late refusas
Parcus opum remoretur undas.

Non ille putris divitias soli
Rubiginosis morsibus objicit
Aeruginandas; non nitentem
Detenebrat tumulis Monetam.

Non curiosis ille ligonibus
Eviscerato Dyndimenes sinu
Aut emedullato Sicanis
Montibus insidiatur auro.

Usuque rerum non opibus potens
Exuberantis Munificentiae
Derivat amnem, qua relicta
Relligio Pietasque ducunt.

Hinc illa magnae regia Virginis
Fastigiosis Pyramidum jugis
Celsa levabit invidendum
Mole caput: nisi fallit augur

Jam rite templo suppositus Lapis,
Et gestientis vox Samogitiae,
Et qui coronavere templum
Hospitibus Superi catervis.

(Hanc oden nonnihil immutatam dedicavit post aliquot annos poëta noster Ferdinando II Imperatori; vide pag. 67. nostr. edit.) — Post odam cernitur imago aere expressa, quam nos cum Naruszevicio descripsimus verbis: „Dux Carolus cum barbaris . . . acies terret." (nostr. edit. pag. 366.) — Deinde legitur titulus carminis: „Justitia. Potest dubias ferro distinguere lites" *et carmen ipsum:* Velox fama malum . . . *(nostr. edit. pag. 462.) — Deinde sequitur:* „Non viribus sed numero" *et carmen:* Carolus enumerat . . . *(nostr. ed. pag. 366.) Post haec:* Ode III. Dei O. M. & Virginis Matris auxilium adversus Turcam Illustr. Fundatori spondetur. *Ode sonat:* O qui labantis . . . *(nostr. edit. pag. 240.) — Post oden reperitur imago aere excusa, quam nos cum Narusz. descripsimus verbis: „Virgo sanctissima . . . effundente" (nostr. edit. sub finem pag. 366.) Post hanc:* „Fortitudo; Premunt aequam Mars et Victoria lancem," *et carmen Phaleucium:* Ecquid ferrea . . . *(ut in fine pag. 366. nostr. ed.) — Sequitur inscriptio:* „Sub gravi ense palma levis," *et carmen:* Auditis? cecinere . . . *(nostr. edit. pag. 367.) — Porro habetur* Ode IV. Felix Angularis Lapidis auspicium et vota pro Illustriss. Fundatore

Deo perpetuo offerenda. *Ode haec sonat:* Divum locatus consilio lapis... *(nostr. edit. pag. 119.)*

Hic ergo est ordo, quo sibi succedunt carmina in illo antiquo libello „Lithothesis sacra" edito Vilnae 1621. in memoriam primi lapidis jacti sub templum Crosense S. J. a Chodkievicio exstruendum. Ultimae quatuor paginae continent inscriptionem, quae lapidi illi sive reapse incisa fuit, sive forsan tantummodo incisa fingitur. Inscriptionem tamen illam omittimus, quam videre est etiam in edit. Naruszevicii pag. 73—76.

429. *duo ultimi versus desunt in ed. Col. 1625.* — 431.13-14. O casti flores! quos ut colat, ipsa labore Terra quidem spirat, sudat at ipse polus. C,V — 434.5. Laetus Amor ramo C —441.14. dominus fletu sparserat, C,V — 442.2. nescia turba mihi. C,V — 442.4. in orbe noto. C.V — 442.14. Rex, ais C — 443.4. Umbra fui: nostra nemo quievit humo. C,V — 443.11. Quid niveum frustra pullo C — 446.19. Sic demum vanam C — 448.3. Et subito quaeris C.V — 450.5. mihi salsa videtur, C,V — 450.10. nescia tela furor C.V — 451.12. Ridet in argutis C.V— 451.16. dominam suspicor esse domi. C — 452. *Epigr. LXII. inscribitur:* In eandem Neronis effigiem. C,V — 452.1. cera Neronem C,V — 452.8. ferreus ipse fuit. C,V — 452.20. velificare Notis. C — 453.11. Pietatis iste liber est: auctoris tamen C,V — 454.13. Crosensi nuper C,V, (etiam Obseq. grat. 1619.) — 456.7. Nunc densis meritis C,V — 456.21. liquidissimus ornos C — 457.6. bibis Romae, C,V — 457.21-22. Pictos, perunctos, deque scrinio totos Scitos Quirites, elegantiae mystas, Vestae nepotes, bellulos Remi vernas, Anteambulones &c. C.V — 460.31. Amethystina C — 465. *Inter ultimum et penultimum distychon Epigr. LXXXIX. hoc insertum est in Obseq. gratit. 1619:*

Ergo laetitiae trepidas dat signa per urbes,

Quod Gryphs ad patrium flexerit ora solum. *sed jam in edit. Coloniensi 1625. ommissum est* — 467.7. scivit in oras. V — 471.7. vulnere V — 472.8. flumine vise polum V — 473.10. Nil voluere meae, nil potuere tuae. V — 476. De morte Caesaris Grimaldi, qui scenicum &c. V — 486.2. Bella dat et ditat (Obseq. gratit. 1619.) — 486.8. Cum quatit hostem acer, (ibid.) — 487.7. Conspice ceu Gryphi (ibid.) — 488.2. posthuma fama (ibid.) — 489. In Minodium Calvinistam ministrum, a quo reprehensus fuerat de producto in carmine et correpto s a t h a n a. V — 500.4. rota nexa rotae. N — 501.8. Alitis a plantis N — 511.20. Per Xaverianas do tibi dona manus. (Codex Bielov.) — 517.1. Franciscus ab hoste furoris, (ibid.) — 519.9. de vulnere cordis (ibid.) — 521.16.

Non vult deliciis iste Puellus ali. (ibid.) — 523.22. Eliceret lacrimas lacrima nostra suas! (ibid.) — 526.8. Rex intellectus, jam volet ipse mori. (ibid.) — 529.18. Dum fugis aspectum, perdite Sponse, meum. (ibid.)

LYRICORUM AD SS. D. N. URBANUM VIII. Pont. Opt. Max. Liber, Matth. Casimiri Sarbieschi e Societ. Jesu.[1])

Ode I.

Ad S. D. N. Urbanum VIII. Pont. Opt. Max. De pacandis civilibus Christianorum bellis.

Haec ode constat sequentibus 37. strophis:

1. str. Mitte bellaces super orbe ... (cfr. 38.25-28.)

2. str. Mugiant cano ... Cum repentinos struit ... (cfr. 39.1-4.)

3. str. Regna Rhaeteis ... feriatis Nuntia terris. (cfr. 39.5-8.)

4-5. str. Occidit ... Liquitur humor. (cfr. 39.9-16.)

6. str. Ire captivo ... Rhenus asserta ... et utroque ripae ... (cfr. 39.17-20.)

7. str. Turma pugnaces ... bellorum, jaculisque tutum Sepiit Istrum. (cfr. 59.17-20.)

8. str. Ille terrarum ... (cfr. 59.21-24.)

9. str. Te genu nixi ... (cfr. 39.21-24.)

10. str. Jam sacrae leges ... et Fas et aperta largo Copia cornu. (cfr. 60.1-4.)

11. str. Jura pacatis ... (cfr. 60.5-8.)

12. str. Pax ubi ... Illa nutantes stabilire turres; Illa vicinis ... (cfr. 60.9-12.)

13. str. Pace subsultant ... Tetrici saltus: lene (cfr. 4.17-20.)

14. str. Quaque pubentes graditur per hortos Hinc .... (cfr. 60.13-16.)

15. str. Jam tacent pugnae, chalybumque cessant Bella percusso male nata ferro: Diffluunt passim pretiosa largis Saecula rivis, (cfr. 3.7-8.)

16. str. Cessat Argentum, veterisque venae Fonte narrati revocantur Anni ... (cfr. 3.9-12.)

---

1) Liber ille Lyricorum reperitur Romae in bibliotheca Princ. Barberini MSS. num. XXX. 178.

17. str. Meque veraci cecinisse versu ... Saecla Saturni rediisse regis ... (cfr. 3.13-16.)

18-19. str. Aurei patrum ... Nectare ripae. (cfr. 4.1-8.

20. str. Laetior ... nec avarus hortis Invidet annus. (cfr. 4.9-12.)

21. str. Pastor .... Devovet raucas calamo cicadas .... (cfr. 4.13-16.)

22-23. str. Martis oblitus... Scuta columbas. (cfr. 76.21-28.)

24. str. Longus herbosis ... (cfr. 60.17-20.)

25. str. Ite Rhaeteis ... Ite virtutes, iterate nexas Flore corollas. (cfr. 60.21-24.)

26. str. Te Ceres flavis redimita sertis, Gentis humanae pater atque custos, Te Jovis ... (cfr. 60.25-28).

27. str. Te volunt lauri, tibi surgit uni Myrtus, aeternos tibi sacra comit Populus ramos, meritaeque lene Nomen olivae. (cfr. 60.29-32).

28. str. Quo velis ... Parce cunctari; tibi laurus apta: I, triumphalem cupiente lauro Necte tiaram. (cfr. 61.1-4.)

29. str. Laurus annosum ... (cfr. 5.1-4).

30. str. Te vagum Solis ... (cfr. 76.28-32.)

31-32. str. Audiet Dacos ... Pila recondet. (cfr. 77.1-8.)

33. str. Servit et magni tibi potor Istri, Te vagi responsa petent Geloni, Te repercussis agilis Sicamber Perstrepet armis. (cfr. 76.13-16.)

34. str. Siderum praeses pelagique rector, Lucida terras speculatus arce ... (cfr. 4.28-32.)

35. str. Quaeque formosos ... (cfr. 5.5-8.)

36. str. Curet effusas ... Virginum longas juvenumque ... Suggerat aurem. (cfr. 5.9-12.)

37. str. Condito mitis ... Firmet, et prono fugitiva ducat Otia mundo. (cfr. 76.17-20.)

Ode II.

Ad S. D. N. Urbanum VIII. Pont. Opt. Max.
De ejus poesi Dithyrambica.

Eodem modo sonat, sicuti in nostr. edit. pag. 40-43, cum his solum differentiis: 40.3. Facundus amnis, et loquentis — 41.1. Et nunc profundo — 42.1. purpura Daphnidi...

Ode III.

Ad Principes Christianos
De recuperando Orientis imperio.

Longa haec ode, numerans 36. strophas, dissecta post-

modum a poeta ipso in duas, inserta est I. libro Lyricorum tanquam Ode VI. et VIII. i. e. nostr. edit. pag. 11-14, et 15-17. Differt textu ab ambabus in iis tantum quos recensemus locis:

11.9. Thraca frementibus — 11.15. inaequalesque Locri — 13.7. Divisit annos — 13.24. Flagitio scelerare dextram — 16.9. Et si procacem — 17.1. Surgamus. Inde purpureus mari....

Ode IV.

Ad Principes Italiae De recuperanda Graecia.

Haec ode habet sequentes 37. strophas:

1. str. At non supino... triumphatisque quassum... (cfr. 24.5-8.)

2-9. str. Implete classes... Gonoëssa flavo (cfr. 24.9—25.16.)

10. str. Pallescit auro... et interfusa Cypros Gemmiferis regemunt fluentis. (cfr. 25.17-20.)

11-12. str. Est quem comantum.... vel opaca leni (cfr. 25.21-28.)

13. str. Pangaea... Altamque Scarphen spreverit, aut procul... (cfr. 25.28-32.)

14. str. Non lympha Cydni, non vitreus Ladon... gelidis Achelous undis (cfr. 26.1-4.)

15. str. Desiderantem... (cfr. 26.5-8.)

16. str. Est quem supellex et vigiles foci Mundaeque sordes et domini sequax Delectat armentum, et reductus... (cfr. 26.21-24.)

17-18. str. Cantu sonori... arva vesper. (cfr. 26.25-32.)

19. str. Nec si superbus... (cfr. 109.5-8.)

20-21. str. Si quis virenti... adjicietur aulae. (cfr. 27.1-8.)

22. str. Est qui timendus malit aheneis... Densique conjurata Martis... (cfr. 107.5-8.)

23. str. Sparsumque... et celerem vehi... (cfr. 108.9-12.)

24-25. str. Illum palustri... nec inermis Oea. (cfr. 108.13-30.)

26. str. Si bellicosos... sparsa sequi levis Vexilla... (cfr. 109.9-12.

27-30. str. Si rursus idem... vagus error Hebri. (cfr. 108.21-109.4.)

31. str. Est quem cruentae... Et fusus auro... (cfr. 107.9-12.)

32. str. Scriptique reges et titulis super... (cfr. 107.13-16.)

33. str. Hic se locari... (cfr. 107.17-20.)

34. str. Dextramque dextrae commodet Hectoris, Vultumque vultu fingat Achillei. Dignus Lyssippaea locari Arte... (cfr. 107.21-24.)

35. str. Letique curta... Conjugibus populisque vitae. (cfr. 108.1-4.)

36. str. Illum et colossis... Doctisque spirantem metallis... (cfr. 109.13-16.)

37. str. Non pejeranti... (cfr. 109.17-20.)

Ode V.

Ad militem Europaeum

De bello contra Turcas suscipiendo.

Etiam hanc oden divisit Sarbievius in duas partes, quarum primam posuit in Lyricorum III. libro tanquam oden XX. (pag. 109.) alteram vero partem collocavit in libro I. tanquam oden XI. (pag. 22.) Hae duae ab illa primigenia oda non differunt, nisi in locis, qui hic enumerantur: 109.23. Europae ruit indoles — 110.2. choros ducere tympano, — 110.4. Et fusum galeis ponere Liberum! — 110.5. Non hoc pectore Thessalos — 110.6. Inter Bistonii fulmina proelii — 110.13. Illum Thraces Ibericis — 110.17. Devesci, et pia viscera — 110.18. Ausi sacrilegis carpere morsibus. — 22.4. Gemmas conspicuis demite brachiis — 22.16. Jam belli tonitru —23.27. Devitare pericula. — 23.34. Et mors ipsa viris...

Ode VI.

Ad militem Italum

De bello contra Turcas suscipiendo.

Ode haec, quae incipit: „Pulchro Quirites“, *habetur integra pag. 36. nostr. edit.*

LYRICORUM AD URBANUM VIII. Pont. Opt. Max. Liber II. Math. Casimiri Sarbieschi e Societ. Jesu.[1])

Ode I.

Urbani VIII. Pont. O. M. Gloria.

Haec ode constat sequentibus 19. strophis:

1. str. Urbane regum... Arva super populosque currus (cfr. 6.17-20.)

2. str. Jam dudum... Conciliis cupidoque quondam (cfr. 6.21-24.)

3. str. Promisse coelo!... Te profundi Summa super, super arduum Atlanta (cfr. 6.25-28.)

4. str. Attollere alte... (cfr. 7.1-4.)

5. str. Hac unde lati littora... (cfr. 7.5-8.)

6. str. Coram licebit.. Olim supinis... (cfr. 7.9-12.)

7. str. Ter pronus Othrys, ter trepidae nemus Subsedit Ossae; ter viridem comam... (cfr. 7.13-16.)

8. str. Sacerque Phoebo... Pieria Tibi Myrto coronatus Cythaeron Et patula nemorosa lauru (cfr. 7.17-20.)

9. str. Pangaea... adorare et quadrigis... (cfr. 7.21-24.)

10. str. Hinc ire... (cfr. 7.25-28.)

11. str. Vidistis? an vos praeterit aureae Imago... (cfr. 7.29-32, et 28.17-20.)

12. str. Tristesque fumos... (cfr. 58.21-24.)

13. str. Crebraeque nimbum lucis... (cfr. 58.25-28.)

14. str. Effusa densis... (cfr. 58.29-32.)

15. str. Hinc et tepenti... (cfr. 8.1-4.)

16. str. Ter vecta... Festae ter Urbanum... (cfr. 8.5-8.)

17-18. str. Audivit ingens... deproperate Menses. (cfr. 8.9-16.)

19. str. Dixere Musae... Risere blandum... (cfr. 8.17-20.)

Ode II.

Urbani VIII. P. O. M. Felicitas.

Ode haec non differt ab oda 5. lib. I. (nostr. ed. pag. 9.), nisi in sequentibus locis:

9.27. nunc arguta lenem — 9.28. Musa cantum. — 10.2-4.

---

1) Hic liber secundus Lyricorum reperitur Romae in bibliotheca Princ. Barberini MSS. num. XXX, 14.

Mitescet auro saeculum, et undique Vultum renidentem resumens Purpureo — 10.6. Vulgoque pronis balsama collibus — 10.8. Lacte vagos trepidare rivos, — 10.11. Puniceo grave — 10.17-18. Anteire gestit, te prope Copia Rerumque ... — 10.22. Accincta centum — 10.23. Lethumque, pallentesque — 10.26. Non parca frugum — 10.30. Nec non pudicae cum nuribus — 11.4. Purpureum jaciemus ...

Ode III.

Urbani VIII. Pont. Opt. Max. Majestas.

Haec non differt ab oda 10. lib. I. (nostr. ed. pag. 19.) nisi in locis sequentibus:

19.13. nubibus ac polo — 19.14. Miscere vocem donat eburnea — 19.15. Plectrumque suspendens tubamque — 19.18. murmura Nerei — 20.11. Terris, coronatisque Chinae —20.15. Curetes arma, — 20.16. Corybantes aera. — 20.17. Te nuper almis Maurus — 20.18. Te modici canunt — 20.19. Te repostae — 20.20. personuere Thules. 1— 20.24. cohibere turbam. — 20.26. olim innumerae ad pedes — 20.32. Consiliisque — 21.18. dum Tibi Thracium — 21.26. his potius vagum — 21.27. Repone terris, et dolosas — 21.29. Rivumque propter ...

Ode IV.

Ad Virginem Matrem, cum Franciscus Cardinalis Barberinus nepos, ab Urbano VIII. ad reges legatus, e portu solverat.

Ode haec non discrepat ab 14. oda libri II. (nostr. ed. pag. 62.) nisi in locis sequentibus:

62.1. Diva, terrarum pelagique — 62.7-8. bibulaque se reclinat arena: — 62.9. Navis Urbani, tua navis esto, — 62.13-14. Portat haec terris pelagoque pacem; Sentiat terrae pelagique pacem: Hinc aquas, illinc prohibete laevas Numina rupes.

Ode V.

Sibi ex Italia revertenti nullo unquam loco aut tempore Urbani VIII. carminibus in coelum ferendi studium defuturum.

Haec ode incipiens a verbis „Quam prono Rhodopen pede“ *immutato textu, dicata est a poeta regi Sigismundo III. (vide nostr. edit. pag. 74.) Differunt ambae in locis sequentibus:* 74.2. littora Penei — 74.4. Captivosque gelu transilio lacus! — *Versus 5 et 6 desunt.* — 74.8. meae rura Poloniae, —

74.13. Sistat, qua tetricum nemus — 74.15. O quae nubila trajicis, — 74.16. nubivaga, Melpomene, solum — 74.18. precor, qua mihi lubricus — 74.19. Garrit Lavia, qua vagus — 74.20. Inter picta fugit rura Druentia — 74.21. Natalisque liquor Sonae. — 74.26. Descendent Geticis marmora — *Versus 27-28 desunt.* — 75.2. Incidique volent — 75.3. Urbane, accipient notas. — 75.5-8. *versiculi desunt* — 75.14. vespere ter cana — 75.21. Magnae regna Poloniae — 75.22. Urbano lituis et citharae sono — 75.24. Alternis dabimus . . .

Ode VII.

Carmen saeculare Magnae Virgini Matri, cum nuper Urbanus VIII. publice ad D. Virginis procederet.

Haec ode sine ulla mutatione reperitur pag. 69. nostr. edit.

Ode VIII.

Ad eandem D. Virginem.

Haec ode reperitur pag. 81. nostr. edit. cum hoc discrimine: 81.9-11. Urbium custos populique Virgo Romuli colles Tiberimque late Nubium curru . . . — 81.13. Aureus tecum Decor et coruscis . . .

Ode IX.

De repetendis auspicio Urbani VIII. Europæorum Principum de Turca victoriis.

Ode haec habetur pag. 29. nostr. edit. cum sequentibus mutationibus: 29.13. Credetis? eheu credite — 29.14. Nuper pudendo Bistona praelio — 30.1-2. Cum Pontus omni funera Thracia Flesset profundo, cum celer Artacen — 30.26-28. Undasque camposque et populos super Evexit alis, o ruentum Grande decus columenque rerum, — 30.29. Urbane, magni doctior imperi — 30.31-32. Enses triumphorumque gnara Thessalicis refer arma campis.

PORTICUS HONORIS[1])

per quam Franciscus Cardinalis Barberinus ad delubrum Honoris poëtico opere in Romano Societatis Jesu Collegio exstructum ingressus est.

Ad Urbanum VIII. Pont. O. M.

Dum tibi, summe Pater... *vide Epigr. pag. 507. nostr. edit. Huic carmini subest inscriptio:* Matthias Casimirus Sarbiewski.

Porta Honoris prima, in qua Coelum Francisci Card. Barberini laudibus dedicatur.

Ode I.

Quis me citatus... *Ode illa habetur pag. 95. nostr. edit. cum hoc tantum discrimine*: 96.27-28. Aulaeque sceptroque et columnis Tempus edax sua fata dixit.

Porta Honoris secunda, in qua Oceanus Francisci Card. Barberini laudibus consecratur.

Ode II.

Hic ille plenis Oceanus... *Oden hanc videre est pag. 105. nostr. edit. cum hoc discrimine:* 106.19. Rerumque prudens, nec severae — 107.7. Pompam catervarum reduxit...

Porta Honoris tertia, in qua orbis terrarum Francisci Card. Barberini laudibus destinatur.

Ode III.

Age picti moderatrix... *Ode illa postmodum dedicata Ladislao principi Poloniae, reperitur pag. 83. nostr. edit. cum sequenti mutatione:* 83.13. Age, sacrum Latialis jubar ostri,— 83.15. Cilicumque et pharetratis Numidarum cane turmis.

1) Liber ille poëmatum Sarbievii reperitur Romae in bibliotheca Princ. Barberini MSS. num. XXX. 14.

Prima in Porticu Honoris Turma Aquam lustralem ad Aram Honoris apportantium.

Innocentia.

Ode IV.

Absiste vulgus ... *Vide illam oden pag. 84. nostr. edit. cum hac differentia:* 84.13. Primum et jocoso — 85.31-32. Ripasque mirantesque campos Mygdoniae linet amne gazae.

Vitae Integritas.

Ode V.

Regias veto manus ... *Vide illam oden pag. 111. cum hac differentia:* 112.6. Majusque passis ambulat capillis.

Secunda in Porticu Honoris Turma, Victimas ad Aram Honoris adducentium.

Labor.

Ode VI.

Nam quae purpureis ... *Vide illam oden pag. 42. nostr. edit. cum hoc discrimine:* 42.7. Cui longi patiens vomeris aspero — 43.9. Quamquam et flammivomo narium anhelitu...

Saeculum Barberinum.

Ad Apes.

Ode VII.

Cives Hymetti, gratus Atticae lepos,| Nectaris artifices,| Bonaeque ruris hospitae,| Gratum fluentis turba praedatrix thymi,| Virgineae volucres,| Parvaeque Veris filiae,| Laboriosis etc. ... *vide pag. 102. nostr. edit.*

Liberalitas Barberina.

Ode VIII.

Tibri, siste precor, neu vitreae regna licentiae ... *Oden illam vide pag. 105. nostr. edit. cum hac varietate:* 105.6. Francisci patulae ...

Comitas Barberina.

Ode IX.

Felix qui dubio ... *Vide illam oden pag. 86. nostr. edit. cum hac varietate:* Sed securus habet. Tu placidi parcior imperi ...

Tertia in Porticu Honoris Turma Camillorum sacrificio Honoris praecinentium Chorus.

Ode X.

Non me Democriti sales, *(pag. 81. nostr. ed.)*
Princeps, non Siculi porticus atrii,
Non percussa docentium
Raucis detineant pulpita jurgiis.
Tu doctus tibi, tu gravis,
Barberine, lenem spernere gloriam.
Nolis Pythagorae sacris *(cfr. 82.21.)*
Insudare libris, aut tacito vigil
Impallescere Socrati.
Te pressae tumulis lacrima gloriae,
Et projecta jacentium *(etc.)*

. . . .

Regnorum tacitis attonitum docent
Occurrisse malis. Tibi
Pompei gelido sub Jove segreges
Artus, et lacrimarum inops
Desertoque vagum in littore funus, et
Magni nominis indigum
Corpus magniloqui verba Panaetii
Compensat brevius, neque
Regales patitur quaerere copias.
Aeternum nihil est. Cadet *(cfr. 14.7.)*
Quod surgit: sed adhuc surget et occidet
Ritu praecipitis pilae,
Quae nunc pulsa cava rejicitur manu,
Nunc lenes secat Africos,
Nunc terrae refugis absilit ictibus.
Vesper vespere truditur:
Sed nunc deterior, nunc melior subit.
Quod vexant hodie Noti, *(cfr. 5.19.)*
Cras lambent faciles aequor Etesiae.
Et qua nubila traxerant
Pexa lumen equi disjicient juba.
Alterno redeunt choro *(cfr. 5.23.)*
Risus et gemitus, et madidis prope
Sicci cum lacrimis joci.
Nascuntur mediis gaudia luctibus.
Fessos duxit heri boves, *(cfr. 6.3.)*
Dat magnis hodie jura Quiritibus;

Et quae bobus ademerat,
    Imponit Gabiis et Curibus juga.
Quod si seria ludicris
    Fortunae libeat nectere, rusticus
Hesternam repetet casam
    Ridentis populi non humilis jocus;
Et queis proelia gesserat,
    Findet laurigeris ligna securibus.
Quod si defuerit salix,
    Fasces pauperibus subjiciet focis.
Idem Phosphorus aspicit *(cfr. 6.7.)*.
    Servum, quem dominum viderat Hesperus.
Dum rerum levis orbita, et
    Fatorum domini diffugiunt Dies.
Acri saecula turbine, *(cfr. 14.17.)*
    Fraenatis equitant Lustra Favoniis,
Juncto fulminis essedo.
    Effraenis bijuges Hora quatit Notos.
Magnas interea rapit *(cfr. 15.1.)*
    Urbesque et populos, et miserabili
Reges subruit impetu;
    Et regni decus et sceptra cadentium
Permiscet cineri Ducum,
    Auratasque trabes, et penetralia
Et cives simul, et super
    Eversis sepelit turribus oppida;
Ac mundi procul arduas
    Stragesque et cumulos et populi pyras
Festa nube supervolat.
    Stellarumque rotam, ac longa brevissimo
Passu saecula corripit,
    Fatorumque graves proruit impetus.
An nos ludimur? an suam
    Rerum pulcher habet vultus imaginem,
Et sunt, quae prope cernimus?
    An peccant fatuis lumina visibus,
Et mendax oculi vitrum?
    An longi trahitur fabula somnii?

Quarta in Portu Honoris Turma Cornicinum et Tubicinum, Honorem ad imperium Barberinum evocantium.

Ode XI.

Te clara divum progenies... *Vide illam oden pag. 98. nostr. ed. cum sequentibus mutationibus:* 98.12. volucrisque regni — 99.13. Sereniori quae procul otio — 99.15-16. Arcemque Causarum et negatae Ausa sequi numeros arenae: — *Inter 16 et 17 versum haec strophe intercalata est:* Illiteratis functa laboribus, Causas tueri gaudet, et in sinu Vitare Naturae jacentum Fumum et opes strepitusque rerum. — 99.22. rumpere proelia, et — 99.32. Carbasa diripiuntur aura: — 100.2. Sedere tonsis, — 100.28. Puniceum jaculamur — 100.30. Albumque velis aequor et insulis, — 101.2. Compescis iram, et lubrica siderum — 101.6. Et septa centum jura securibus — 101.10. Gemmis tiarae: te rutilantium — 101.21. Censusque et almae vulgus adoreae — 101.31. agnoscique mendax, — 102.4. ingenioque linguae. — 102.5. Spes mille pictis nubibus . .

Clementia Barberina.

Ode XII.

Romanos Aries focos
  Tinget Dardaniis caesus honoribus
Tonsae conscia purpurae et
  Interpres placidi victima Principis.
Non vivi paries vitri *(cfr. 33.1.)*
  Cristallique fores . . . etc. *usque ad finem hujus odes.*

Epigramma I.

Eloquentia Barberina.

Qualis odoriferi . . . *vide pag. 450. nostr. edit.*

Epigramma II.

Poesis Barberina.

Cum tibi Pieros . . . *vide pag. 451. nostr. edit.*

Epigramma III.

Virtutes Barberinae.

Excubat in medio . . . *Vide illud epigramma pag. 451. nostr. edit. cum hoc discrimine:* 451.12. Ridet in argutis gratia — 451.16. dominam suspicor esse domi.

Ferdinandi II. Herculis Germanici Trophaeum.[1])

Ferdinando II. Caesari Augusto Sigefridus Christophorus Straus F.

Hostilibus e spoliis Trophaeum posuit Tua Tibi virtus legitimo ex certamine triumphanti, Ferdinande, Caesarum augustissime, sed quia nullo ab eis honesto patrato facinore indecora atque ingloria invenit arma, expressit in eis Victoriae manu laudes Tuas. In casside biceps Imperii Aquila visitur gestans in pectore Austriacum stemma, quod unum corde complectitur, quo vivit uno. Effinxit in aegide parmisque, fortitudinis atque clementiae, sapientiae et religionis studium, dum Aquilam, harum omnium virtutum symbolum pinxit expressissimum. Nihil fuit in vexillis addendum de Tuo, satis enim illa erant impudentissimae audaciae et rebellantis impietatis picturata coloribus. Hoc Tu laureatae virtutis Tuae monumentum accipies non ingrate, quia quod Tibi ponitur vere, cujus auspiciis pugnas vincisque Imperatori Deo.

Hercules Romanus,

seu religio et pacis studia Ferdinandi II. Caesaris Augusti.

Jam minax Albis . . . *Vide illam oden 59. nostr. edit., cum hac discrepantia:* 60.3. et amoena laeto — 60.21. Ite, Germanis sociae ⊥ 60.30. probat, et coruscis . . .

Hercules Gallicus,

seu sapientia et litterarum tutela Ferdinandi II. Caesaris Augusti.

Quis litterati munera Caesaris . . . *Vide oden illam pag. 67. nostr. edit. cum hac discrepantia:* 67.19. Parnassi, et superbum — 68.7. Per docta Musarum — 68.16. Mygdoniae rigat amne gazae. — 69.21. Praecinget Albim: — 69.26. Plebem disertarum illigat aureo . . .

---

1) Libellus hic odarum Sarbievii decantatus erat in Collegio Romano S. J. a. 1624. philosophicas inter disputationes Sigefridi Christophori Straus ab Haiderstorff Austriaci Viennensis, Collegii Germ. et Hung. alumni, et impressus eodem anno Romae apud Alex. Zannettum. Adeo autem rarus nunc est, ut diu frustra a nobis fuerit quaesitus in variis bibliothecis; tandem cura P. Sommervogel bibliographii S. J. inventus est Parisiis in Bibliotheca Nationali sub num. Yc. 1183 & Yc. 1189. Quare accurate nunc illum describimus, ne praefatione quidem praetermissa.

Hercules Trojanus

seu clementia Ferdinandi II Caesaris Augusti.

Quid juvat densis ... *Vide illam oden pag. 75. nostr. edit. cum hac differentia: pag. 76. inter versiculum 8 et 9-um sequens stropha intercalata est:* Longius pugnes renuente vinci Concano, quam si juga Gaditanis Induas tauris, vel equina Poeno Fraena leoni. (cfr. 29.5-8.) — 76.10. pharetrasque deme, — 76.23. modo mitis agrum ...

Hercules Thebanus

seu fortitudo et triumphi Ferdinandi II Caesaris Augusti.

Quae regna, vel quae ... *Vide oden illam pag. 44. nostr. edit. cum hoc discrimine:* 44.2. Dissepta tellus — 45.4. quatefecit ictu: — 45.5. Quamquam profundi terga rigentia Surdisque — 45.12. onerasset ornos: — 45.15. Eosque et Aurorae — 45.25. Te victus olim Thermoodontii — 46.3. Te Phasis et levis...

Hercules Germanicus

seu Ferdinandus II. Caesar Augustus.

Mercuri, nam te citharae ... *Vide illam oden pag. 31. cum hac varietate:* 31.3. Moesta, Cocyti — 31.5-6. Tuque, Dircaeos imitata nervos, Musa, delectum modulare — 31.9. Ite, bellaces Priami — 31.14. Ferreo somnum simulante leto? — *Inter 4 et 5-am stropham sequentes duae strophae insertae sunt:*

Ite: sub magni juga Ferdinandi
Foeta bellorum rediere regna:
Ite, sub nostro reparate priscum
Caesare Martem.
Arma Romani socientur, arma:
Arma Germanis geminentur armis;
Pars adhuc vestri numeranda restat
Magna Gradivi.

31.18. Macedum catervae, — 31.19-20. Paule: te Parthi, redivive, poscunt, Crasse, triumphi. — *Deinde praetermissa sexta stropha, ita sibi succedunt strophae:*

Magna te poscunt ... (cfr. 32.1 4.)
Surge, qua dormis ... (cfr. 32.9-12.)
Surge, non audis ... Medus in hastam? (cfr. 31.25-28.)
Bactra jam motis ... (cfr. 32.5-8.)
Ite, felices ... (cfr. 32.13-16.) — *et ita porro ad finem 32.*

paginae. Tandem post verba „Bella nepotem“ *ultimi est haec strophe:*

Ite, Laurentes renovate pugnas:
Ite Romanum revocatur aevum.
Bella Tarpeis sua Ferdinandus
Pugnat in armis.

Ultima libelli pagina continet sequentes approbationes:

Imprimatur, si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici. — A. Episc. Hieracen. Vicesg.

Imprimatur. — Fr. Vincentius Martinellus Magister et Socius Reverendiss. P. Fr. Nicolai Rodulfii ord. Praedicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magistri.

POMPA NUPTIALIS.

Exstat Varsaviae in bibliotheca Comitum Krasiński, num. VII. 7. 1308. libellus antiquus in folio, cum hoc titulo: Pompa nuptialis, quam Illustrissimo Domino D. Alberto Wladislao Radziwil, Duci in Olyka et Nieswies, S. R. I. Principi, Comiti in Szydlowiec et Mir., Castellano Trocensi, Szereszoviensi &c. &c. Capitaneo, connubium ineunti cum Illustrissima sponsa D. Anna Zenovicia, Castellanide Polocensi &c. &c. Almae Academiae & Universitatis Vilnen. Soc. Jesu studiosa iuventus, debitae observantiae ergo, adornat. Anno Christiano MDCXXVIII. Typis Academicis.

Infra illum titulum, exarata est vetusto charactere, nescio cujus manu, haec annotatio: „Author P. Matthias Cas. Sarbiewski S. J.“ Libellus constat undecim chartis non numeratis, sive sex plagulis, majuscularum litterarum ope signatis; et, ut videtur, mancus est: nam plagulam sextam signatam littera E, sequitur plagula cum littera G., et haec ultima quidem plagula uno tantum gaudet folio. Libellus hic sequentia comprehendit carmina, prout nobis retulit oculatus testis D. Sig. Wolski:

Pagina titulum sequente habetur imago e ligno caelato expressa, exhibens stemma familiae Radivillianae, infra quam legitur annus 1627, et epigramma: In stemma Illustrissimi Principis. Armiger expansis etc.... *(Vide pag. 499. nostr. edit.)*

Folium secundum et tertium continet epistolam didicatoriam oratione soluta, quartum vero habet carmen sic inscriptum: Aquilae Radiviliae Nuptialis Pompa. Dithyrambus. *Carmen hoc numerans 17. strophas, reperitur pag. 214-217. nostr. edit. cum sequentibus differentiis:*

1. str. Age, Musa, nuptiales Imitata voce... (cfr. 214.17-22.)

2. str. Parce nunc ... Age molliora blandi ... (cfr. 215.1-6.)

3-4 str. Radivilae stemma ... nidum Stemmati. (cfr. 215.7-215.18.)

5. str. Carpe flores ... Vel propinquae ... (cfr. 215.19-24.)

6. str. Fallor? an per arva late
Ille fulminum rotator,
Anguiumque terror Ales,
Voce quamquam militari
Dulce clangit, et pudica
Carpit ore, carpit ungue Principi rosaria?

7. str. It volantis pompa prati ... Pingit auras, et remisti ... (cfr. 215.25-30.)

8-9. str. Ille nubium ... Aeolus suspiriis. (cfr. 216.1-12.)

10-14.str. Non superbit in volucres,
Non tumescit in dracones,
Non ferocit in cerastas,
Lenis est, vel inter ignes
Militantis arma coeli,
Clade nulla proeliator, caede nulla sordidus.

Lenis est, non qualis olim
Dimicaturo trisulco
Commodabat arma Regi
In Gygantes arma saevos
Fervidasque provocabat
Martis iras in ruentis impetum Typhoëi.

Pulcher iste, pulcher ales,
Murmurantem sic adibat
Fronde Gargarum loquaci:
Hospitalem sic amabat
Amne vitreo Scamandrum,
Cum puellus Idae cultor evolavit ad Jovem.

Ite, bella, quae cruentis
Ira colligat catenis,
Una pacis incruentae
Regnet Iris, una terris
Casta floreat Venustas,
Unus astra risus armet, ornet arva Gratia.

Aurei volent Lepores
Liberi Sales vagentur,
Perque viva regna Florae
Nuptialis insolenti
Vere frondeat November,
Qua maritus alba calcat, qua marita gramina.

15. str. Aestuantis.... Ludicrae.... Etesiae. (cfr. 216. 19-24.)

16. str. Magne Praesul... (cfr. 216.25-30.)

17. str. Sit perennis... (cfr. 217.1-6.)

Ad calcem hujus dithyrambi, verba haec „Joannes Obryński Orator Acad." *typis quidem expressa sunt, sed alio atramento, ita ut typhographi labore jam absoluto, denuo videantur adjecta.*

In sequentibus quatuor foliis habetur Idyllion Nuptiale Illustrissimo Principi *incipiens a verbis:* At non ignavae... *Videsis hoc poëma pag. 312-319. nostr. edit. In fine idyllii hujus additum est nomen* „Alexander Iudycki Orator Academicus" *diverso atramento, ut supra.*

In proximo folio leguntur epigrammata (num. CLXXVI-CLXXIX. pag. 500-502. nostr. edit.) quae sibi succedunt ordine sequenti:

Pallas Academica Illustrissimo Sponso testudinem Romanam militarem e quatuor clypeis factam D. D. — Primus Clypeus gestat annulum e gentili Illustrissimae Sponsae stemmate appensum. — S p o n s o P r i n c i p i. Annule qui nostras... stat rota nexa rotae... etc. (pag. 500. nostr. ed.)

Alter Clypeus ex iisdem Zienovicianis ceris Alitem offert. — S p o n s o S e n a t o r i. Tu quoque pullatis... etc. (pag. 500. nostr. ed.)

Tertius Clypeus Soleam Zienoviciam ponit. — S p o n s o h e r o i. Hac Solea Moschi... Alitis a plantis... etc. (pag. 501. nostr. ed.)

In quarto Clypeo Crucem patriam locat. — S p o n s o p i i s s i m o. Fors Radivillaeas... etc. (pag. 501. nostr. ed.)

Sub quarto epigrammate subscriptae leguntur voces: „Constantinus Jędrzejewski Orator Academicus."

In ultimo denique folio habetur: Illustrissimae sponsae Annae Zenowiciae Panegyris.

Ode haec videri potest pag. 93. nostr. edit. cum uno loco variante, scilicet: 93.5. Scribenda Dice. — *In fine odes est:* „Stanislaus Obryński Orator Academicus," *quibus verbis explicit libellus.*

ELEGIA INTINERARIA.

Libellus hic a Langbeino a 1754. editus, continet unicum illud Sarbievii carmen, quod nos jam pag. 286-294 exscripsimus. Verum quoniam perquam rarissimus est, utpote

pauca ob verba de Lipsiensi urbe, quae Lutheranis displicuerant, suppressus: idcirco accuratius a nobis describetur, ne epistola quidem Langbeini praetermissa. Notitiam hausimus nuper e bibliotheca Nationali Parisiensi, ubi exemplum unum num. Yc.924. asservatur.

Iste igitur libellus, forma 4., hunc praesefert titulum: Matth. Casimiri Sarbievii R. P. Soc. Jesu Poloni, Elegia itineria ex MSC. edita. Dresdae in officina Hekeliana A. S. CIↃIↃCCLIIII. *In titulo cernitur imago aere expressa, exhibens viatorem requiescentem sub arbore. — Sequens folium continet litteras dedicatorias hujus tenoris:*

Viro Reverend. Clarissimo, Joanni Zaumseilio dignissimo apud Ercmansdorfenses inaugurato Pastori. S. P. D. Lebrecht. Gotthelf. Lanbein.

Insalutatos ergo me fratresque meos non reliquisti. Hoc equidem laetor. De sincero tamen tuo erga nos studio, jam ex Academia certi, id sperabamus. Itaque ex his ingenuum constantemque nostrum erga te animum etiam cognosces, quibus novum munus tibi faustum auspicatumque animitus gratulamur. Vovent fratres, ego etiam voveo, simulque Sarbievii nondum editum Itinerarium Romanum exhibeo, tibi, ut credo, fautoribusque Sarbievii gratum. Rara certe scriptio, meamque commentationem de Sarbievii vita, ad pag. XLIII. scienter interpretans. Tabula etenim est quasi geographica cursus, quem tenuit ex Vilnensi collegio ad Urbem, scriptaque videtur sub adventu. Illius copiam mihi fecit jucundissimus atque R. P. Ludovic. Bemfeld, Polonus Borussus, cuius alio loco mentionem cum laude injeci. Ipsi, in Crosensi collegio dum moraretur, forte fortuna hoc cimelium in manus pervenit, et ante annum et quod excurrit apud me deposuit. Animo quidem habueram deliberatum constitutumque, ut cum Operibus Sarbievii Posthumis, tribus tomis comprehensis, quae deperdita hinc inde in meo commentario ploravi, nunc vero inventa in collegio Colonensi denuntio, ederem. De quibus in praesentia nil dico. Edita etiam ad te curabo. Deum precaberis, ut sanitati meae perpetuitatem addat, turbulentissimumque vitae, quod nosti, meae genus, in gratius et tranquillius commutet, ut utrique rei publicae et litterariae et civili idoneus vivam. Nec in hoc humanitatis officio tibi unquam deero. De hoc autem Itinerario, quod monerem non habeo. Videbis in eo Sarbievium. Pauca erunt quae offendent. Mea tamen sententia ipsi danda. Dedi carmen ut habuit codex manu scriptus. Sit modo animi nostri in te pii argumentum. Ita vero vale, resque Tuas age feli-

citer. Scribebam Dresdae VI. Kal. Decemb. A. S. CIↃ IↃCCLIIII.

Dein per viginti paginas dispositum est carmen ipsum, cui sequens praefixa est inscriptio: Elegia Itineraria R. P. Math. Casim. Sarbievii S. J. Poloni, quam Roma scripsit ad R. P. Sigismun. Lauxmin Soc. Jesu.

Carmen hoc non differt a textu, quem pag. 286-294. dederamus, nisi in locis sequentibus:

286.3. Neu pudeat — 286.4. cadens — 286.7. Nubiferos — 286.10. Succiduos clives — 286.23. largito salutem — 286.24. A me Nicoleo fer mea vota meo. — 286.25. Huic nostrae mala dura viae, mala dura laboris, — 286.29. in amplexum — 287.2. volvit aquas, — 287.3. regna venimus: — 287.6. Imperjurata religione furit. — 287.8. Hic dum antiquas — 287.10. commiseramus — 287.11. reduceret ortus, — 287.29. Pronior an aestas — 288.9. cacumina, rupes, — 288.12. invidiosa viis. — 288.15. veniebant sidera — 288.19. doli ideamque nocendi — 288.31. non moto crine — 288.32. timore micant. — 289.1. vulnera contos, — 289.14. unda nemus. — 289.26. Fracta repercussis dum redit echo sonis. — 289.30. Achate queror. — 289.32. Viveret, et tantum — 289.33. Euris — 290.3. lacrimansque — 290.6. At mihi — 290.7. Genua labant, totos tremit ater anhelitus artus. — 290.12. ad Suevos hospita — 290.14. illacrimando — 290.19. dulcis — 290.21. Injussae quamquam miscebant — 290.33. Suspicio roseoque — 290.34. lucis equos. — 291.20. luxuriatur aquis; — 291.25. canas ... rupes — 291.27. Volsanique — 291.29. rursus ab armis — 291.34. enituisset humus, — 292.2. Andinique patent aurea — 292.8. celsae ... domus ... — 292.14. Sertaque dispositis — 292.19. templa columnis, — 292.21. pulcherrima rerum — 292.23. Pulchra quatergemini — 292.29. speculatur — 293.8. Et serum mundi — 293.23. Permessida — 294.10. Eloquiine — 294.18. parca tributa — 294.21. mutare placebit: — 294.24. extrema ...

In extrema ora ultimae paginae leguntur haec: In villa Fridericiana ad Dresdam. Ex typographia Hagenmülleri.

INDEX

geographicus et historicus

in M. C. Sarbievii poëmata.

(Numerus designat paginam.)

A.

Abydos (hodie Nagara) urbs antiqua Asiae in ora Hellesponti, opposita Sesto, Europae oppidulo; ambo nunc Dardanelli vocantur.

Acarnan, mons Atticae: dicitur sic etiam fluvius Achelous.

Acarnia, *Acarnania*, regio Graeciae, quam Achelous amnis ab Aetolia separat.

Acaron, urbs Palaestinae.

Achaemenes, primus rex Persarum; unde *Achaemenidae*, Persae; *Achaemenius*, Persicus.

Achaia sumitur: 1) pro tota Graecia; 2) pro ea regione Peloponnesi, quae jacet ad sinum Corinthiacum, ab Isthmo incipiens; unde *Achaicus* est Graecus.

Achates, fidelis Aeneae comes, sumitur pro fido comite.

Achelous, Graeciae fluvius, Acarnaniam ab Aetolia dividens.

Acheron, inferorum fluvius, per quem Charon manes ad inferos transportare fingitur: sumitur pro inferis ipsis.

Acherus, untis, fluvius Epiri, ex Acherusia palude in sinum Ambracium influens; hodie Velichi.

Acidalia, Veneris epithetum; *Acidalius Mars* designat importunam foedae libidinis illecebram.

Acroceraunia, orum, vel *Ceraunia,* altissimi montes Epiri, crebro a fulminibus infestati, hodie „Monti della Chimera;“ pro quovis loco periculoso.

Acrocorinthus, mons Peloponnesi, in cujus radice sita est Corinthus.

Adalbertus S. Martyr, primum Pragensis in Bohemia, dein Gnesnensis in Polonia Antistes, multis per Saxoniam

Albanus lacus (nunc Lago di Castel Gandolfo) lacus Italiae in Albano nemore prope Albam Longam.

Alberstadiades, est Christanus, dux Brunswicensis, episcopus spurius Halberstadii, urbis Saxoniae, homo famosissimus impietate in Deum, crudelitate in sacerdotes, et perduellione in Ferdinandum II. Imp., a quo sceptrum Bohemicum ad Fridericum Palatinum transferre satagebat. Vixit 1559—1626.

Albertus, i.e. Joannes Albertus, filius Sigism. III. Polon. regis, episcopus Cracoviensis, ornatus sacra purpura a. 1633., cui pileolum cardinalitium attulit Honoratus Vicecomes; obiit 1634. Vide 372.

Albis (Elba) fluvius Germaniae, prope Hamburgum influit in mare.

Albula, dicitur fluvius Tiberis Romam alluens.

Albus Lapis (Biały Kamień), Estoniae munita urbs, a Polonis adversus Suecos bellantibus expugnata 27. Septemb. 1602; qua occasione excelluit fortitudine Carolus Chodkiewicz. 285.

Alcides. Hercules, Alcei nepos; pro quovis heroë. *Arbor Alcidae* est populus alba, cujus fronde Hercules ad inferos descendens se coronasse fertur.

Alexander Ursinus, S. R. E. Cardinalis 202; vide *Ursinus.*

Alexandri Arae duodecim, quas Alexander M. in India ad fluvium Hydaspen exstrui jussit, victoriam suam perpetuo testaturas.

Alexandria, urbs Aegypti.

Alfius, foenerator, cujus mentio apud Horatium.

Algidus, Latii mons prope Tusculum, sic dictus ob algorem.

Aliacmon, fluvius inter Macedoniam et Thessaliam, influens in mare Aegaeum.

Allia, fluvius Sabinorum, in Tiberim apud Eretum oppidum influens, ubi magna strage Romani a Gallis profligati sunt XV. Kal. Aug. a. 365. ab Urbe C. Diem illum inter atros referri, et nefastum esse voluerunt.

Allobroges, populus Galliae juxta Rhodanum, nunc Sabaudienses et Delphinates.

Almo, Almon, fluviolus Romae vicinus, e via Appia in Tiberim defluens.

Aloysius seu *Ludovicus* Gonzaga S. e Societate Jesu, notissimus juvenum patronus. 438, 440, 441, 443—446, 457—461, 531—534

Antiochus M., rex Syriae, cum Hannibale bellum gessit adversus Romanos.

Aoniae sorores, Musae, sic dictae ab *Aonia*, parte Boeotiae, in qua est mons Helicon, Musarum sedes.

Apeliotes, ventus orientalis.

Apelles, pictor Alexandri M.

Apollo, deus solis, Jovis et Latonae filius, inventor quatuor utilissimarum artium: sagittandi, vaticinandi, medendi et carmina faciendi, simulque lyra canendi. *Apollinaris corymbus* est hedera, qua Musae et docti homines, tutela Apollinis gaudentes, coronabantur. *Apollinare agmen* sunt pueri litteris operam dantes.

Apollonius S. Martyr (18. April.) qui sub Commodo principe a servo proditus, quod Christianus esset, jussus, ut rationem fidei suae redderet, insigne volumen composuit, quod in senatu legit, et nihilominus capite truncatus est.

Appulia, Apulia, regio Italiae, patria Horatii. *Appula camoena*, poesis Horatiana.

Aquilo (Boreas) ventus septemtrionalis.

Arabium mare, sinus separans Asiam ab Africa.

Aracynthus, mons Aetoliae, Minervae sacer.

Arar (Saona) fluvius Galliae, in Rhodanum influens.

Arasinus vide *Erasinus.*

Araxes, fluvius Armeniae, in mare Caspium se exonerat.

Arcadia, regio Graeciae. *Arcadius deus,* Pan.

Arctos, sidus in polo septemtrionali; vide *Lycaonia Arctos. Arctous*, septemtrionalis; *Arctous Bootes* (Arctophylax) sidus ibidem.

Ardalio S. Mart. (fest. 14. April.) qui mimus cum sacris Christianorum in theatro illuderet, derepente mutatus, ea non solum verbis, sed et testimonio sui sanguinis comprobavit. 470.

Argi, Argos, urbs Peloponnesi. *Argivi,* Graeci.

Argus, cum totus oculis constaret, a Junone constitutus est custos Ius, Inachi filiae, quam Jupiter in juvencae formam mutaverat.

Aries, unum ex duodecim signis zodiaci.

Arimaspi, populi in Scythia Asiae versus septemtrionem.

Ariminus Julius 113.

Arion, equus, quo usus est Adrastus in bello ad Thebas.

Aristius Quintus 127.

Arnus (Arno), fluvius Italiae; Florentiam et Pisas alluit, et in Tyrrhenum mare delabitur.

Artace, urbs Asiae ad Hellespontum, opposita Constantinopoli.

B.

S. Stanisl. Kostkam coelitus cum Angelis invisit; solet pingi cum turri. 517.

Barberini, nomen familiae Principum Florentiae, cujus stemma gentilitium erant tres *Apes* aureae in argentea area. 8,102. Unus ex hac familia Maffaeus gessit Pontificatum Romanum 1623—1644 sub nomine Urbani VIII; alter *Franciscus,* Caroli II filius, ab Urbano VIII, suo patruo, in coetum purpuratorum Eccl. Romanae Patrum 2. Octobr. 1623 cooptatus est. Carmina in honorem Francisci invenies pag. 84, 86, 95, 98, 105, 111, 450, 507, 561.

Barcenum, vide *Braccianum.*

Basilissa, vide *Anastasia.*

Batavia, nunc Hollandia et Belgium. *Batavi,* Belgae.

Belgae amici, 123, sunt sacerdotes S. J. natione Belgae, qui praeter Kmicium Polonum et Joninum Gallum, scripserunt in Sarbievii laudem Epicitharisma i. e. carmina, pluries inde ab an. 1632. Lyricorum editionibus apponi solita. Recensentur sequentes: 1) P. Joan. *Bollandus,* nat. 1596., institutor Bollandistarum, qui vitis Sanctorum conscribendis egregie vacant. 2) P. Gasp. Maximil. *Habbequus* (van Habbeke) nat. 1580., def. 1637. 3) P. Joan. *Tolenarius* (Tollenaer) vixit 1582—1643. 4) P. Jacob. *Hortensius* (du Jardin) vixit 1587—1633. 5) P. Lucas *Dierix* Antverpiensis, vixit 1593—1639. 6) P. Sidronius *Hoschius* (de Hossche) vixit 1596—1653. 7) P. Michael *Mortier* vixit 1594—1636. 8) P. Jacob. *Vallius* (van de Walle) vixit 1599—1690. 9) P. Jacob *Libens* Antverpiensis, vixit 1603—1678. 10) P. Guilielm. *Hesius* (van Hees) Antverpiensis, vixit 1601—1690. 11) P. Guilielm. *Boelmans* vixit 1603—1638. Ultimus Erycius *Puteanus* non erat e Societate Jesu.

Bellarminus Robertus, sacerdos S. J., et S. R. E. Cardinalis, obiit 1621. anno. Ejus liber de „Aeterna felicitate" prodiit in lucem a. 1616. Vide 455.

Bellerephon, Glauci Corinthiorum seu Achaeorum regis filius, ope Pegasi Chimaeram interemit. Cumque rerum terrestrium taedio ductus in coelum evolare conaretur, indeque terram despiciens, timore correptus, in terram decidisset, Pegasus cursum servans in coelum dicitur evolasse, ibique inter sidera esse constitutus. Bellerephon ipse aurigae vel aratoris nomine eodem translatus est.

Bellona, dea praeses belli; usurpatur pro bello etiam ipso.

Benacus, lacus Italiae in agro Veronensi (Lago di Garda.)

Bencius Franciscus S. J. sacerdos, poëta et orator insignis, quibus artibus magnum Collegio Romano nomen comparavit. Vixit a. 1542—1594.

Berecynthus mons et oppidum Phrygiae, in quo mater deorum Cybele colebatur.

Bersti (Berszty) pagus et lacus in Lituania.

Besdanum (Bezdany) pagus cum magna silva in Lituania, tribus leucis a Vilna, olim fundus Academiae Viln. S. J.

Bessi, populi Thraciae, Haemum montem incolentes, latrociniis famosi.

Bethle (Bethlehem) oppidum Judaeae; unde *Bethlemicus.*

Bethulia, urbs Galileae, patria Judithae, nobilis heroidis.

Birutae saxeta, mons Samogitiae, prope mare Balthicum, sic dictus a Biruta, conjuge principis Kiejstud.

Bistones, populi Thraciae, inter Nessum et Hebrum fluvios; pro Turcis vel Tartaris.

Blandusia, fons Italiae in Sabinis, a Horatio celebratus.

Blemyae, populi in Aethiopia.

Boëlmannus vide *Belgae.*

Boji, sunt *Bohemi* (Bojohaemi).

Boleslaus I, Poloniae rex (992—1025), in Borysthene, Sala et Ossa fluminibus solidas ex ferro locavit columnas, triumphos suos et Polonorum terminos apud posteros testaturas. 194,161.

Bollandus, vide *Belgae.*

Bolsanum (Botzen) urbs Tyroliae.

Bootes sive Arctophylax, sidus in polo septemtrionali.

Boreas, ventus a septemtrione flans.

Borgias Franciscus S., Praepositus S. J. Generalis tertius.

Borgia 198, est Caesar Borgia, quem Alexandri VI. Pont. M. filium perhibent historici. Is videtur oppugnasse castrum Ursiniorum ad lacum Sabatinum (Bracciano) exstructum, sed Clivus, arcis Ursinae insigne, vel potius arx ipsa, eum in fugam vertit. Dicitur autem iste Caesar fuisse profugus usque ad *promissum Nihil,* quia ejus effatum familiare hoc erat: „Aut Caesar aut Nihil." Scilicet aut Caesar seu princeps esse volo, aut nihil. Et sane, uti docet historia, ejus gloria et jactantia serius evanuit, nihilque fuit. Quare quidam satyricus poëta de hoc Caesare Borgia scripsit: Borgia Caesar erat, factis et nomine Caesar, Aut Nihil aut Caesar, dixit; utrumque fuit.

Borussia h. e. Prussia, cujus pars olim ad Poloniam pertinebat.

Borysthenes (Dniepr) Sarmatiae fluvius, in Pontum Euxinum influens.

Bosphorus, Bosporus est angustia maris inter Thraciam et Asiam minorem, seu inter Bizantium in Europa et Chal-

cedonem in Asia, seu inter Pontum Euxinum et Propontidem. Ponitur pro Constantinopoli et pro Turcis. *Cornua Bospori* designant Turcas, quorum insigne est Luna bicornis.

Braccianum, Barcenum, oppidulum insigne Ursinorum, ad lacum Sabatinum (lago di Bracciano) prope Romam versus septentrionem. 197.

Braclavia (Bracław) urbs Poloniae ad Hypanim amnem.

Brenni, populi Alpini.

Brixina (Brixen, Bressasone) urbs in Tyrolia.

Brocum (Brok) urbs Masoviae ad fluvium Bugum in amoenissima regione sita, olim episcoporum Plocensium possessio et gratissima sedes.

Brontes vide *Cyclopes.*

Bugus (Bug) Masoviae amnis, Sarbievio natalis. 238.

Buquous i. e. Carolus Longevallius Comes Buquojus, exercituum Ferdinandi II. Imperatoris dux famosissimus, rebus in Bohemia, Austria et Hungaria egregie gestis, in bello adversus Gabrielem Bethlenum (Bethlem-Gabor) Transilvaniae ducem occubuit anno 1621.

Byzantium, (Constantinopolis) urbs Thraciae ad Bosporum, caput Turcici imperii.

Bzovius (Bzowski) Abrahamus (Abramus) Polonus, ordinis S. Dominici, vir doctissimus, cui post Cardinalis Baronii mortem demandatum est officium continuandi Annales Ecclesiasticos. Cum Sarbievio junxit consuetudinem Romae, ab eoque impetravit oden, quam posuit initio tomi XVI. Annalium Ecclesiast. anno 1624. editi. Obiit 1637. Vide 121.

C.

Cadani campi, ager Cades, urbis Palaestinae.

Cadmeius olor, Pindarus, nat. Thebis, in urbe a Cadmo condita.

Caea, Cea, Ceos, insula maris Aegaei, ab Euboea versus meridiem.

Caecilianus. 456.

Caecubum, pro vino, quod in Latii agro Cæcubo nascitur.

Caelus, Bactrianorum deus.

Caesar Grimaldi, Italus, nat. Palermi 1593, ingr. Soc. Jesu Romae 1612, cum in Coll. Rom. theologiae vacaret, coelum scenicum in theatro lustrans praeceps decidit et obiit 10. Januar. 1623. Vide 476,477.

Cajeta, (nunc Gaeta) portus et oppidum Italiae, ab Aenea conditum, unde *Dardania* i. e. Trojana vocatur.

Calabria, peninsula Italiae, proxima Siciliae. ***Fides Ca-***

litem, ostenso per Dunam vado ipse eques signa praecedens, traduxit. Locus hic uno milliari distat a Polocia. 531,537.

Caspium mare in Asia.

Cassianus 508.

Castalius fons, Apollini et Musis sacer, in radicibus Parnassi montis. *Castalius* idem ac poëticus.

Castellanus, Castellaneus (kasztelan) munus et dignitas in republica Polona.

Castilion, urbs Italiae septentrion. patria S. Aloysii Gonz.

Castor et Pollux, fratres gemini, Tyndari et Ledae filii. In Polonorum mythologia nomina haec denotant fratres: Lelum et Polelum. 326.

Catella, vide *Sirius.*

Cato Politicus 52.

Caucasus, mons Asiae inter Pontum Euxinum et mare Caspium.

Caurus, Corus ventus occidentalis.

Caycus, Caicus, fluvius Phrygiae ex Mysia veniens.

Cecropia, Attica regio sic dicta a Cecrope, primo Atheniensium rege. *Cecropii porticus atrii* i. e. porticus Atheniensis, sub quo philosophi obambulantes disputabant.

Celenna, urbs Campaniae.

Ceraunia vide *Acroceraunia.*

Cerberus, canis triceps, inferorum custos; sumitur pro malo genio, qui S. Stanislao Kostka forma canis apparuit.

Ceres, dea fertilitatis; ponitur pro segetibus et frumento.

Chaber (Chrobry) cognomen Boleslai I, Poloniae regis; vide *Boleslaus.*

Chalybes, populi Asiae minoris circa Pontum, apud quos ferrum magna copia eruitur et in alias terras mittitur; iidem dicuntur artem invenisse, qua certa temperatura ferrum magis indurescit et aptum fit ad acies; unde ejusmodi ferrum dicitur *chalybs.*

Charybdis, locus maris vorticosus et periculosus nautis, inter Calabriam et Siciliam.

Chelae, signum zodiaci inter Virginem et Scorpionem, quod a brachiis (chelae) Scorpionis nomen obtinuit; vocatur etiam Libra. Sol pertransit hoc signum tempore aestivo.

Chimaera, monstrum inferorum.

China, Asiae regio maxima.

Chiron, Centaurus, Saturni et Phillyrae filius, magister Achillis, homo parte superiore, equus inferiore; vixit in Haemonia i. e. Thessalia, deinde collocatus est inter signa zodiaci figura Sagittarii.

a D. Luca picta in tabula cupressina, regni Poloniae tutela ac palladium, exstat in colle dicto *Clarus Mons* (Jasna Góra) prope urbem Częstochowa. Ad hanc imaginem peregrinabundus contulit se auctumno 1637 Eppus Łubieński, ut ibi sanitatem aut saltem aliquod in morbo, quo premebatur, lenimen impetraret. Qua occasione Sarbievius scripta oda (pag. 235) votum concepit, scribendi quotannis oden ad B. V. Claromontanam, tanquam soterion pro incolumitate Praesulis.

Claudia Quinta, matrona nobilis, quae cum in suspicionem stupri venisset, et simulacrum deae Cybeles (Cybebe) in vado Tiberis haereret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse navem, quam multa hominum millia trahere nequiverant. (Ovid. Fast. IV. 305.)

Claudianus Claudius, poeta latinus saec. V. post Chr. Hunc imitatur Sarbievius in oda VI libri Epodon.

Claudiana tempora i. e. tempora Societati Jesu faustissima, quibus a P. Claudio Aquaviva Praeposito Generali a. 1581—1615 gubernabatur. Vixit tunc S. Aloysius.

Cleonae, oppidum prope Nemaeam silvam situm in via, quae ex Argo Corinthum ducit; *Leo Cleonaeus* idem est qui Nemaeus, ab Hercule occisus.

Clio, Musa, historiae praeses.

Clitumnus, agri Falisci fluvius, non longe a Spoleto in Tiberim delabens.

Cloelia, nobilis virgo Romana, quae cum aliis virginibus Porsenae Hetruscorum regi obses data, deceptis custodibus, cum reliquis virginibus incolumis ad suos per Tiberim tranavit.

Cocytus, unus e quatuor inferorum fluviis.

Cochanovius, vide Kochanovius.

Codrus, ultimus Atheniensium rex, mendicum simulans, a Lacedaemoniis interemptus est; sumitur pro quovis mendico.

Colchis, regio Asiae minoris; unde *Colchus, a, um,* adj.

Columna i. e. Marcus Antonius Colonna, cui tribuitur victoria de Turcis reportata in sinu Corinthiaco apud Naupactum (Lepanto) anno 1571.

Concani, populi 1) in Hispania Tarraconensi; 2) in Scythia; pro Turcis.

Constantinus M. Imp. Rom. aedificavit templum S. Petri Apost. in Vaticano monte.

Coralli, populi Pontici, immanitate insignes.

Corcyra (Corfu) insula maris Ionii, Epiro adjacens, clara hortis Alcinoi.

Corybantes vide *Curetes.*

Cynosura 1) sidus septentrionale e septem stellis constans. 2) Promontorium Achajae in ora Atticae, et mons ac oppidum Arcadiae.

Cynthus, Deli insulae mons, natalis Apollini et Dianae, unde *Cynthius* Apollo, *Cynthia* Diana vocatur. *Cynthia Thressa* est Luna, Turcarum insigne.

Cyprus, insula maris Mediterranei, olim Veneri sacra; hinc *Cypris,* Venus est; *Cyprius erro, Cyprius hostis, Cyprius Gradivus* Cupidinem denotat.

Cyrrha vide *Cirrha.*

Cythera, (Cerigo) insula maris Mediterranei, inter Peloponnesum et Cretam insulam, Veneri sacra. Narrant, Venerem primum in hanc insulam concha marina vectam fuisse, unde *Cythereïa concha; Cythereia,* cognomen Veneris.

Cytheron, Cythaeron, mons Boeotiae prope Thebas, Baccho sacer, ubi orgia Bacchi a Maenadibus thyrsigeris celebrabantur; *coronatus* dicitur, quod Bacchantes solitae fuerant choreas nocturnas agere circa montem illum.

Cytorus, Cythorus, urbs et mons Paphlagoniae, buxo abundans.

D.

Dacia regio ibi erat, ubi nunc Transilvania, Valachia et Moldavia. *Daci,* incolae Daciae; vocantur etiam ita Turcae, qui Daciae regiones occupaverunt.

Daedalus, Atheniensis, Icari pater, faber egregius. *Daedaleus*, *Daedalus* (adjectiv.) est idem ac artificiosus, affabre factus, vel etiam ingeniosus, variisque operibus excogitandis et perficiendis aptus.

Dahae, Scythiae populi de genere Nomadum.

Dalmatia, regio Europae, auri fodinis clara.

Dantiscus (Gedania, Gdańsk, Danzig) urbs Poloniae in Borussia ad ostia Vistulae. 148.

Danubius (Dunaj, Donau) maximus Europae fluvius, in parte inferiori etiam Ister appellatus, in Pontum Euxinum influens.

Daphnis, arbor laurus, vocata sic a pastore Daphnide, filio Mercurii et Lycae Nymphae, qui a matre abjectus, inter lauros inventus est.

Dardanus conditor et rex urbis Trojae, quam *Dardaniam* suo nomine appellavit. *Dardani* et pro Trojanis et pro Romanis.

Daulias est luscinia, dicta sic a Daulide, oppido Phocidis, in quo Philomela in avem sui nominis conversa dicitur.

albescunt, rosae florescunt. Audiens haec Theophilus advocatus (scribam et agyrtham i. e. praestigiatorem quidam historici eum dixere) ridens rogavit, ut cum in Sponsi sui, cujus saepius meminerat, paradisum venisset, rosas sibi et mala mitteret. Annuit Virgo. Cujus post obitum ex improviso eleganti forma puer adstitit Theophilo, mala tria rosasque totidem apportans in corbe. Quo permotus scriba confessus est Christum, mortisque supplicium pro ipso subiit. 524—527.

Dravus, (Drava), Pannoniae fluvius, in Danubium defluit.

Drie, Dryas, nympha, nemorum incola et praeses.

Druentia 1) fluvius Galliae in provincia Narbonensi in Rhodanum influens. 2) *Drwęć*, fluvius in Polonia, miscetur Vistulae.

Dubissa, fluvius Samogitiae, influit in Chronum amnem.

Duna, (Dźwina), Lituaniae flumen, in sinum Rigensem delabens.

Dyme, urbs, quam in extremo Achajae promontorio sitam Larissus amnis praeterfluit.

Dyndimene vide *Dindymos.*

Dziewonia, Ziewonia, Dziewa, Dziewanna, dea veterum Sarmatarum, praeses veris, florum et viriditatis, custos nemorum, ferarum et armenti, dedita venationibus, sicut Diana apud Romanos. Illi sacra fuit herba verbascum (dziewanna.)

Dzisna, Lituaniae fluvius, influit in Dunam amnem.

E.

Echion, 1) Mercurii filius, exploratoris munere inter Argonautas functus. 2) socius Cadmi in condendis Thebis; unde *Echonius* idem est ac Thebanus.

Eden, locus deliciarum, olim paradisus terrestris.

Edon, mons Thraciae, Baccho sacer.

Edones, Thraces et Turcae.

Elis, regio et urbs Peloponnesi, ubi certamina Olympica cursu equorum, hominum lucta, disco, pugilatu celebrabantur. Unde adjectivum *Eleus.*

Elisabetha S., (8. Julii.) Portugalliæ regina, vixit 1271—1336.; ab Urbano VIII. inter Sanctos a. 1625. adscripta; Cum esset inter vivos, xenodochia, nosocomia et ptochotrophia invisere solebat. 35.

Elysium sive *Elysii campi,* apud inferos beatorum sedes; item coelum, paradisus.

Emathia, Thessalia, ab Emathio rege dicta. *Emathius Pindus,* Thessalus Pindus.

Emericus, Sanctus (4. Novembr.) filius S. Stephani, Hungarorum regis.

Empusa, apud Græcos dicebatur etiam Hecate seu Diana; unde *Empusae nemus,* est nemus Dianae.

Empyreus, i. e. coelestis, empyrium enim a Theologis dicitur undecimum coelum, Dei et Beatorum sedes, i. e. quasi ignitum, non quod revera tale sit, sed quod puritate sua reliquis coelis, ut ignis cæteris elementis, antecellat.

Enceladus, Gigas, qui contra Jovem pugnabat.

Engaddus, oppidum Judaeae prope Mare Mortuum, ubi opobalsamum provenit; Engaddi vineas Salomon in Cantico nominat.

Enipeus, Thessaliae fluvius Pharsalicos campos irrigans.

Enochros, (i. e. annum colorans) nomen græcum a Sarbievio fictum.

Eos est Aurora; *Eous,* orientalis.

Epirus, (nunc Albania) regio Graeciae. *Fpiri regnator,* erat Georgius Kastriotus, vulgo dictus Scanderbeg, dux Albaniae, qui circa a. 1444. fortissime adversus Turcas dimicabat. Idem dicitur *moderator orae Parrhasiae,* i. e. Arcadiae, vel potius (ponendo partem pro toto) Peloponnesi sive Moreae, cujus majorem partem Veneti, socii Scanderbegi, tenebant, et quorum ille auxilio usus est adversus Turcas.

Erasinus, fluvius Peloponnesi, qui a Stymphalide palude ortus, postquam terras subiit, rursus in Argolico agro erumpit, et in sinum Argolicum decurrit.

Erechtheus, rex Atheniensium sextus et decimus.

Eridanus, idem ac Padus (Po) Italiae superioris fluvius.

Erythreus, idem atque ruber; *Erythreae lymphae, Erythreum mare,* sinus Arabicus, Aegyptum ab Arabia dividens. *Erythrei lapilli* i. e. orientales.

Esebonii agri, dicti ab Esebone, Amorrhaeorum oppido in tribu Ruben.

Etesiae, venti qui diebus canicularibus flantes aestum temperant.

Euboea, maxima Aegaei maris insula, hodie Negroponte.

Eugenius IV. Pont. Max., gubernavit Ecclesiam a. 1431-1447. Ipso auctore celebratum est Concilium Basiliense, in quo orientales gentes, Armeni, Maronitae, Syri, Chaldaei ad unitatem fidei accesserunt. Ipso auctore etiam pugnatum est atrociter adversus Turcas. 121.

Euripus, fretum inter Boeotiam et Euboeam insulam,

quoniam unius diei et noctis spatio septies recurrit eo impetu, ut navigia repugnantibus ventis plena secum rapiat, ideo per proverbium denotat hominem inconstantem.

Eurotas, Laconiae amnis Lacedaemonem praeterfluens.

Eurus, ventus orientalis.

Eurytus, frater Echionis, unus Argonautarum.

Eustachius, S. Martyr (20. Septembr.) cum aliquando venaretur, inter cornua cervi, quem insequebatur, repente excelsam atque fulgentem Christi e cruce pendentis imaginem conspexit, cujus voce monitus, cum sua uxore et filiis christianae militiae nomen dedit. 512.

Eva, nomen communis omnium matris, retro lectum denotat Ave. 222.

Everardus Mercurianus, quartus Praepositus Generalis S. J. (1573—1580).

Evius, Bacchi cognomen; etiam pro vite et vino sumitur.

F.

Fabaris (nunc Tarfa) Italiae fluvius per Sabinos transiens et in Tiberim influens.

Fabii, familia Romae nobilissima, e qua originem duxit Fabius Maximus Cunctator, ob facundiam a Cicerone laudatus.

Fabricius i. e. C. Fabricius Luscinus, civis Romanus frugalissimus, exemplar paupertatis, ab aratro ter ad consulatum revocatus, praestantissimus imperator et adversus Pyrrhum et Samnites dux.

Falernum, pro vino, quod in Falerno Campaniae monte crescit.

Faliscus ager, regio Etruriae, cum oppido Falerii, hodie Monte Fiascone.

Farnesiana domus est Domus Professa S. J. una cum templo dicto „al Gesu“ Romae fundata ab Alexan. Farnesio S. R. E. Cardinali.

Favonius, ventus occidentalis.

Ferdinandus II. Romanorum Imperator regnavit 1619—1637. Vide 44, 59, 67, 195, 566.

Ferrara, urbs Italiae.

Fescenninae arces h. e. Fescennia, oppidum Etruriae ad Tiberim.

Flaccus, cognomen Horatii.

Flaminia via, a Flaminio censore dicta strataque, ab urbe Roma versus septemtrionem ad Ariminum usque ducit.

Flora, vide *Chloris.*

G.

Gebicus, i. e. Laurentius Gembicki, episcopus Culmensis, dein Gnesnensis Archiep.; mort. 1624.

Gedeonis vellus, notum ex Litteris sacris (Judic. VI. 37.) unum ex symbolis B. V. Mariae.

Gediminia saxa, i. e. arx Vilnae urbis, a Gedimino principe Lituano exstructa.

Geloni (Tartari) populi inferioris Scythiae.

Genoëssa vide *Gonoëssa.*

Geryon, rex Hispaniae, quem ob triplex regnum tricorporem fuisse fingunt poëtae.

Getae, populi Europae inter Daciam et Pontum Euxinum; pro Turcis.

Getulia vide *Gaetulia.*

Gnesna (Gniezno) urbs antiquiss. Poloniae condita a Lecho.

Gnidus, promontorium et urbs Asiae in Doride, Cariae regione, Veneri sacra.

Gnossus, Gnosus (hodie Ginossa), urbs insulae Cretae primaria. *Gnosium* pro vino.

Godefridus i. e. Alexander Gottifredi, sacerdos S. J. Romanus, poëta et orator insignis, vixit 1595—1652. Aliquot ante mortem mensibus electus erat in Praepositum Generalem Soc. Jesu.

Gonoëssa, urbs munita Achaiae prope fines Sicyonis.

Gonzaga, vide *Aloysius.*

Gortyne, urbs insulae Cretae, herbarum laetitia nobilis.

Gosiewski Alexander. 507.

Gothi, Sueci. *Gothica arctos,* Suecia, regio septentr.

Gradivus, cognomen Martis, dei bellorum.

Graji sunt Graeci.

Graviscae, oppidum maritimum Etruriae in Tarquiniensi agro, ita dictum ab aëris gravitate; Virgilius appellat eas *intempestas* (Aeneid. X.)

Grimaldi vide *Caesar.*

Gregorius XIII. Pont. Max. (1572—1585); fundavit Coll. Romanum S. J.

Gryps, Gryphus, animal fabulosum, omni ex parte leo, alis tantum et facie aquilae simile; stemma Car. Chodkiewicz.

Guinisius Vincentius, Italus, sacerdos S. J., poëta insignis, docuit rhetoricam Romae; vixit 1588—1653.

Gyges, 1) unus e Gigantibus, rebellibus Jovi. 2) pastor Candaulis, regis Lydii; nactus est annulum aureum mirabiliter efficacem, nam cum palam ejus annuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur, cum in lucem annulum converterat.

H.

loniam a Claudio Caesare deductam, in quo erat auriferum nemus cum aureis malis.

Hesperus i. e. Venus, stella lucidissima, quae mane, cum solem antegreditur, Lucifer vel Phosphorus dicitur, cum subsequitur, quod fit vespere, vocatur Hesperus.

Hetruscus i. e. Etruscus, ab Etruria, Italiae regione.

Hielius Laevinus 42.

Himella, fluviolus Sabinorum, in Tiberim delabens.

Hippocrene, fons apud Heliconem, Boeotiae montem prope Thebas, Musis sacer, quem poëtae fabulantur factum esse ungula Pegasi. *Hippocreneae deae* sunt Musae.

Histula vide *Vistula.*

Horae, deae, Jovis et Themidis filiae, Solis ministrae et custodes coeli; novem alii faciunt, alii decem sorores.

Hortensius, } vide *Belgae.*
Hoschius, }

Hostis Bernardinus. 436.

Hyacinthus, lapis pretiosus.

Hyades, septem stellae in capite Tauri.

Hyantea aqua est fons Castalius in Boeotia; *Hyanteus* est Boeotius a Hyante Boeotiae rege.

Hybla, mons Siciliae, floribus, apibus et melle abundans.

Hydaspes, fluvius Indiae; exonerat se in Acesinem et per hunc in flumen Indum.

Hylaeus, unus e Centauris.

Hymen, Hymenaeus, deus nuptiarum praeses; metonymice: ipsae nuptiae.

Hymettus (Monte Metto), mons Atticae, melle celeber.

Hypanis (Boh) amnis Sarmatiae, qui in Borysthenem et mox in Euxinum Pontum influit.

Hyperborei, regiones et populi ad septentrionem positi; nunc Rossiaci septentrionales.

Hyrcania, regio Asiae, sub Caspio mari.

I. J.

Iacchus, cognomen Bacchi; sumitur pro vino.

Jagello, Jagelo (Jagiełło) nomine Ladislaus, Magnus Dux Lituaniae, sacris undis una cum suis popularibus tinctus, matrimonium iniit cum Hedvige, Poloniae regina, Poloniamque suis territoriis auctam 1386—1434 regebat. Ex ejus posteris usque ad 1574 sex alii exstiterunt Poloniae reges, dicti

Jagellones seu *Jagellonidae. Jagellonia limina* i. e. Vilna, urbs Lituaniae princeps.

Janisci (Janiszki) oppidum Samogitiae.

Janus, bifrons Romanorum deus, cujus templum clausum pacem, apertum denotabat bellum.

Japones populi *Japoniae,* regni in Asia notissimi.

Japyx, Daedali filius, a quo Apulia et Messapia, ubi regnasse fertur, *Japygia* vocitata est. *Japyx* dicitur etiam ventus flans ab Apulia orientem versus, vel simpliciter ventus afflans Graeciam ex septentrione et occidente.

Iason, Aesonis Thessaliae regis filius, dux et princeps expeditionis Argonauticae, cum suis sociis profectus est in Colchidem ad Aetam regem, ut inde vellus aureum asportaret. Erat haec pellis arietis punicei coloris et auro imbuta, quae in luco Martis ab arbore pendens, a tauris ignem naribus efflantibus et a dracone immani ac pervigili custodiebatur. Rex Aetas respondit, se vellus nonnisi ea conditione concessurum, si tauros ignivomos prius domaret mitteretque sub jugum, et draconis occisi dentes, terrae aratro subactae mandaret, ac domum progerminantem e semente illa armatorum militum segetem ferro demeteret. Medeae, regis filiae, ope conditiones explevit Iason, et vellere potitus, cum eadem aufugit.

Iazyx, 1) Sarmaticus accola Danubii, 2) Nomen fictum magi.

Iberia, duplex regio: Asiatica altera, nunc Georgia; altera Europaea i. e. Hispania. *Iberus* est Hispanus.

Icarus, Daedali filius, qui una cum patre alarum artificio e Creta fugiens, decidit in mare, quod ab ejus nomine *Icarium* dictum est.

Icarium sidus i. e. Sirius. Icarius filius Oebali, Laconum rex, pater Erigones et Penelopes, a Libero patre, cujus socius vel hospes fuerat, vitium colendarum rationem et vinum traditur accepisse mortalibus distribuendum. Quod cum agricolis suis divisisset, illique ex nimio potu ebrii facti essent, ab iis interfectus est, quod sibi venenum datum arbitrabantur. Canis Icarii continuo cadaver custodiebat; Erigone vero patris cadavere conspecto ita doluit, ut suspendio vitam finierit. Ob eam pietatem omnes in coelum sunt translati: Erigone in sidus Virginis mutata est, canis in Sirium, Icarus in Bootem seu Arcturum.

Ida, mons Troadis, Paridis judicio nobilis; *Puellus Idae cultor* est Ganymedes, Trois regis filius, admirandae pulchritudinis, quem Juppiter ab aquila ex monte Ida rapi jussit,

et in coelum relatum poculi sui ministerio praefecit. *Ida* est etiam mons Cretae, in quo Hercules taurum ignem spirantem occidit.

Idomeneus, rex Cretae, filius Deucalionis, Minois nepos, qui Graecos in obsidione Trojana egregie adjuvit. Venit post modum in eam Italiae partem, ubi Salentum condidit.

Idume, Idumaea, regio Palaestinae, palmetis abundans, vicina Judaeae ad meridiem; aliquando accipitur pro ipsa Palæstina.

Jesse, Davidis regis pater.

Jesus Puer, 162, 172, 207, 428, 430, 431, 452, 472, 521-524; *Jesus Crucifixus,* 208, 474, 527-530; vide etiam *Amor.*

Ignatius S. Martyr. 475.

Ignatius Loyola S., Fundator S. J.

India, magna Asiae regio, dicebatur ab antiquis opulentissima.

Indus, fluvius Indiae aurifer, influit in mare, teste Strabone, duobus ostiis ad instar litterae V, quae initialis est nominis Vrbani, quare *fingit auro* ejus *nomen.* 39.

Ingolstadium, Bavariae urbs, in qua viguit quondam Academia S. J.

Insubres, populi Italiae ad urbem Mediolanum.

Jonas, S. Andreae Apostoli parens.

Ionium mare, pars maris Mediterranei, quae Peloponnesum Graeciamque occiduam alluit.

Jordanis, fluvius Palaestinae.

Iris, dea, nuntia deorum, per arcum coelestem coelitus descendebat; sumitur pro arcu coelesti; item pro gemma seu gutta roris, quae radio solis percussa, colores arcus coelestis variat.

Isacus, Isaac, nomen patriarchae; *Isacidae* sunt Hebraei.

Ismarus, *Ismara,* mons Thraciae prope Hebrum amnem.

Ismenius est Thebanus, ab Ismeno amne Thebas alluente. *Ismenius ales,* Pindarus, poeta Thebanus.

Ister vocatur Danubius inferior.

Isthmia, orum, certamina ac ludi solemnes in Isthmo Corinthiaco celebrati.

Isthmus est terra oblonga et angusta inter duo maria, duas continentes jungens. Talis Isthmus inter alios est Corinthiacus, qui Peloponnesum reliquae Graeciae connectit.

Juppiter, rex deorum et hominum, sumitur etiam pro aëre et coelo.

Julia i. e. Bajanus sinus, sive Portus Julius apud Bajas.

Ixion, rex Lapitharum, ob scelera fulmine a Jove ad in-

K.

L.

appellantur omnes eae gentes, quae Romanae Ecclesiae parent. *Latinus* i. e. catholicus.

Latium, regio Italiae in qua urbs Roma; sumitur quoque pro Italia tota, hinc *Latiale aurum. Latia fides* i. e. catholica.

Latona, mater Apollinis et Dianae.

Latous, Apollo, Latonae filius, deus vaticiniorum, solis &c.

Laurentius, vide *Rudomina.*

Laurentum, oppidum Latii versus oram maris Tyrrheni, inter Ardeam et ostia Tiberina. Unde adject. *Laurens* idem ac Latinus.

Lauretum (Loretto) urbs Piceni prope Anconam, nobilissima ob aediculam B. V. Mariae eo translatam.

Lauxmin Sigismundus, Polonus, ex Samogitia oriundus, in Societatem Jesu a. 1616 cooptatus in eademque variis muneribus functus, obiit Vilnae anno 1670.

Lavinia regna, Latium, sic dictum ab Lavinio, oppido Latii.

Lavinus Tarquinius. 27.

Lecho, Lechus, primus Poloniae dux; hinc *Lechicus, Lechiacus,* polonicus; *Lechi, Lechiadae,* Poloni; *Lechia, Lechica regna,* Polonia; *Lechias*, poëma epicum Sarbievii deperditum, de rebus a Lecho gestis, de quo memorat pag. 137: *Lechaei arma Gradivi.*

Ledaeus, vide *Amyclae.*

Leleges, Asiae populi, origine Graeci, qui in Mysia eaque Ioniae parte, quae Cariae proxima est, consedere.

Lemnos, insula maris Aegaei.

Leo S., Pont. Max. hoc nomine I, Attilae, Hunnorum regi, cognomento „flagellum Dei" Italiam hostiliter invadenti anno 452 occurrit, suaque eloquentia ei persuasit, ut regrederetur. 470.

Leo Nemaeus, quem Hercules in Nemaea silva juxta Cleonas Arcadiae urbem jugulavit, sumpta ejus pelle pro insigni; in *Leonis* astrum mutatus et inter zodiaci signa collocatus.

Lepunensia prata prope Lejpuny, Lituaniae pagum inter Vilnam et Merecium.

Lerna i. e. Hydra Lernaea, ab Hercule interempta.

Lesbos, insula maris Aegaei, Alcaei et Saphus patria; hinc *Lesbium carmen, Lesbii nervi* carmen lyricum denotant.

Lethe, unus e quatuor inferorum fluviis, cujus aqua epota rerum omnium oblivionem afferebat.

Libanus, mons Syriae notissimus. *Libanitis cedrus,* cedrus Libani montis.

Ludovicus vide *Aloysius*.

Ludovicus XIII. Galliarum rex, anno 1617 ipse per se regere coepit. 453.

Lugo de, Joannes, Hispanus, sacerdos S. J., idem S. R. E. Cardinalis, vixit a 1583—1660; vir doctissimus, multis annis in Collegio Romano publice Theologiam docuit, quo magistro usus est Sarbievius. 447.

Luna cornuta, cornibus in septentrionem versis, signum primarium Turcarum.

Luperci, erant sacerdotes Panos, pastorum dei, qui in Lupercaliorum festis mense Februario in honorem Panos celebrari solitis, nudi per Urbem cursitabant. Unde *Lupercales saltus* i. e. festivi vel insolentes.

Lyaeus, cognomen Bacchi; *Lyaeum,* vinum.

Lycabandorus magister, i. e. annorum seriem moderans, nomen fictum e lingua graeca.

Lycaeus, Arcadiae (Parrhasiae) mons, in quo Diana venabatur, quae ideo dicta est *Parrhasii regina Lycaei.*

Lycambes, Lacedaemonius, qui cum filiam despondisset Archilocho poëtae, deinde alii tradidisset, virulentis ejus jambis ad vitam laqueo finiendam adactus est.

Lycaonia Arctos est sidus, quae dicitur etiam Elice sive Ursa major; sumitur etiam pro regione septentrionali. Elice autem fuit filia Lycaonis regis Arcadiae, quae in Ursae signum commutata est. *Lycaonius,* septentrionalis.

Lyceum, gymnasium celebre Athenarum; sumitur pro quolibet gymnasio.

Lycia, regio Asiae minoris meridiem versus. *Lyciae sagittae* celebrantur, nam Lycii arcum et pharetram leviori pondere gestabant, erantque ea in re peritissimi.

Lycormas, Aetoliae fluvius, qui etiam Evenus dicitur.

Lycurgus, Lacedaemoniorum rex et legislator.

Lycus, plures sunt amnes hujus nominis: in Vindelicia, Assyria, Bithynia, Lydia, Mysia &c.

Lycus Aurelius 5; *Lycus* Telephus 14. Videntur esse nomina ficta.

Lydia, regio Asiae minoris, in qua est Pactolus aurifer fluvius, qui ideo *Lydius amnis* audit.

Lydias sive *Lydius,* fluvius Macedoniae in sinum Thermaticum influens.

Lynceus adolescens 28.

Lysia est Lusitania seu Portugalia.

Lysippus, clarissimus statuarius, a quo solo Alexander Magnus se fingi voluit.

M.

bueret, partem chlamydis ei dedit. 535.

Masovia (Mazowsze) regio Poloniae.

Massagetae, populi Scythici in Asia ultra mare Caspium, nunc Tartari.

Massicus, mons Campaniae, vini bonitate notus.

Massyli, populi Numidiae.

Matuta, vulgo *Matuta mater,* eadem quae Aurora, dea matutini temporis.

Mauri, populi Mauretaniae in Africa.

Mavors vide *Mars.*

Media, regio Asiae feracissima thuris, quod ideo appellatur *Medae silvae pretiosa damna.*

Medniki, Miedniki dicti etiam *Vorni* seu *Wornie* a fluviolo cognomine, quo alluuntur, est urbs et sedes antistitum Samogitiae, cum templo dedicato SS. Apostolis Petro et Paulo.

Medocalna (Miedziokalnia) collis non procul ab urbe Crosis in Samogitia, quem Casimirus noster, cum Crosis degeret, frequenter ascendebat, ibique inter annosas quercus obambulans, magnam suorum poëmatum partem effinxit.

Medusa, mater Pegasi. *Medusaeae aquae* sunt Hippocrene, fons Pegasi ungula elicitus.

Megaera, vide *Furiae.*

Melecia (Mielecka) Sophia, prima uxor Joan. Caroli Chodkiewicz, mense Octobri 1618 defuncta. 455.

Meles, fluvius Ioniae prope Smyrnam.

Melita, Melite (Malta) insula maris Mediterranei inter Siciliam et Africam, textrinis pretiosarum vestium celebris. Hinc *Melitaeus.*

Melpomene, una Musarum.

Memmius Publius. 46, 53.

Memnon, Tithoni et Aurorae filius. *Memnonius* est orientalis.

Memphis, urbs Aegypti.

Menochius Joan. Steph., Papiae in Italia natus, vixit 1576—1655; ingressus Societatem Jesu 25. Maji 1593, s. Scripturam et Moralem Theologiam Romae docuit, dein pluries Rectoris et Provincialis munus sustinuit. Praeter libros de principum institutione a. 1625. in lucem editos, scripsit etiam Commentarium S. Scripturae notissimum. 71.

Mercurius, Jovis et Majae filius, lyram invenisse, eloquentiae praeesse, functorum animas ad inferos compellere, et, si opus sit, Orco revocare credebatur.

Merecium (Merecz) oppidum regium in Lituaniae regione amoenissima situm, in quo Ladislaus IV., rex Poloniae, libenter morabatur, ubi et mortuus est.

Mortieri vide *Belgae.*

Mosa (Maas) fluvius ex monte Vogeso profluens, transit Lotharingiam et Belgium, ac in Oceanum septentr. delabitur.

Moscovia, Moscua, Moscha, urbs, Moscoviae provinciae caput. 97.

Moschus, incola Moscoviae seu Rossiae.

Motele, lacus et pagus prope Vilnam in Lituania.

Mulciber vide *Vulcanus.*

Munatius Publius. 88. 158.

Musurmannus, Musulmannus, Mahumeticae superstitionis sectator.

Mutius vide *Vitelleschi.*

Mycenae, urbs ditissima Argolidis in Peloponneso. *Mycenaei census* i. e. magnae divitiae, divites cives,

Mycon, Atheniensis, pictor egregius.

Mygdonia, regio littoralis Thraciae inter Axium et Strymonem fluvios; item pars quaedam Phrygiae; item regio Mesopotamiae apud Mygdonium flumen; etiam Bithynia olim Mygdonia dicta est. *Mygdonia gaza* i. e. Phrygiae seu magnae divitiae. *Mygdonia avis* est upupa, in quam Tereus rex Thracum mutatus erat. Vide *Tereus.*

Myrmidones, populi Thessaliae; apud Sarbievium sunt Turcarum catervae.

Myron, Graecus, statuarius insignis.

N.

Nabathaea, regio Arabiae desertae seu Petræae, propter mercaturam celebris. *Nabathaeus* ponitur pro Arabico et pro orientali. *Vellera Nabathaea* i. e. panni seu texta orientalia.

Naiades, Nymphae fontium et fluminum.

Napaeae, Nymphae saltuum et nemorum.

Nar, fluvius Umbriae in Italia, miscetur Tiberi.

Naruszevicia (Naruszewicz) Barbara, filia Stanislai, uxor Janussii Tyszkiewicz, mater Catharinae Eugeniae, Joanni Rakowski nuptae; a. 1627. vita functa. 183, 312.

Narvia (Narew) amnis Sarbievio natalis in Masovia, influit in Bugum. 62.

Nasamones, populi Africae in Cyrenaica.

Naupactus, urbs Aetolia, in ora sinus Corinthiaci, hodie Lepanto, ubi 7. Octobr. 1571 Christiani reportarunt de Turcis celebrem victoriam. Vide *Columna.*

Naxos, insula maris Aegaei, Cycladum maxima.

Noricum, Germaniae pars ferro abundans, ubi nunc Styria et Carinthia. *Norici enses* ab Horatio etiam celebrantur, nam in Norico optimi enses fabricabantur teste Plinio.

Notarius, munus et dignitas in republica Polona.

Notus, ventus meridionalis: pro quolibet vento.

Novogroda (Nowogródek) Lituaniae urbs anno 1505 obsessa a Tartaris, quos Joan. Tryzna Capitan. Novogrod. repulerat.

Numa Pompilius, rex et legislator Rom.

Numantia, urbs Hispaniae a Scipione Aemiliano deleta.

Nymphaeum quid sit, non certo constat; est forsan oppidum et portus Chersonesi Tauricae, de quo Strabo memorat.

Nysa, Nisa, vicus in monte Helicone, teste Strabone. Unus e verticibus Parnassi, Baccho sacer, Nysae nomen habuit.

O.

Occa, amnis Rossiae in Volgam influens. Victrices copiae Ladislai principis, qui antequam rex Poloniae evaserat, bellum de Moschorum throno obtinendo gerebat, usque ad hunc amnem pervenerunt autumno 1618.

Odera, amnis Silesiam et Borussiam irrigans.

Odrysae, Odrysii, gens Thraciae, Hebri amnis accola; sumuntur pro Turcis; *Odrysia lora,* catenae Othomanicae; *Odrysia tellus,* Thracia, Turcia.

Oea, urbs Africae, nunc Tripoli.

Oenotria, Italiae tractus inter Paestum et Tarentum. Dicta etiam est Oenotria Italia omnis.

Oenus (Inn), fluvius e Tirolio in Danubium defluens.

Oeta, mons inter Thessaliam et Graeciam propriam.

Olenus, urbs 1) in Achaja propria: 2) in Aetolia inter Calydonem et Pleuronem.

Olympus, mons Graeciae inter Macedoniam et Thessaliam, cujus vertex usque adeo attollitur, ut summa ejus accolae coelum vocent. Inde coelum Olympum poetae nominant.

Orchomenus, duae urbes: 1) Boeotiae inter Elateam et Coroneam; 2) Arcadiae.

Orcus, cognomen Plutonis, denotat ipsum inferorum locum.

Oreades, Nymphae monticolae.

Oricum, urbs Epiri; item regio Assyriae; *cuniculosum* i. e. plenum subterraneis cavernis, unde aurum promitur.

Orion, venator, Dianae satelles, ab ea in sidus mutatus. Ensem habere videtur stellarum fulgore terribilem. Si fulget, serenitatem, si obscuratur, tempestatem denotat,

P.

Palatinus, ad Palatium, Romae collem, pertinens; item: Romanus, Latinus.

Palatinus (Wojewoda), dignitas et munus in republ. Polona.

Palatina, uxor Palatini.

Pallas est Minerva, dea belli et disciplinarum. *Palladii postes,* templum Palladis. *Regia Palladis,* urbs Athenae.

Palmius Joannes 192. — *Palmulus* adolescens 474.

Palus (Palo), castellum maritimum, Romam inter et oppidum Civita Vecchia. 452.

Panchaea, Panchaïa, fabulosa insula, Arabiae Felici adjacens, gemmarum, thuris et myrrhae ferax.

Pandion, rex Athen., *Pandionis arx,* urbs Athenae; *Pandioniae volucres,* luscinia et hirundo, in quas mutatae sunt Philomela et Progne, Pandionis regis filiae.

Panaetius, philosophus Stoicus.

Pangaeus, Pangaea, Thraciae mons, Philippis urbi imminens.

Pannones, incolae *Pannoniae* i. e. Hungariae.

Paphus, Cypri urbs cum magnifico templo Veneris.

Papinius, i. e. P. Papinius Statius, poeta Rom. sub Domitiano Imp.

Paraetonium, urbs et portus Aegypti.

Parcae, tres Erebi et Noctis filiae: Clotho, Lachesis et Atropos, quae fingebantur vitae hominum praeesse, et nendo eam ducere. *Parca* est mors, fatum.

Parnassus, mons Graeciae in Phocide, Musarum sedes.

Paros, una e Cycladibus Aegaei maris insulis, albo marmore nobilis. *Parius* adject.

Parrhasia, urbs et regio Arcadiae. *Parrhasium plaustrum* est Ursa major, nam Calliste, quae in hoc signum conversa fingitur, Lycaonis Parrhasiae seu Arcadiae regis filia fuit. *Parrhasiae moderator orae,* vide *Epirus.* *Parrhasii regina Lycaei* vide *Lycaeus.*

Parthenius, est fluvius Nestus sive Nessus, qui teste Solino lambit radices Pangaei montis, rosarum feracissimi, atque quod ritu puellarum floribus delectatur, vocatur latine virgineus, graece Parthenius.

Parthenope, urbs Neapolis, dicta ab una Sirenum, quae se ibi in mare praecipitasse fertur.

Parthi, populi Asiae. *Parthica cingula*, e corio purpureo a Parthis confici solito.

Patara, urbs Lyciae.

Paulus, S. Apostolus. 524.

Pausilipius Caesar 112, 136, 145, 156.

Pegasus, equus poëticus alatus, vide *Bellerephon.*

nido, eoque sive solis radiis sive alarum agitatu succenso, superemoritur, ac deinde ex cinere illo renascitur.

Phosphorus, vide *Hesperus.*

Phrygia, regio minoris Asiae, marmore abundans.

Phthie, oppidum Thessaliae, Achillis patria.

Picenum, Picena tellus, regio Italiae in ora maris Adriatici.

Pieria, regio Macedoniae, in qua *mons Pierius* Musis sacer; *Pierides,* Musae; *Pierii libri* i. e. docti.

Pimelius Paulus 463.

Pindarus, celeberrimus poeta Thebanus.

Pindus, mons Graeciae inter Epirum et Thessaliam, Apollini et Musis sacer.

Plaeve, Plavis, hodie Piave, fluvius Venetiae, ex Alpibus in mare Adriaticum defluens.

Plancus 473.

Plantiniana officina typographica, vide *Moretus.*

Plato, philosophus Graecus.

Plautus 450.

Plave, vide *Plaeve.*

Plavenus (Ritter von Plauen) duo hoc cognomine fratres germani erant in ordine Teutonico: alter Henricus, Magister Magnus (Hochmeister) 1410—1413; alter Ulricus, Magnus Commendator (Oberst-Comthur) Gedanensis, qui plures cives Gedanenses interfici jusserat ideo, quod Polonis favebant.

Pleiades, septem filiae Atlantis ex Pleione Nympha, quae in coelum translatae et ante genua Tauri collocatae finguntur.

Pleuros, Pleuron, oppidum Graeciae in Aetolia.

Plocia (Płock), urbs Poloniae ad Vistulam, metropolis dioecesis Plocensis.

Plongiani (Płunguny), oppidulum Samogitiae.

Podalirius, filius Aesculapii et Machaonis frater, medicus.

Podolia, Podoliae (plur.) regio ampla regni Poloniae.

Poenus i. e. Carthaginiensis, aut etiam Phoenicius.

Polanovia (Polanowo), vicus ad amnem Polanówka, inter Smolenscium et Viasmam, ubi 27. Maji 1634, auctore Eppo Zadzik, confecta est pax inter Polonos et Moschos, vi cujus Moschi cesserunt Polonis agrum Smolenscensem, Czernichoviensem, Severiensem et Estoniam. 246.

Polla (Poline) castellum Italiae ad lacum Sabatinum.

Pollux, vide *Castor.*

Polocia (Połock), urbs Poloniae ad Dunam amnem in provincia Alba Russia.

Pompejus, cognomine *Magnus,* dux Rom., vindictam sumpsit de Mithridate, qui uno eodemque die per omnem Asiam

Q.

Quinctus 453.
Quirina religio i. e. Romana, catholica.
Quirites, dicuntur Romani nec non Poloni cives.

R.

Radivillius, ***Radivillus*** (Radziwiłł), familia principum in Lituania. *Albertus Ladislaus Radivillus,* Castellanus Trocensis, iniit matrimonium a. 1628 cum *Anna*, quae filia erat Nicolai Boguslai Christophori Zienowicz, Castellani Polocensis, et Annae, germanae sororis Joan. Car. Chodkievicii 93, 214, 312, 499—501, 568. — Radivillorum domus a. 1549 titulo S. Rom. Imp. Principum cohonestata est, adscivitque ad gentile stemma *Aquilam* bicipitem. *Radivillia ales* 214, 316, 499, 568.

Rakovius, Rakowski Joannes, filius Adalberti Capitanei Plocensis Castellanique Visnensis (def. 1617.) et Sophiae Pac, nobilis Polonus, vir eruditus et linguarum admodum peritus. Adhuc juvenis splendidissima ac reipublicae perutili in Angliam legatione functus, ad curules magistratus evectus, obiit a. 1639, aetatis 45. Nuptiis sibi junxerat Cathar. Eugeniam Tyszkiewiciam 1622 anno. 302, 505, 506. Rakoviorum insigne „Trzywdar" constat tribus Crucibus inter totidem stellas ad modum trianguli dispositas.

Ratisbona (Regensburg) urbs Bavariae.

Rekutius (Rekuć), antiqua familia Samogitiae.

Revalia, Estoniae urbs primaria, ad quam Poloni a. 1603 Joanne Car. Chodkiewicz duce, magna strage fuderunt Suecos.

Rhamnusia, eadem ac *Nemesis,* dicta a Rhamnunte, pago Atticae, ubi ejus signum positum erat.

Rhaetia, regio Germaniae in Alpibus, sumitur pro Germania, unde *Rhaetus*, Germanus; *Rhaetaei*, Germani.

Rhenus, fluvius Galliam a Germania disterminans. *Proelia Rheni* i. e. prœlia in Germania commissa.

Rhodanus (le Rhône) fluvius Galliae, iu mare Mediterraneum irrumpens.

Rhodope, mons Thraciam in partes fere aequales secans, et in Pontum Euxinum desinens.

Rhodus, insula maris Carpathii.

Riga, urbs Livoniae primaria ad Dunam amnem.

Riphaei, montes Scythiae nivosi; *Riphaeus,* Scythicus.

Roma, bonarum artium nutrix 151.

Romulaeus i. e. Romanus, a Romulo, Romae conditore.

Rosa Julius, Neapolitanus, vixit initio 17. saeculi; scrip-

Sanctius (Santi) Leo, Italus, sacerdos S. J., vixit 1584—1651; magister in coll. Rom. 464.

Sanirus, qui et *Hermon*, mons Palaestinae.

Sapieha Joannes Stanislaus 360, 498, 499, 548—550.—*Paulus Sapieha* 454.; ambo Poloni nobilissimi.

Sarabetes, videtur esse nomen antiquae familiae Italicae, a qua Sarbievii originem deducebant. 47.

Sarbacum, oppidum ad flexum Borysthenis fluvii.

Sarbiewski Stanislaus, frater germanus poëtae. 47.

Sarmatae, Poloni. *Sarmaticus,* Polonicus.

Sarnus, fluvius Italiae in Campania.

Sarrastes, populi Campaniae, Sarno amni vicini.

Saturnus, deus et rex Italorum, quo imperante, aetas aurea fuisse creditur: *Saturni saecla.*

Sauromates, populi iidem qui *Sarmatae.*

Savus, fluvius, Slavoniam a Croatia, Bosnia et Servia separat, et in Danubium influit.

Saxonia, regio Germaniae.

Scaldis, fluvius Belgii, Antverpiam alluens.

Scamander, vide *Xanthus.*

Scarphe, oppidulum Graeciae in Locride.

Scazon, species carminis jambici.

Scipio, i. e. P. Corn. Scipio Aemilianus Africanus Minor, Carthaginem et Numantiam evertit.

Scota haeresis vigebat olim in Samogitia circa urbem Kiejdany inter colonos, qui a Jacobo I. rege pulsi ex Scotia huc pervenere. 468.

Scylacaeum (Squillaci), urbs et sinus Brutii in Italia merid.

Scythae, populi vagi Europae ad Pontum Euxinum, Tartari. *Scythicus Pontus*, mare quod Turciam alluit.

Sebastianus, Sebastius S. Martyr (20. Januar.) sub Diocletiano Imp. ad palum alligatus, sagittis confossus est. 519.

Semiramis, regina Assyriorum; *Semiramius,* est Babylonicus vel orientalis v. g. turres, ostrum.

Sena, urbs Etruriae, nunc Siena.

Seneca, philosophus Romanus. 477.

Seres, Scythiae Asiaticae populi, conficiebant tenuissimas telas sive sericum.

Severia (Siewierz, Nowogród Siewierski) territorium olim Lituanicum, ab anno 1479 possessum a Moschis, tandem a. 1611, et iterum 1634 post pacem Polanovien. a Polonis recuperatum.

Sicambri, Sigambri, populi Germaniae, qui cum Cimbris et Teutonibus Italiam aggressi, a Mario profligati sunt.

Sicanius, *Siculus,* pertinens ad *Sicaniam* seu *Siciliam*

Stanislaus, Stanesilaus Kostka S., Polonus, juvenis nobilissimus, e Soc. Jesu. 242, 436, 517, 518.

Stentor, Graecus miles sub Troja, voce adeo immani, ut quinquaginta simul vociferantium clamores vinceret.

Stephanus I. Bathorius 1576—1586 Poloniae rex. 192.

Stephonius Bernardinus, S. J., Romae poeticam et eloquentiam annos plures docuit, vixit 1560—1621., scripsit tragoedias.

Steropes, vide *Cyclopes.*

Sthenelus, dux Graecorum, Diomedis ad Trojam socius.

Strada Famianus S. J., rhetoricae per 15. annos publicus Romae magister, orator, historicus, poëta; obiit a. 1649.

Strymon, Macedoniae septentrionalis fluvius.

Stylites Simeon S., natus Sisarae in Asia, ab anno 429 usque ad mortem (2. Sept. 459) diu noctuque stabat in alta columna, nec unquam descendebat. 474.

Stymphalus, lacus, fluvius et mons Arcadiae.

Styx, inferorum palus, sumitur pro inferis ipsis.

Suada i. e. Pitho, suasionis dea.

Suani, Sarmatiae Asiaticae gens; pro Moschis.

Suecones, incolae Sueciae regni; *Suecanus, Suecicus,* ad Sueciam pertinens.

Suiscus, est Basilius Szujski, Moschorum imperator.

Sunamitis, Sulamitis, sponsa mystica (Cantic. Canticor.)

Susa, urbs Asiae, Susianae regionis caput.

Symplegades, duo scopuli in Ponto Euxino apud os Bosphori Thracii. Dicuntur etiam sic ob similitudinem duo scopuli inter Africam et Hispaniam, Calpe et Abyla, quos ante conjunctos, Hercules *arcu* et clava diviserat.

Syracosius, ad Syracusas pertinens, urbem Siciliae.

Syri botri i. e. vinum ex Syria egregium.

Syrius succus, nardus, Syrius malobathrus apud Horat.

Syrtes, duo sinus maris Mediterranei in extrema Africa, navigantibus periculosi ob brevia et vada arenosa.

Szauli (Szawle), urbs Samogitiae.

T.

Taenarius, ad inferos pertinens, a Taenaro, Peloponnesi promontorio, in quo aditus ad inferos patere credebatur.

Tagus (Tajo) fluvius Lusitaniae, prope Olyssiponem ad Oceanum Atl. influit; aurifer credebatur, hinc: *Tagus pretiosa urna.*

Tanagra, urbs Boeotiae.

Tanais (Don) fluvius Sarmatiae in paludem Maeotin influens.

Tanaquil, uxor Tarquinii Prisci, Rom. regis, magni animi

Thespiae, urbs Boeotiae, prope Heliconem, sedem Musarum; *Thespius,* ad Musas spectans.

Thessala, dicitur Alceste, filia Peliae regis Thessaliae, uxor Admeti Pheraeorum regis, quem tantopere dilexit, ut pro eo perire non recusaverit. Cum enim Admetus aegrotaret, oraculum edixit, posse eum adhuc vivere, si foret aliquis, qui pro eo sponte mortem subiret. Caeteris id abnuentibus sola uxor id praestitit. Sed postea ab inferis revocata est, et marito opera Herculis restituta.

Thessalia, regio Graeciae. *Thessalus tyrannus* i. e. Turca.

Thetis, Nerei filia, ex Peleo mater Achillis, dea maris; sumitur pro mari; *Achaica Thetis,* mare Graeciam alluens.

Thoas 1) Tauricae Chersonnesi rex ab Oreste occisus; 2) Antiqua appellatio fluvii Acheloi.

Thomas S. Apostolus. 531.

Thomas, vide *Rudomina.*

Thrace, Thracia, Europae regio, vicina Ponto Euxino; *Thraces,* Turcae; *Threicius, Threissus* est Thracius, Turcicus; *Thracius tyrannus,* Turcarum imperator; *Thraciae pellex,* philomela, vide *Tereus.*

Throezen, vide *Troezen.*

Thule, insula in Oceano septentrionali, omnium quas antiqui noverant remotissima, forsan Islandia.

Thyestes, Pelopis filius, Atrei frater. Cum Atreus hujus filiolum in frusta sectum coxisset, Sol a tanto scelere abhorrens, tenebris subito sese involvit. Inde dictus Sol amicus Thyestae, quare *flammae Thyesteae,* radii solis.

Tiberinus Quintus 188.

Tiberis, Tibris, fluvius Romam alluens. 105.

Tibiscus (Cisa, Theiss), fluvius Hungariae superioris.

Tibur (Tivoli), urbs Italiae ad Anienem amnem.

Tigris, flumen, Euphrati immixtus in sinum Persicum influit.

Timanthes, pictor egregius Zeuxis tempore 453.

Timavus (nunc Timavo) fluvius Venetiae, prope Tergeste.

Tiphys, Typhis, Argonauta, in Colchica expeditione socius et gubernator, primus gubernandi naves adminicula instituit.

Tisiphone, vide *Furiae.*

Titan, Sol, Phoebus.

Tithonis i. e. Aurora, uxor Tithoni.

Tityus, gigas, quem Apollo, eo quod Latonam de stupro interpellavit, sagittis confodit, et apud inferos religavit, ejusque jecur vulturibus lancinandum apposuit, hac lege, ut consumptum renasceretur illico, et sic nunquam vultures a discerpendo cessarent, nec ipse a patiendo.

U.

V. W.

Vicecomites non modo in bello terribiles fuisse, sed etiam facundos extitisse pacis sequestros. Inter alios eminuit eloquentia *Alphonsus*, patruus Honorati, missus tamquam pacis sequester in Etruriam; eminet quoque ipse *Honoratus*, Archiepiscopus Larissenus, qui circa a. 1624 obiit munus Inquisitoris fidei in insula Melite (Malta), qui tanquam delegatus Pontificius administravit urbes Aesium (Iesi) Asculum Picenum, Fanum, Anconam, ac provinciam Picentinam, qui tandem tanquam Legatus (Nuntius) Pontificis 1630—1636 in Polonia degens, non pauca suo eloquio effecit. Cum enim Sigismundo III. defuncto, regem sibi Poloni a. 1632 eligerent, ipse ad comitia veniens ex mandato Urbani VIII. eosdem cohortatus est, ut principem Ladislaum regem crearent. 369.

Vicus Galli (Piotuchowo) pagus Lituaniae, tribus leucis ab urbe Vilna distans, 227., vide *Troci*.

Vilia, fluvius Lituaniae Vilnam alluens.

Vilna (Wilno) primaria Lituaniae urbs, in qua Sarbievius magister erat Academiae S. J.

Vindelici, gens Germaniae, ubi nunc Bavaria.

Viscovum (Wyszków) urbs in amoenissima regione ad Bugum amnem, prope Pultoviam, aestiva sedes Epporum Plocens.

Visimirus, filius Lechi, primi Poloniae ducis.

Visna (Wizma, Wizna), urbs Masoviae ad Narviam fluvium.

Visnovius, eques Polonus a Turcis evisceratus 109.

Vistula, *Histula* (Wisła, Weichsel) Poloniae flumen, rigat Cracoviam ac Varsaviam, et in Gedanum sinum incurrit.

Vitellescus Mutius, 1615-1645 Praepositus Generalis S. J. 451.

Vitoldus, Magnus dux Lituaniæ, frater patruelis Ladislai Jagellonis, regis Poloniæ.

Vivaldus (Vivaldi) Augustinus S. J. sacerdos, Italus, natus Genuæ, vixit 1565—1641., Soc. ingr. 1581; post philosophiæ professionem et collegii Florentini gubernationem, lustrata concionibus Italia, tandem Provincialis non semel fuit: in Lituania (1619—1624 cum Visitatoris potestate), Romæ (1624—1626) et in Sicilia; laudibus sanctimoniae, doctrinae et natae ad gubernacula prudentiae ornatus. Rexit etiam Parmae tum Placentiae collegia. 448, 449.

Wladislaus, vide *Ladislaus* IV.

Volga, alo nomine *Rha*, amnis in imperio Rossiaco.

Vollovicius, *Volovicius* (Wołłowicz) *Eustachius*, Eppus Vilnensis (1616—1630); inauguravit nuptias Alberti Radivilli cum Anna Zenovicia. 214, 216, 466. *Sophia Wollovicia*, Petri Tryznæ conjux 494,499. *Hieronymus Wollovicius* anno 1620 adiit munus Capitanei Samogitiae. 467,498.

FINIS.

A. M. D. G.